COMPENDIUM
MALEFICARUM
—
GUACCIUS

1626

2966/B

N. IV. d
17

74/377

11 B · 31 21676 7110f
PM

In the Compendium Maleficarum of the Italian monk Guacci, perhaps the most amusing book in the whole literature of witchcraft, we may see the witch, in propria persona, riding the diabolic goat through the clouds while the storm rages around and beneath her; and we may read a rich collection of anecdotes, largely contemporary, which establish the required doctrine beyond question.

[White. Warfare of S. with T. I. 340.]

Witchcraft
96
608 H.6
8/12/08


David Fitzgerald
28. 1. 85

Wilson

See the interesting representation of ladies paying an undeserved compliment to the Devil's posterior (71).

And the three Fates or Good Mothers visiting a female with gifts or a cure (168 etc).

And witch mounted on a flying goat (4
(68).



COMPENDIVM MALEFICARVM,

Ex quo nefandiſſima in genus humanum opera venefica, ac ad illa vitanda remedia conſpiciuntur.

Per Fratrem Franciſcum Mariam Guaccium Ord. S. Ambroſij ad Nemus Mediolani compilatum.

In hac autem ſecunda æditione ab eodem authore pulcherrimis doctrinis ditatum, exemplis auctum, & remedijs locupletatum.

His additus eſt Exorciſmus potentiſſimus ad ſoluendum omne opus diabolicum; nec non modus curandi febricitantes, ad Dei gloriam, & hominum ſolatium.

MEDIOLANI
Ex Collegij Ambroſiani Typographia. 1626.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ILLVSTRISSIMO

D. D. ANTONIO SORBELLONO

COMITI MVNIFICENTISSIMO.

F. FRANCISCVS MARIA GVACCIVS Religionis Ambroſianæ ad Nemus Alumnus fælicitatem.

ANTIQVI Philoſophi artis, & Naturæ ſecretorum indagatores acerimi, ſi quæ reperiſſent olim ſecreta, ad prauorum hominum ne deuenirent notitiam, varijs occultare modis, ac figuris, conſueuerunt. Sic docet S. Hieronimus, cum dicit, in Apocalypſi tot latere myſteria, quot verba. Iudeorum quoq; peritiſſimi confirmant, Moyſen, ſimplicibus verbis, dum deſcribit cęli, & terræ creationem, ineffabilia ſecretorum myſteria operuiſſe. Contra verò noſtris temporibus, qui ſtuduerunt, & ſtudent animæ, & corporis hominum ſanitati, quidquid diabolica arte contra humanum genus, Sagæ, Lamiæ, Necromantici, & id genus facinoroſorum hominum moliri ſtudent, illa, tamquam nota, & aperta, per ipſorummet confeſſiones, Sortiariorum, omnia ſcri-

ptis per ipſos nobis innotuerunt. Cum autem diabolus, qui olim in Idolis, vt ait Hieronimus habebat domicilium, ab illis diſiectus ſit; nunc peiora Idola in Hereticorum animis fabricauit. Caſſianus enim, non magis antiquus, quàm grauis Author affirmat audiuiſſe ſe diabolum dicentem; per Arium & Eunomium falſi dogmatis impietatem ſe parturijſſe. Quare factum eſt, vt ſicut expleto bello, milites hinc, inde diffuſi, vias occupando prædones fiunt: ita dæmones, deſtructis, quę tunc vigebant hereſibus, quaſi in quibus colebantur euerſis templis, noua habitacula in alijs hominibus quæſierunt, & quærunt. Et quemadmodum, vt plurimum famem peſtilentia ſequitur; ità hereſim, varia curioſarum artium ſequuntur genera; ratio eſt, quia, vt in fame coguntur gentes vilioribus vti cibis; quibus fit, vt corruptis humoribus oriatur peſtis: ita heretica vigente prauitate, dum homines, ſenſibus Scripturæ corruptis vtuntur, ad Magicas artes, quæ quaſi animi morbi ſunt, deueniunt. Quoniam verò peſtis hæc, per ſciendi cupiditatem innatam (indirectam tamen) breui ſe per orbem totum diffudit; Tartarea pro cœleſtibus; falſa, pro veris, & noxia, pro vtilibus obtinuit. Quamobrem, viros quamplurimos Sagacitate, Sapientia, ac probitate ſuffectos, ad venenatas haſce euellendas herbas ſcriptis impulit; quos authores, ſicut qua potui induſtria legere non omiſſi, ſic de eorum diuitum menſa quaſi quibuſdam collectis micis, vtcunq; potui, in vnum adegi,

Collat. 7. c. 32.

ac

ac id genus ſcientiæ eſurientibus, in hac ſecunda æditione multo copioſius,quàm in prima, libenter expoſui, vt non ſolum iuxta morbi genus ægris medicina paretur,ſed etiam,vt horum hereticorum cognita nequitia,diſcant gentes ab eis quàm longiſſimè fugere; ſunt enim, vt ait Apoſtolus, sydera errantia, quibus tenebrarum procella ſeruata eſt in æternum,& quiſquis illorum errorem ſequitur, portu æternæ ſalutis perdito, illos graui perire naufragio neceſſe eſt. Cum ergo de Patrono deligendo (quo auſpice tutus liber exiret) quærendum mihi eſſet, verebar docti viri iudicium ſubire, ſed quia alicuius erat ſubeundum, illum elegi, qui iudicare poſſet, cum non magis tutellam, quàm cenſuram amem, ſic dictante natura, & vſu, vt à peritis minus doceri, & moneri, quàm ab imperitis applaudi, & laudari,grauer. Sagarum igitur, Magorumq; verſutias, & calliditates in humanam perditionem ex authoribus collectas (opus non mediocrè laborioſum) Illuſtriſſime Domine ea,qua decet humilitate, ſingularis in te meæ obſeruantiæ ſignum exhibeo. Nec eſt, quod nunc magnificentiam, ſplendorem doctrinam,celſitudinem, munificentiam, pietatem, ac præclariſſimas huius generis virtutes, & laudes tuas,ſcriptis præconer, quia hoc tentare eſſet, teda ſoli lumen addere, & aquæ guttula oceanum intumeſcere,cum vnaqueq;harum per ſe,tantum ſplendoris, nitoriſq; pariat, & præſeferat, quantum ad quaſuis denſiſſimas fugandas tenebras ſufficere

¶A poſſet.

poſſet. Idcirco, multo laudabilius fore adiudicaui, ſilentio inuoluere, quàm minus ſobriè de eo dicere, quod perfectè explanari minimè poteſt. Quare, ſi, vt ſpero, pro innata humanitate tua, tibi vni probatum fuerit, facilè tetricorum ſuperciliоſa iudicia contempſero. Dat. Faxit Deus, vt te nobis longeuum, & incolumem ſeruet. Ex Cœnobio noſtro Sancti Ambroſij ad Nemus Mediolani ſexcenteſimo vigeſimo ſexto ſupra milleſimum.

AD LECTOREM

AVTHORIS PRAEFATIO.

INter innumerabilia Dei beneficia, quæ indies in vniuerſum genus humanum, te in fideles præcipuè ſuos Diuina exercet miſericordia, hoc vnum crediderim eſſe ſingulare, Cognitio, videlicet, malitiæ, & impietatis hoſtium tam viſibilium, quàm inuiſibilium noſtrorum: vt cognita eorum calliditate, ponamus obſtacula, vbi offendicula parant illi, & tentant. Quoniam verò ſuperbia eorum, qui Deum oderunt indies gradatim aſcendit, & creſcit ſemper, & non veretur humani generis virulentius hoſtis, cuius ſæuitia magis, ac magis incaleſcit, nobis acutiſſimas diſſeminare ſpinas, dolorum, tribulationum, infirmitatum diuerſorum generum, quamuis ſibi tribula metat: æterna ſupplicia propria augere, ac pœnas exacerbare, dummodo hominum multitudinem, quàm poſſit maiorem ad Inferna deducat, imaginemque excellentiſſimam, & Diuinam, Chriſti pretioſo ſanguine lotam decolorare, conſpurcare, & inficere: & libertatem in ſeruitutem redigere valeat. Hinc eſt, quod eius malitiæ conſultum habere vnicuique noſtrum debet eſſe cordi; circuit enim tamquam leo rugiens, quærens quem deuoret: & quamuis hoſtile ferrum in ſuamet præcordia vibret, & conuertat, nihil tamen ſinit intentatum, nihil inauſum. Imò, ſi nouit animos imbecilles, ac pauidos, vim facit: ſi imperterritos, & conſtantes, vul-

Pſ. 72.

pem induit, vt fallat, quia mille nocendi artes habet, innumeris vtitur modis, ſuperſtitioſis artibus, & curioſis, vt mortalium animos à Deo abducat, & ad ſtulta eius commenta attrahat: quæ omnia per faſcinationes, & ſortilegia mirè exercet. Ergo huiuſmodi eius malitia per ſe, & per membra ſua à multis iam ſæculis in perniciem, & corporum, & animarum diſſeminata, ſatis conſtat per opera Magorum, Maleficarum, Sortiariorum, & Sagarum; quarum ſpecimen præ ſe fert præſens volumen, ex cuius animaduerſione pullulabit veritas. Vt autem vnuſquiſq; conſulere ſibi poſſit, ſeriem hanc, cui, Compendium Maleficarum nomen addixi, & lectitet, & perlegat: & ſicut diuerſæ ſunt artes nocendi per exempla patentes, diuerſa ſunt etiam remedia illis contraria, vt cognito contra, apponatur & pro. Si quid igitur, Lector, erit, in quod horum exemplorum lectio poſſit animaduertere, & inde etiam medellam trahere, manibus in altum elatis, Deo gratias; qui ad ſui gloriam, Dæmonum confuſionem: animarum exercitium: iuſtorum perfectionem, ac damnatorum pœnam permittit, ita graſſari Dæmones ad omnium Doctrinam, & inſtructionem.

INDEX MATERIARVM, QVÆ IN HOC OPERE continentur.

IN PRIMO LIBRO.

QVanta, & qualis ſit vis imaginationis. 1
De Magia, & quot nam ſint Magiæ ſpecies. 4
An Magia habeat quoſdam effectus veros. 15
Magi per diabolum mira faciunt. 18
Quaſnam formas conſueuerit aſſumere diabolus ad homines decipiendos. 23
Miros effectus veteres olim Magis tribuerunt. 30
De pacto expræſſo, & tacito Magorũ cũ diabolo. 33
Sortilegi, diris imprӕcationibus, & factis petunt pluuiam, grandines &c. 46
Quid poſſint Magi circa eſterna. 51
An diabolus verè poſſit ditare ſuos. 57
An Magi aliqua ſenſibilia poſſint arte ſua gignere. 59.
An dæmones fiant ſuccubi, & incubi, & an ex tali concubitu poſſit ſequi generatio. 62
An Sagæ vere transferantur de loco ad locum, per nocturnos conuentus, & quo nam modo ſe gerant in illis. 68
An poſſint Magi transformare corpora ex vna ſpecie in aliam. 96
An beſtiæ loqui poſſint arte Magorum. 100

An diabolus poſſit facere, vt quis tormenta non ſentiat, dum quæſtioni exponitur. 104
An Magicis artibus, & opera dæmonum ſexus immutari poſſit. 106
An defũctorũ animę mortalib. poſſint apparere. 109
De diuerſis dæmonum, ſiuè ſpectrorum apparitionibus. 126
Quid poſſint inter ſe Cacodęmones per Magiã. 138

IN SECVNDO LIBRO.

DE Maleficio ſomnifico. 141
De maleficio venenario, & quot ſint genera maleficarum. 152
De maleficio ligaminis. 156
De maleficio amoris, & odij. 168
De maleficio incendiario. 161
Sagæ vtuntur cadaueribus humanis ad necem hominum. 149
Diabolus vult hereditariam proſapiã in ſagis. 164
Sagarũ diuerſi in genus humanũ modi vindictę. 174
De morbis varijs à diabolo illatis. 185
Quare Deus permittat diabolum ſic graſſari per maleficia. 194
De vana obſeruantia, & ſuperſtitione. 210
De ſortibus, & quot ſint genera ſortium. 217
Metus incuſſus maleficis, ac verbera ſunt optimum remedium ad auferendas, quas intulerunt infirmitates. 219
De ſomnijs, reuelationibus, viſionibus, ſeu apparitionibus. 272

Quam

Quas nam leges habeant malefici in inferendis, curandiſq; morbis. 247
Malefici in curandis infirmitatibus admiſcent ſemper aliquid religionis. 250
De prouocatione ad Iudicium. 251
De purgatione monomachiæ. 253
De purgatione vulgari per ignem. 264
Poſt multas impietates à maleficis patratas, dæmon tandem conatur eos ad interitum per ipſorummet manus inducere. 255
Quos ſemel corripuit diabolus, hos obnixè retinet, etiam in tormentis ante Iudices conſtitutos: in interioribus ſacrarijs, ac vbilibet. 259
Summarium omnium ſcelerum maleficorum paucis contentum. 262
De ſuperſtitioſis, & diuerſo Magorũ malo fine. 273

IN TERTIO LIBRO.

An liceat tollere maleficium ratione curandi maleficiatum. 277
Signa cognoſcendi dæmoniacos. 285
Signa cognoſcendi ſimplicem maleficiatum. 288
Diuinæ benignitatis, & dæmoniacæ Tyrannidis recens exemplum. 295
De tempeſtatibus multiplicibus. 290
De remedijs contra grandines, & tempeſtates. 302
Benedictio contra vermes, locuſtas, mures &c. campos, & aquas inficientes. 307
Remedia cõtra Incubos, & Succubos dęmones. 309
Remedia contra maleficia amatoria, vel odioſa. 310

Remedia pro domo à ſpectris vexata. 313
Remedia contra maleficia Iumentorum. 314
Remedia contra maleficia ligaminis. 315
De remedijs naturalibus contra maleficia. 316
De remedijs diuinis, & ſupernaturalibus. 319
De fide. 323
De Baptiſmo. 324
De Confeſſione. 328
De Confirmatione. 331
De Euchariſtia. 332
Exempla. Non eſt iocandum cum dæmonibus. 337
De Oratione. 338
De Angelo cuſtode. 340
Auxiliũ ſingulare B. Mariæ Virginis. 343
De ſigno S. Crucis. 344
De aqua benedicta. 347
De virtute ſalis, panis, cerei, Agni Dei benedicti. 350
De ſonitu campanarum. 355
Exorciſmus virtutis eximiæ ad ſoluendum omne opus diabolicum &c. 357
Benedictio quorumcumq; comeſtibilium. 379
Benedictio ignis ad comburendnm &c. 379
Benedictio medicinalium. 380
Benedictio olei ad vngendum infirmos. 381
Modus curandi febricitantes. 384

FINIS.

IN-

INDEX
AVTHORVM
In Opere Citatorum
Ordine Alphabetico diſtinctus.

A

ABulenſis.
Adrianus.
Andreas Cæſalpinus.
Anaſtaſius Nicenus.
Ananias.
Adoricus.
Alexander de Ales.
Antonius Andreas.
Ambroſius Calepinus.
Andreas Theuetus.
S. Ambroſius.
Amatus Luſitanus.
Ambroſius Ansbertus.
S. Antoninus.
S. Antonius.
Angelus.
Alphonſus Villegas.
Alphonſus à Caſtro.
Albertus Leander
Alexius ab Alexio.
S. Athanaſius.
Apollonius.
Apuleius.
S. Auguſtinus.
Arnobius.
Artemidorus.
Auicenna.
Antonius Bonfinius.
Antonius Torquemada.

B.

BAptiſta Porta Neapolitanus.
Bartholomeus Spineus.
Bartholomeus.
Banairolus.
S. Baſilius.
Balduinus Ronſeus.
Belloforeſtus.
Beda Venerabilis.
Binsfeldius.
S. Bernardus.
Bernardus Luxemburgus.
Bleſenſis.
Burcardus.
Bredembachius.
S. Bonauentura.
Bernardus Arlunus.

C.

CAietanus.
Cantipratenſis.
Calcidius.
Canzellarius Pariſienſis.
Cardanus.
Caſtaneada.
Cedrenus.
Cenſorinus.
Collumela.
Couaruuias.
Cæſtrenſis.
Cæſarius Ciſtercienſis.
Cæſalpinus.
Cæſar Baronius.
S. Cyprianus.
Chieza.
Caſſianus.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Clemens.
Clemens Alexandrinus.
Claudianus.
Claudius Charundas.

Coe-

Cocceius Sabelicus.
Conſtantinus Presbyter.
Cornelius Gemma.
Comineus.
Concilium Antiſiodorenſe.
Cornelius Chempenſis.
Concilium Nicenum.
Concilium Tridentinum.
Concillium Romanum.
Concilium Antiochenum.
Concilium Carthaginenſe.
Cornelius Tacitus.
Creſpetus.
S. Chriſoſtomus.
Cromerus. *Crancius.*
Cumanus. *Cyruelus.*

D.

S. Damaſcenus.
Daniel.
Dion Xiphilin.
Dioniſius Cato.
S. Dioniſius Areopagita.
Dioniſius Cartuſianus.
Dodechinus.
Dioſcorides. *Diſcipulus.*
Dominicus Sotus.
Dardanus. *Dodoneus.*
Dubrauius. *Durandus.*

E.

Ælianus.
Aeneas Siluius.
Emanuel Coſta.
Epiphanius.
Euantes. *Euſebius.*

F.

Federicus Iametius.
Fernelius.
Feuardenus.
Ferdinandus de Caſtillo.
Florimundus Raemundus.
Fontanus. *Fulgoſius.*
Philo.
Phlegon Tralianus.
Philoſtratus.
Franciſcus Bentius.
Franciſcus Lopezius.
Franciſcus Picus.
Firmilianus.
Philippus Camerarius.
Franciſcus Valeſius.
Franciſcus Zammarinus.
Fracaſtorius.

G.

Galenus.
Gabriel.
Gaſpar Spitillus. *Gelius.*
Georgius Pictorius.
Godelmus. *Glicas.*
Gonzalnus Mendoza.
Godeſcalcus Hollenus Auguſtin.
Gothifredus.
Gregorius Turonenſis.
Gratianus.
S. Gregorius Niſſenus.
Gregorius Cæſarienſis.
S. Gregorius Nazianzenus.
Gulielmus Neubrigenſis.
Gulielmus Pariſienſis.
Guaguinus. *Guicciardinus.*
Gulielmus Abbas.

H.

Haitonus.
Herodotus.
Hermetes Trimegiſtus.
Helinandus.
Hector Boethius.
Henricus Gandenſis.
Henricus de Aſia.
Hippocrates.
S. Hieronimus.
S. Hippolitus Martyr.
Hyppolitus Marſilius.

Hono-

Honorius Auguſtodunenſis.
Horatius Poeta.
Horatius Torſelinus.
Hugo Heterianus.

I.

IAmblicus. Iaquerius.
Iacobus Vitriacus.
Iornandus.
Iouianus Pontanus.
Innocentius Papæ.
Ioſephus Angles.
Ioannes Leo.
Ioannes Niderius.
Ioſephus à Coſta.
Ioannes Tritemius.
Ioannes de Vigo.
Ioannes Sabisbenenſis.
Ioannes Gregorius de Valentia.
Ioannes Neucler.
Ioannes Villancus.
Ioannes Baptiſta Codronchus.
Ioannes Maior.
Ioannes Archipresbyter.
S. Ioannes Chriſoſtomus.
Ioannes Gerſon.
Ioannes de Baſſolis.
Ioannes Baptiſta Suſcius.
Ioannes Molinetus.
Ioannes Beets Carmelita.
S. Iſidorus.
Iſidorus Peluſiota.
S. Iuſtinus Martyr.
S. Irreneus.
Iſaac Arabs.
Iuo.

L.

LAurentius Ananias.
Lactantius. Leuinus.
Lemnius. Lindanus.
Lycoſtenes. Lucianus.
Luitprandus. Lucanus.

M.

MAcrobius.
Marcus Venetus.
Marcus hiſtoricus.
Marſilius Ficinus.
Marianus. Martialis.
Marulus. Mardobeus.
Martinus Delrio.
Martinus Papa.
Mathiolus.
Martinus Bielchi.
Martinus de Arles.
Marcus Epheſius.
Mariana. Macrobius.
Mennas Abbas.
Metaphraſtes.
Michael Medina.
Michael Montanus.

N.

NAuarrus.
Nazianzenus.
Nicephorus.
Nicolaus Remigius.
Nicetas. Nicander.
Nicolaus Florentinus.

O.

OLaus Magnus.
Origenes.
Ouidius.
Orpheus.

P.

S. PAulus.
Paulus Emilius.
Paris de Puteo.
Paulus Diaconus.
Paulus Grillandus.
Palladius. Pamelius.
Penſa. Peltanus.
Petrus Gregorius.
Petrus Binsfeldius.
Petrus de Palude.

Petrus Bizarus.
Petrus Caniſius.
Petrus Meſſias.
Petrus Bercorius.
Petrus Bamianus.
Petrus Cluniacenſis.
Petrus Matteus.
Petrus de Chieza.
Petrus Martyr.
Pererius.
Picus Mirandulanus.
Pithagoras.
Plato. Plinius.
Plinius iunior.
Plautus. Plethon.
Pomponacius.
Polidorus Virgilius.
Porphyrius. Proclus.
Prudentius. Pſellus.

R.

Radeuicus. Ranulphus.
Rhenanus.
Ribadeneira Ieſuita.
Rodericus Epiſcopus.
Robertus Hauportius.
Roſacius. Ruffinus.

S.

Sammarinus.
Sabellicus.
Salisberienſis.
Saxo Gramaticus.
Sebaſtianus Michael.
Seruius.
Siffridus Presbyter.
Sigebertus.
Sixtus Senenſis.
Silueſter. Sigiſmundus.
Simpoſianus.
Scipio Aemilianus.
Sophronius.
Socrates. Solinus.
Sozomenus. Sotus.
Scardeonius.
Scotus.
Stephanus Durantas.
Stephanus Papa V.
Stumphius.
Suetonius.
Sprengerius.
Suidas.

T.

Taletes Mileſius.
Theodoretus.
Theophanes.
Tertulianus.
Thyreus.
Theofraſtus.
S. Thomas de Aquinò.
Thomas Valdenſis.
Thomas Phæzellus.
Thomas de Mediauilla.
Thmas Brabantinus.
Thomas Boſſius.
Toſtatus.
Teocritus.
Triezius.
Turrecremata.

V.

Vairus.
Vincentius Beluacenſis.
Villamontius.
Vincentius Bonardus.
Vuitichindus.
Virgilius Poeta.
Volateranus.
Vlricus.

FINIS.

COMPENDII MALEFICARVM.

LIBER PRIMVS.

Quanta, & qualis ſit vis imaginationis. Cap. I.

Doctrina,

DE vi imaginationis multi multa ſcripſerunt, vt Picus Mirãdulanus lib.de imaginationib. Marſilius Ficinus li. 13.de Theolog. Platonica. Toſtadus in Geneſ.cap.30. Michael Medina lib.2.de recta in Deum fide c.7. Vairus li. 2.de faſcino c.3.&alij quàmplurimi: Omnes in hoc conueniunt, ſcilicet, imaginationis eſſe vim maximam: conueniunt etiam, corpus proprium imaginãtis plurimum in illud poſſe, & hoc docetur, tum ratione, tum etiam experientia. Ratione, quia imaginatio dum retractat rerum obiectarum ſenſu perceptarum ſimulacra, excitat potentiam appetitiuam ad timorem, vel ad pudorem, vel ad iram, vel ad triſtitiam, & hæ affectiones ſic hominem afficiunt, vt calore, vel frigore, alteretur corpus, palleſcat, vel rubeſcat, vt quaſi exiliat, efferatur, vel torpeſcat, ſeu deijciatur. *a* Quocirca D.Thomas optimè tradit imaginationem poſſe in corpus imaginantis omnia, quæ naturalem coordinationem habent cum imaginatione, vt ſunt motus, locales in dormientibus: nullam verò vim obtinere ad alias proprij corporis diſpoſitiones, quæ naturalem cum imaginatione coordinationem non habent,

a pag.3.q. 13. a.[illegible]. in ad.3.&lib. 3. contra gẽt.c. 103.

vt quis adijciat ſtaturæ ſuæ palmum vnum,& quæ ſunt ſimilia.

Experientia verò probatur hoc indies in ijs noctambulis, qui in ſomnis mira faciunt, in quibus conſtat hæc per imaginationem fieri ſenſibus ſopitis. de his plura vide apud Martinum Delrio magic. queſt. lib. 1. cap. 3.

Exempla.

Lib. 1. diſquiſit. magicar. ca. 3. q. 3.

REfert Martinus Delrio, quòd Legione factum eſt ante paucos annos in quodam Collegio Religioſorum: Erat laicus quidam, qui die ſolebat pueros rudimentis Cathechiſmi imbuere: cogitationes eædem dormienti recurrebant, ita vt in ſomnis & doceret, & hortaretur, & increparet pueros æquè clamosè, & feruenter, vti ſolebat vigilans, ſic turbabat vicinorum ſomnum; itaque laicus alter, qui illi propinquus erat, de hoc ſæpe illum monuerat: quodam die illi per iocum minatur, vt ſi ediderit iterum hos clamores, ſurrecturum ſe noctu, & ad Thalamum eius iturum, & flagello ex funiculis facto illum verberaturum. Quid Gundiſlaus? (ſic. n. vocabatur) ſurgit circa mediam noctem dormiens, & egreſſus, vt decubuerat, ſtat im cubiculum fratris collegæ ingreditur, manu forfices tenens, & recta ad lectum alterius, qui fuerat minatus tendit. Vide Dei prouidentiam: Luna lucebat, & nox clara abſque nubibus erat, & frater iſte vigilabat, videt accedentem, & ipſe ſtatim ſe de lecto deijcit ab ea parte, qua murus erat aliquantulum remotior: Dormiens lectulo proximus, forficibus ter, quaterue percutit culcitram, & confeſtim reuertitur vnde venerat. Mane facto, interrogatus, negat ſe meminiſſe, neque id facere vnquam in animum vel leuiter induxiſſe, ſed tantum cogitaſſe, ſi alter cum flagello ad ſe accederet, illum forficibus perterrefacere, & abigere.

Duo ſodales ſimul peregrinabantur, tendentes patriam verſus, accidit, vt peruenirent vno die ad oppidum quoddam, in quo vnus eorum habebat amicum, apud quem diuerſatus eſt, alter verò in diuerſorio apud cauponem pernoctauit, vt die ſequenti eorum iter ſimul etiam aggrederentur. Factum eſt, vt Caupo nocte dum dormiret peregrinus, auiditate auferendi ipſius pecunias, illum occideret, & poſtquam occiderat, ſecum ipſe cogitabat quomodo cadauer clam extra vrbem deportaret ad ſepeliendum. In ipſa nocte affuit occiſus per viſum ſodali dormienti, & diuerſanti apud amicum, dicens; Sodalis, ſodalis auxiliare mihi, quia Caupo vult me occidere. Poſt ſpacium aliquot horarum affuit ſecundo,

di.

dicens: ah ſodalis non es mihi auxiliatus, & ecce, quòd crudelis Caupo perdidit me. Poſt aliud temporis interuallum ipſiuſmet noctis affuit tertio in ſomnis, dicens, quæſo Sodalis, vbi mihi opem non tuliſti, vt eriperer de manibus interficiétis, nunc exanguis iaceo, & cogitat homicida corpus abſtrahere meum, ad ſepeliendum in campis extra vrbis mœnia, iamque illud intra ſtercora ſuper currum præparata inuoluit, ne patiaris hoc rogo pro tua in me beneuolentia, ſed cura ſaltem, vt eo honorificentiori modo, quo fieri poterit, ſepulturæ tradatur. Mane facto expergiſcitur ſocius, & perterrefactus ſomno, ſurgit ſtatim, & adit Sodalem ſuum: petit à Caupone, vbi nam Sodalis meus? qui reſpondit verba Cain, nunquid ego cuſtos ſum eius? ſurrexit, & abijt, ſecum aſportans ſua; quo ierit neſcio. Perſtitit aliquantulum ſocius, ſecum cogitans quid ſibi agendum eſſet, & interim videt in curia currum ſtercoraminibus onuſtum: afflictus imaginatione ſomni miſellus, & non inuento ſocio, rem tacitus intra ſe perpendit, & expectato aliquo temporis ſpacio, percunctatur adhuc, an redierit ſocius, nó redijt, reſp., fortaſſe iter ſuum eſt aggreſſus. Eia, inquit, comes viuus, valeto, ſi uenerit ſocius meus, dicito ei, quòd ego iter præiui, me ſequatur: & directo greſſu ad Prætorem Capitalem factum de ſocio ſuo aperit, dat ſigna onuſti currus ſtercoramine, ac ea omnia ſuppeditat, quæ ad informationem ſunt neceſſaria. Mittit Prætor Satellites, qui à longe ſtantes attendebant quid nam caupo facturus eſſet: Exiſtimans autem homicida omnia eſſe ſedata, quia ſocius mortui iam diſceſſerat, emittit currum è domo, iter habens extra Vrbem: hoc Sattellites attendunt, occurrunt, & aiunt; quo, quo bone vir, ad quid hæc ſtercora? nobis eſt impoſitum intercipiendi ipſa, & euerſo in terram curru, inueniunt peremptum ſocium intra ſtercora illa iacentem: comprehenditur homicida, & dat condignas delicti atroces penas.

Nobilis quidã hiſpanus cognomẽto, Tarpius, miras per ſomnũ patiebatur paſſiones, ita vt nocte ſurgeret, & in domo ſua multa hinc inde diſcurrens perageret, ſemper tamen ſopitus. Domeſtici autem eius ſibi timentes, iuxta lectum vas aquæ ſiſtere conſueuerunt, qua madefactus, ſtatim euigilaret, vti experientia in noctãbulis compertum eſt. Factum tamen eſt, vt quadã nocte, ſub eſtu, Tarpius eo animo ſurgeret, vt refrigerij gratia, in non longè diſtans flumen nataret. Quarè leui palio, & ſubucula ſolum indutus, domus portas recludens, exiuit, ſemper dormiens. In exitu autem Ciuitatis, factus eſt ei obuius homo alter, qui ſiſcitatus ab eo, quo nam tenderet ſub noctis medium, reſpondit Tarpius, quòd

vi æſtus exágitatus,ſtatuerat proximum flumen natando traijcere. Cui ſubiunxit alter. Et ego eademmet cauſa iter hoc aggredior,vt immergar,quarè, vnà progredi, ne quæſo graueris. Eia, dixit Tarpius,ſequamur, & ſic inuicem colloquentes, ventum eſt ad flumen. Tarpius ſubucula exutus immergere ſe parabat,alter verò illum deridens,ait, mihi videris natatoriæ artis ſatis imperitus. Cui Tarpius, ſcito,me,nec tibi,nec cuiuis in hoc eſſe ſecundum. Subdidit alter,nunc nunc videre licebit, ſi quod ego paratus ſum facere,& tu feceris. His dictis, pontis ibi fixi ſummitatẽ petiuit,& in globum cruribus,manibuſq; aptatis,ſe præcipitio in fluminis alta dedit, qui natando clamabat, ò tu, qui tanta de te promittis,per eandem viam me ſequere. Tarpius, ne videretur tunc timori cedere,adiuit,& ipſe pontem,& ſic dormiens in aquã ſe demiſſit,quarè madefactus, ſtatim euigilauit, tremens, ac ſtupens;cępit tamen doctè natare,reſpicereq; in quam partem diuertiſſet ſodalis (ſibi enim videbatur verè natare.) Verum,videns ſe à dęmone illuſum, Virgini Marię deuotè ſe commendans, multo labore interim tranauit; inde ad pontem reuerſus, vbi pannos reliquerat,palium,ac ſubuculam ſuam tãtummodo reperit, & tunc certior fraudis factus,domum verſus,pauens,iter eſt aggreſſus,& domeſticis eius eum quęrentibus obuius factus,omnia ordine eis, vt acciderant, explanauit, ſicq; factum eſt, vt deinceps Tarpius ſomno vteretur leuiori,& ſua magis prudenter exequeretur,ne itęrum à dęmone deciperetur.

De Magia. Cap. II.

Doctrina.

MAgiæ quatuor ſunt ſpecies,quarum vna dicitur naturalis,alia phyſica,alia præſtigiatrix,& alia dæmoniaca. Naturalem Magiam cum cæteris ſcientijs Adamo Deus largitus eſt, à quo poſteritas edocta; per manus,& orbem eam propagauit.Hęc nil aliud eſt quàm exactior quædam arcanorum Naturæ cognitio,qua cœlorum ac ſyderum curſu, & influxu, & ſympathijs, atq; antipathijs rerum ſingularum obſeruatis,ſuo tempore, loco, ac modo,res rebus applicantur,& mirifica quædam hoc pacto perficiuntur,quæ cauſarum ignaris,præſtigioſa vel miraculoſa videntur: Veluti,cum Tobias paternam cœcitatem felle piſcis diſcuſſit,quam vim Callionymo piſci tribuũt cum Galeno pleriq;. Itẽ,

cum

cum tympani ex lupina pelle ſonus, aliud tympanum ex agnina tenſum diſrumpit. Præclara illa ſunt, quæ, refert Auguſtinus *a* de pauonis carne neſcia putreſcere: de paleis frigore ſuo niues conſeruantibus, & calore ſuo fructus maturantibus vi contraria: De calce, quæ cum ignitam in ſe vim habeat, aqua accenditur, & infuſo oleo, non accenditur. De Agrigentino ſale, qui liquatur igne, & aqua induratur, & crepitat. De Adamante, qui maleo reſiſtit, & ſanguine hirci rumpitur. De Magnete, qui ferrum ad ſe trahit, & paleas aſpernatur. De lapide Asbeſto, qui ſemel accenſus, ardet inextinguibiliter. De ligno fici Aegiptiaci quod in aquam proiectum, mergitur, & cum benè humectatum fuerit, aquis ſupernatat. De fonte illo, cuius aqua die adeo frigida eſt vt potari nō poſſit, nocte verò adeo ferueſcit, vt tangi minimè poſſit. De alio fonte illo, in quo intincta accenſa face extinguitur, & extincta accenditur. De argento, quod cum ex ſui natura album ſit; notas tamen in carta nigras effingit. De Salamandra, quæ in igne degit, & non comburitur. De igne, qui lapides aduſtos albefacit, & ligna è contra nigreſcunt. De carbone, qui digitis teritur, & ignis virtute fit incorruptibilis, ita vt, ſi in fundamentis ædificiorum ponatur, per ſecula integer perſeuerat. Et alij Patres addunt, vt Tertullianus, de Dictamo herba, quo Ceruus ſagittas expellit: & de Chelidonia herba, qua hirundines cæcos oculant pullos. De Psyllis, & Marſis, iuxtà Plinium, odore ſerpentes ſoporantibus, & impunè laceſſentibus. De Pici Martij herba cuneos adactos expellente, ita vt communiter dicatur eam ſerras aperire. Prætereo alia permulta ab Ariſtotele, & alijs narrata. *b* Apud Triezium authorem lib. de dœmonum deceptionibus quædam narrantur, meritò pacti Satanici ſuſpecta, Helitropiam facere homines inuiſibiles: item argento viuo inter duas arundines poſito, incantationes impediri. Rutam, furto ſublatam, & Ocimum, ſiue Baſilicam herbam, cū conuitijs plātatam, vberius prouenire. Item, ſeptem quædam herbulei gramina iacta in conuiuio, conuiuas omnes ad rixas prouocare, vah, quot vana ſcripſere homines.

a lib. 21. de ciu. Dei cap. 4. 5. & 6.

b lib. de admir. auditionib⁹.

Phyſica, ſen Artificialis Magia, mira quędam per humanam induſtriam perficit: & hanc Mathematicam voco, quæ nititur principijs Geometricis, Arithmeticis, vel Aſtronomicis, huius exempla ſunt, ille in Syracuſarum obſidione nauium per ſpecula combuſtiones. Archite Tarentini Columba lignea volans. Leonis Imperatoris Aues aureæ cantantes; & Boetij aues æreæ volantes, & cantantes: Serpentes ex eodem metallo ſibillantes, & ſimilia multa. Supponimus autem, nihil hanc efficere poſſe, quod rerum naturæ

turæ repugnet, imo indigere cauſarum naturalium ope, certo motu, & dimenſionibus applicatarum, vt in ſpeculis illis Archimedis patet. Quare, ſi quis effectus proponatur cauſarum naturalium efficacitatem ſuperans, ille ad præſtigioſos referri debet, etiamſi humana induſtria ad inſtrumenti confectionem, motumuè concurrerit. Quamobrem, non eſt ſubſcribendum Medinæ, & aliorũ opinioni aſſerentium caput Aeneum Alexandri Magni, humano artificio articulatè locutum, quia humana induſtria nundum huc vſq; pertingit, nec naturalis ratio patitur, vt res inanimata, uocẽ humanam, ad lubitum interrogantium reſpondendo, emittat, hęc enim, vitam, & reſpirationem in loquente perfectiſſimam vitaliũ organorum cooperationem, & quendam diſcurſum loquentis, requirunt, quæ omnia, cum huic capiti defuerint, ſi loquebatur, ille loquebatur in capite dœmon, qui in ſtatuis Idolorum oracula da-
c. Pſal. 134 bat, hoc probatur. *c* ſimulacra gentium argentum, & aurum: os habent, & non loquentur, neq; enim eſt ſpiritus in ore ipſorum.

Alia eſt ſpecies Magiæ præſtigiatoriæ mixtorum effectuum ex veris, & falſis, ſiuè apparentibus tantum. Ad præſtigiatores refero, quod de Paſete proditum eſt incantamentis quibusdam feciſſe, vt repentè Conuiuiũ ſumptuoſum exhiberet, rurſus ad libitum ſuum euaneſcerent omnia: ſolebat etiam res emere, & prætium numerare, ſed mox numi clam à venditore, ad emptorem redire cernebantur. Talia ſunt pleraq; quæ de Simone Mago legimus apud D. Clementem Romanum; eum ex aere nouum hominem creaſſe, & quibus volebat, inuiſibilis fiebat. Saxa, quaſi lutum penetrare videbatur: Statuas animare; in ignem poſitum, non arſiſſe: duas facies inſtar Iani ſe habentem oſtendiſſe: In ouem aut Capram ſe immutaſſe: in aerem ſublatum volaſſe: Aurum plurimum repente exibuiſſe. Ad hanc etiam artem pertinent pleraq; eorum, quæ à Circulatoribus, & funambulis creduntur fieri incantationibus, cum fiant pedum, vel manuum agilitate: Interdum etiam fiunt, per animalia longo vſu edocta, vt quæ narrat Ioannes
d. lib. 8. & 9. Leo. *d* deſcriptione Africæ de Aſino, & Camelo. Interdum, per meatus occultos, aliquibus ſubingreſſis vt faciebant Beli Sacerdo-
e. Daniel. 14. tes, qui à Dracone cibos deuorari fingebant. *e* Hæc Magia naturalis per ſe bona eſt, & licita, ſicut omnes artes bonæ per ſe ſunt, ſed per accidens eſt illicita, ſcilicet, quando in malum finem refertur: quando ſcandalum oritur, eo quod putentur hæc fieri ope dœmonum: ſi aliquod indè ſpirituale, vel temporale damnum corporis, & animæ immineat ipſi Circulatori, vel ſpectatoribus, quia damnantur, qui ſine neceſſitate, vel cauſa iuſta, ſe mortis peri-

culo exponunt per luſum. Notandum autem eſt à diabolo ſic medium diſponi poſſe,vt vna res,alia videatur, & talia experimenta plurima à Circulatoribus fieri. Sciendum eſt etiam, eos ſolere, decem magicis præſtigijs,vnum ſubtilitatis, ſeu agilitatis artificioſè actum miſcere,vt perſuadeant, quæ ab ipſis aguntur, citra præſtigium fieri, ſed ſola dexteritate, & arte, vt ſi quid ſortilegij admiſcent,id agilitatis,& ſubtilitatis eſſe videatur. Amat, diabolus homines ad riſum prouocare, vt læti, ac hilares ſequantur impietatem,ſic præſtigiatores iſti iocularij,Circulatores, ipſos Iudices ſæpè ad ineptam quandam lætitiam, & admirationem pertractos faſcinant,vt cuncta ipſis iocatoria ſolum videantur. Reliquum eſt,vt agamus de Magia Dœmonica.

Antequàm ad Magiam dœmoniacam demonſtrandam deueniamus,opere pretium eſſe duco prius perquirere, an ſint dœmones,à quibus dœmoniaca Magia nomen ſortitur. Dœmones ergò eſſe,credo omnes pro certo habere,quia non ſolum fideles, ſed, & infideles hoc indubitatè tenent. Plato enim philoſophus, vt refert Auguſtinus. *f* diuidit ſpiritus rationales in tres differentias, Deorum,ſcilicet,dœmoniorum,& hominum. Primi, aiebat ille, cœleſtia; ſecundi,aerea; tertij,terreſtria corpora informant. Et quis eſt,qui non nouerit inſignem illam Platonicorum diuiſionē, de Cacodœmonibus,& Calodœmonibus, ideſt de bonis, & malis iritibus? Idem Plato, *g* affirmat,quòd omnes nos indigemus Diuino auxilio contra dœmones. Taletes Mileſius philoſophus ſcripſit,mundum eſſe plenum dœmonibus. Lactantius ait, Socratem habuiſſe ſpiritum familiarem. Hermetes Trimegiſtus aſſeruit dœmones eſſe;de his etiam diffusè ſcribit Calcidius ſupra Timeum. Probatur etiam auctoritate veteris, & noui Teſtamenti. Nam Gen.3.dicitur,quòd tempore quo Adam, & Eua nudi erant in Paradiſo,erat alia quædam creatura alterius ſpeciei rationalis præter hominem,cum dicitur; ſed,& ſerpens erat callidior cūctis animantibus terræ, &c. quiquidem ſerpens, non propria natura, ſed quadam intellectuali natura ſerpenti aduentitia Euæ loquebatur, & hanc rationalem creaturam præter hominem, dicitur fuiſſe diabolum. Iob quoque cap.20.legitur. Vadent,& venient ſuper eum horribiles omnes dæmones, tenebræ abſconditæ ſunt in oculis eius. Item Matth.cap. 25. diſcedite a me maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo,& angelis eius. Hæc igitur ſunt teſtimonia, & authoritates philoſophorum aſſerentium dœmones eſſe; Omitto authoritates Poetarum,quia,vt plurimum

Probatur quòd ſint dœmones.

f. lib.8. de Ciu. Dei.

g. in lib. de legibus.

fictio-

fictionibus vtuntur. Videtur tamen Virgilius apertè hanc veritatem confirmare his verſibus.

At phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi corpore poſſit
Excuſiſſe Deum; tanto magis ille fatigat,
Os rabidum, fera corda domans, fingitq; præmendo.

Sed, quid aliud ſunt tres illæ infernales furiæ. Alecto. Tiſiphon, & Megera, quàm dœmoniorum qualitates? Alecto, idem ſonat, quòd, Inſtabilis, & diabolus nunquàm quieſcit. Tiſiphon, irata vox, ſonat, vt ſcias quòd diabolus te impellit ad odium, indignationem, & vindictam. Megera, idem eſt, quod, lis, & controuerſia; & diabolus ſuſcitat rixas, & contentiones. Quarè, iſthæc Teſtimonia in medium adduxi, non pro Chriſtianis, qui hanc veritatem ex ſacris litteris nouerunt, ſed pro illis, qui nimis contentiosè philoſophari volunt, probando dœmones non eſſe.

Deſcribitur eorum natura.

In principio creauit Deus Cœlum, & terram, Cœlum repleuit ſpiritualibus ſubſtantijs, ideſt, Angelis, & Intelligentijs, ſemper mobillibus, ſapientiſſimis: viribus præſtantiſſimis, & ſupra modũ pulcherrimis. Ex his, quidam gratia Dei orbati ſunt, quia à Creatore ſunt auerſi, idcirco, de cœlorum habitaculo depulſi, & ad Inferna deſtinati ſunt, tamquam in malo confirmati. Spiritus, qui in cœlo remanſerunt, nomen Angelorum ſortiti ſunt, & qui ceciderunt, dœmones, ſiue diaboli, dicti ſunt. Horum, vtriq; ſua naturalia retinuerunt: illi, gratia, & fœlicitate: iſti, culpa, & miſeria aſſociati. Sunt igitur dœmones pulcherrimi, doctiſſimi, fortiſſimi, ficut Angeli cœleſtes, reſpectu naturæ ſuæ, verum eorum culpa effecit, vt nec pulchritudine, vi, nec ſapientia poſſint contra homines potiri, niſi quantum à Deo permittitur, Quo ad eius pulchritudinem, ſi poſſet dœmon, oculis noſtris ſe exibere ſub ijs formis, quibus vellet, cum eius ſubſtantia ſit inuiſibilis, certumeſt, quòd ſpecioſiores, & elegantiores formas artis, & naturæ apprehenderet, ſed Deus, qui vult docere nos, quòd, & ſi dœmones naturaliter pulchri ſint, culpa tamen eorum facti ſunt deformas; propterea vult, ipſos ſe obtutibus noſtris, ſub horribillibus formis, quibus homines perterrefaciant, præbere. Hinc eſt, quod, dum loqueretur Euæ, ſub forma ſerpentis apparuit, qui ex ſui natura horribilis eſt. Scire tamen debes lector, diabolum fulgenti, & lucido criſtallo, non eſſe diſſimilem; quia, ſi quis illud atramento coinquinet, totum tenebroſum videbitur, quamuis ex ſui natura lucidum ſit; ſic ille, quàmuis ex ſui natura pulcherrimus ſit; malitia tamen, qua ſuperabundat, horridum, & tenebroſum, reddit.

Ha-

Habent præterea dœmones mirabilem ſcientiam, quià, quàm grã dis ſit cœli, corporumq; cœleſtium virtus, optimè nouerunt: naturam, & vim elementorum, herbarum, & lapidum, non ignorant.ᵍ Sunt Mathematici perfecti, optimiq; Medici; & tandem, omnes ſcientias, & artes poſſident. Quarè, ſi Deus permitteret, vt contra nos exequi poſſent quidquid volunt, quis euaderet eorum manus? Sed, ſicut non permittit Deus vt eorum ſcientia ſit in detrimentum noſtrum, ſic etiam, vt contra exiguas vires noſtras, eorum vim maximam exerceant, non patitur. quanta autem poſſit diabolus, alibi demonſtrabo.

His, ita ſe habẽtibus, dico, plurimos eſſe, qui fatẽtur eſſe dœmones, ſed negare, hanc Magiam à dœmonibus, ſeu diabolis, pullulare. Iſti tribuunt effectus huius Magię immediatè Deo per Magos huiuſmodi operanti, quod blaſphemum, & execrandum eſt dictu: vel tribuunt Deo, per Angelos bonos ea perficienti, quod etiam erroneum eſt aſſerere. Nos dicamus cum catholicis, quòd, nec per ſe, nec per bonos Angelos, his magicis operationibus Deus ſe immiſcet Magis, quã cæteris rebus in quib. cõcurrit vt cauſa vniuerſalis: Quarè, cenſeo hæc oĩa, ſicut inſtituta fuerũt à malis Angelis, ſic etiam ab illis perfici, & adminiſtrari, & contrarium aſſerrere, error eſt. Hoc probatur ex pariſienſibus Articulis. 9. 10. & 23. cuius verba ſunt hæc. Quòd Deus, per artes magicas, & maleficia inducatur compellere dœmones ſuis incantationibus obedire, error eſt. Quòd, boni Angeli includantur in lapidibus, & conſecrent imagines, vel veſtimenta, aut alia faciant, quę in iſtis artibus continentur. Error, & blaſphemia. Quòd, aliqui dœmones boni ſint, alij omnia ſcientes: alij, nec damnati, nec ſaluati, error. Probatur etiam per Arnobium contra gentes, his verbis. Magi, non tantum ſciunt dœmonas, ſed etiam quidquid miraculi ædunt, per dœmonas faciunt, illis aſpirantibus, & infundentibus præſtigias ædunt, vel quæ non ſunt, videri; vel quæ ſunt, non videri. Probatur etiam à Ioanne Salisb. *h*. his verbis. Eos antem, qui nocentiora præſtigia, arteſq; magicas, & varias ſpecies Mathematicæ reprobatæ exercent, iam pridem Sancti Patres ab Aula iuſſerunt exire, eo quod omnia hæc artificia vel potius maleficia, peſtifera quadã dœmonum, & hominum familiaritate nouerunt profluxiſſe. Probatur ratione per Martinum Delrio. *i* his verbis. Hi ſpiritus, boni dici non poſſunt eſſe, tum, quia iubent ſe, tamquam Deos adorari, & ſacrificia ſibi fieri, quod boni Angeli, non audent iubere: tum quia, hæ artes, non minus diriguntur ad inferendum alijs exitium, per furta, neces, adulteria, &c. quàm ad iuuandum: tum quia immiſcent

h lib. 1. de nug. curialibus ca. 9.

i lib. 2. mag. diſq.

miſcent multa mendacia, & deceptiones: tum, quia docentur Magi in ſpiritus vti imperio,& coactione,imo,& minis rerum impoſſibilium,ac plenè abſurdarum,quorum nihil Angelis bonis poteſt conuenire.

Sciendum præterea,hanc dœmoniacam Magiam diuerſa ſortiri nomina,ſicuti diuerſimodè per Magos exercetur. Dicitur enim Onomantia, & Theophania. Chyromantia. Axiomantia. Lecanomantia. Catoptromantia. Pyromantia. Geomantia. Necromantia ſiue Necyomantia. Capnomantia. Coſinomantia. Hydromantia. Coſmologia,& Aeromantia.

Onomantia, & Theophania eſt, quæ conſtat, ex numeri paris,& imparis exceſſu, & per hanc Achiles cognouit ſe Herculem necaturum.

Chyromãtia eſt,quę fit per lineas manus,nã lineis manus conſideratis fit diuinatio de occultis,& futuris. Hæc diuiditur in phiſicam,& Aſtrologicam. Phyſica Chyromantia licita eſt, quæ eſt ars Phyſionomiæ,hæc per lineas,& partes manus cõſiderat ipſam corporis temperiem,& ex temperie corporis, probabiliter demonſtrat animæ propenſiones. Hanc artem probat Ariſt. *l* Aſtrologica,vana prorſus,& illicita eſt,nec ſcientiæ nomen meretur; Sixtus enim.V.Pont.Max. in bulla ſuper hoc ædita,definiuit non eſſe ſcientiam,eamq; damnauit. Hanc etiam tamqam vanam damnauit Franciſcus Valeſius. *m* doctiſſimus medicus. Ars iſta palmam manus primo in certos colliculos,areolas, & lineas diuidit: Areolis planetas ſingulos, & lineis aſtra quædam præficit; hanc vanam artem profiteri ſolet gens illa,quæ vulgo (zingari,dicuntur) quæ totam peruagatur Europam.

l lib. 1. hiſtor. anim. cap. 5. & 30.

m fac. phi loſo. ca. 32.

Axiomãtia eſt,quæ fit ſecuribus,& alijs inſtrumentis ad dolandum aptis. Securim enim rotundo infigunt palo, & ex eius motu furem depræhendunt, ſed quando petitur diuinatio ſucceſſus futuri,tunc imponunt ſecuri Gagatem lapidem,vt ait Plinius. *n* Lecanomantia eſt,quæ fit peluibus,quas Græci, lecanas,vocant;Vnde apud Perſas dicebantur lecanomantici Magi,quaſi ex peluibus diuinantes,vt meminit ſtrabo *o* Hodiè Turcæ ea vtuntur,nam in peluim aqua plenam inijciunt præcioſos lapides, auri, argentiq; laminas cum varijs characteribus, & tunc reſponſum ex peluis fundo auditur.

n lib. 36. cap. 19.

o lib. 15.

Catoptromantia eſt,quæ fit per ſpecula,de huiuſmodi meminit in Iuliano Spartianus cum ait; Carmina prophana incãtauerunt, & ea,quæ ad ſpeculum dicunt fieri,in quo pueri præligatis oculis incantando,futura reſpicere dicuntur. Sed,& de Pythagora memo-

morant recentiores, ſolitum concauo ſpeculo ſcribere litteras humano ſanguine, ſpeculumq; lunæ opponere, & ſic diuinare.

Pyromantia eſt, quæ fit per igné, fulgura, & lumina, ac ſtrepitus, huius inuentor fuit Amphiaraus.

Geomantia eſt, quæ fit per terram ad aliquod occultũ inquirendum, per protactionem punctorum, vel per conſiderationem figurarum, quæ proueniunt ex plumbo liquefacto, in aquam proiecto; ſeu ex quibuſdam cedulis ſcriptis, vel non ſcriptis in oculto repoſitis, dum conſideratur quis, quam cedulam recipiat; vel etiam taxillorum proiectione, quis plura puncta proijciat: vel etiam dũ conſideratnr, quid aperienti librum occurrat, quæ omnia ſuperſtitioſa ſunt, & illicita, quia conſortio dœmonum exercetur.

Necromantia, ſiuè Necyomantia eſt, quæ fit per euocationes vmbrarum, & per inferorum colloquia, à qua nomen ſumpſerunt Necromantici, quorum incantationibus, mortui reſuſcitari, diuinare, & ad interrogata reſpondere videntur. Huiuſmodi, quidam volunt fuiſſe Samuelis animam à Phytoniſſa euocatam arte dœmonis, aſſerentes fictitiam fuiſſe, nempe, dœmonem laruatum adueniſſe, non veram animam Samuelis. Verum S. Auguſtinus *p* quem ſequitur Toſtatus, Liranus, & alij, aſſerit affirmanter, veram Samuelis animam apparuiſſe Sauli Regi, non vi carminis magici euocatam, ſed Dei imperio aduenisſe, vt impium Regem repræhenderet, eumq; ad pœnitentiam, denuntiatæ mortis metu, prouocaret. Hanc artem, nonnulli Scyomantiam vocari putant verum inter Scyomantiam, & Necyomantiam aliqui diſtinguendum putant, quòd videlicet, in Necyomantia, ad erigendum cadauer ſit neceſſarius ſanguis, in Scyomantia verò ſolum ſufficiat vmbrę euocatio.

p li. de cura pro mor. agen. ca. 5.

Capnomantia eſt, quæ fit ex fumo aræ, cuius motu futura cognoſcebant.

Coſinomantia eſt, quæ fit per cribrum, quo genere in hanc vſq; diem mulieres nonnullæ in Galia vtuntur, ad inueſtiganda, quæ per furtum illis fuerunt ablata.

Hydromantia eſt, quæ fit per aquam, vnde ſcribit Auguſt. *q* Numam Pompilium Hydromantiam feciſſe, vt videret imagines Deorum, vel ludificationes dœmonum, à quibus ſciret, quid in ſacris conſtituere, atq; obſeruare deberet. Varro, hoc genus diuinationis dixit origmem traxiſſe à Perſis, quo præter Numam Pompiliũ, Pythagoram quoq; vſum fuiſſe. Coſmologia eſt, quæ fit ex figuris nonnullis, ac Arabum litteris ordine diſtinctis: per hanc fatentur multa, & varia præſcire.

q lib. 7. de Ciu. Dei.

Aeromancia eſt, quæ fit per ventorũ varios flatus, per aeris conſtitutiones, & quaſi ſtellarum formas ſcintillantium.

Reliquum eſt nunc, vt videamus, quã diuerſimodè vocetur diabolus à Magis, Necromanticis, ſortilegis, & facinoroſis huiuſmodi hominibus. Dæmones igitur ab Hebreis vocantur, Malachim, Raaim, ideſt, Angeli mali; Raſhe, Galyoth, ideſt, principes captiuitatis. Satainim, & Elilim, ideſt, vanitates, ſeu ſimulacra, & Sedim, ideſt, dæmones, ſpiritus deceptores, ſpiritus improbi, qui terrorem incutiunt. Latini appellant eos, Manes, lares, Genij, laruæ, Lemures. Sed præter hæc nomina diabolus vocatur etiam, Hecate, triuiorum, & quadriuiorum præſes, triplici facie, dextra equi, ſiniſtra canis, media fœmine. Hoc ſpectrum immittit terrores, circundatur enim multitudine canum, qui emittunt latratus, & vlulatus terribiles, & cum mutat ſpeciem, Empuſam, vocant, quæ idem eſt, cum Proſerpina Plutonis vxore.

quàm diuerſo nomine vocetur diabolus.

Vocatur, Pluto, eo quod mortem in orbem induxerit. Vocatur, Charon, ideſt, iracundus, & furore plenus. Dicitur Cerberus, ideſt, canis terræ, ſic appellatus à Zoroaſtre. Dicitur, Alaſtor, idem cum Nemeſi, nam Nemeſium finxerunt ſcelerum vltricem, & Zoroaſter vocat illum carnificem, quia nihil eum latet eorum, quæ Deus permittit perdere ac deſtruere. Alij dicuntur. Satyri, quorum Princeps, Faunus; huic terribiles, & inopinatos ſonos tribuunt; hunc Pſellus vocat Aſinipedem. Item vocantur, Talpæ, & Veſpertiliones, quaſi odientes lucem. Dicuntur Aegijpanes quaſi Capripedes, quales fingunt poetę. Ex his ſpectris lucifugis, & nocturnis eſt Princeps Succuborum dæmonum, quem Hebrei vocant, Lilith, ideſt, apparitionem nocturnam, quia non ſolent tales dæmones viris eſſe infeſti, niſi nocte ſic enim orat Eccleſia ſancta cum Patre noſtro Ambroſio.

Procul recedant ſomnia,
Et noctium phantaſmata,
Hoſtemq; noſtrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Incubi dæmones etiam de die graſſantur, quorum principem conſtituunt, Pana, Hebrei hunc uocant, Haza, nos verò per excellentiam, In cubum, à verbo latino, ineundi, ardere enim hunc dæmonem, & ei ſubditos, amore improbo fœminarum veteres cenſuerunt, non quòd delectentur concubitu, ſed quòd gaudeant ab hominibus Deum offendi, & genus humanum tam fœdè contaminari. Verum eſt enim omnes dæmones optare grauiſſima mala hominibus inferre (ſi Deus permittat) quia hoſtile odium in

ho-

homines eſt: grauius in Chriſtianos: ſæuiſſimum in Religioſos, & Virgines Deo dicatas, quamuis non noceant, niſi quantum Deus permittit nocere. Vocatur etiam diabolus, Eurynomus, quem dicunt, longis, & prominentibus dentibus eſſe; corpore liuido, ac cadaueroſo, formidabilem, pelle Vulpina veſtitum, cadaueribus mortuorum veſci ſolitum, & vſq; ad oſſa deuorantem. Eſt, &, Sphinx, monſtrum illud apud Thebanos, cuius caput, & manus puellæ: corpus, canis; alæ, auis: vox, hominis: Vngues, Leonis; cauda, draconis: Item, Syrenes, quas Theodoretus vult fuiſſe dœmones; ad voluptatem incitantes. Sunt, Erinnyes, ſiue, Eumenides, infernales furiæ apud Poetas, quas latini Pœnas, vocauerunt. Sunt &, Nymphæ, quarum, quædam aereæ, vt Sibilla apud Plutarchum: quædam Terreſtres, vt Oreades, Napeæ, Driades, Hamadryades: quædam aquaticæ, ut Nereides, & Naiades, maris, & fluuiorum incolæ, quas omnes dœmonum ſpectra fuiſſe conſtat. Vocatur etiam, Acco, Alphito, & Mormo, ſpectrorum genus, quo Nutrices conſueuerunt infantes terrere, vt quieſcant, hæc autem nomina ſunt deſumpta à perſonis Comicis, quæ eorum deformitate terrorem adferunt. Sunt & Lamiæ, de quibus Iſaias. 13. Has D. Hieronimus, & alij Patres vera dœmonum ludibria, ſiue ſpectra fuiſſe docuerunt.

Vt autem regrediamur ad propoſitum Magiæ præſtigiatoriæ, & dœmoniacæ, ſciendum eſt, huic peſſimæ arti adherere ſemper ſiuè expreſſam, ſiuè tacitam diaboli inuocationem, quia quidquid fit ab homine ad futura cognoſcenda illud ope, & conſilio dœmonis fit. Grande mehercule opus iniquitatis illud eſt, ſeſe diabolo dedere, vt futura cognoſcantur, quapropter dicam, cum doctiſſimo Gaietano, quòd ſicuti Dei amici ſæpe ab Angelis, diuerſis apparitionibus ſanctis confortantur, & viſitantur, quibus ſpes futuræ fœlicitatis æternæ ipſis impenditur; ita iſtis, quibus apparent dœmones, aut, qui à falſis, & apparentibus viſionibus eorum decipiuntur, certum, & indubitatum æternæ mortis, & infernalis damnationis pignus datur. Idcirco damnabilliſſimam hanc artem vetat Scriptura ſacra *r* Ait Dominus. Ne declinetis ad Magos neq; ab Ariolis aliquid ſciſcitemini. Item *ſ* Nec ſit Maleficus, nec incantator nec Pythones conſulat, nec Diuinos, nec quærat à mortuis veritatem. Item *t* Dominus damnat Magos dicens. Vir, ſiue mulier, in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus morte moriatur: Lapidibus obruent eos, & ſanguis eorum ſit ſuper eos. Sacri tandem Canones habent tales infames, ſceleſtos, & reos homines priuantes eos communione Sancta. Et Auguſtinus

r leuit. 19.
s Deutron. cap. 18.
t leuit. 20.

habet

habet omnes Magos apoſtatas, Dei inimicos, & mentecaptos, quia diabolum ſæuiſſimum hoſtem, in ſceleſtiſſimis rebus perficiendis conſulunt.

Exempla.

COloniæ citabatur uirgo quædam, quæ mira in conſpectu nobilium feciſſet, quæ arte magica videbantur fieri: mappam enim quandam dicebatur laceraſſe, & ſubito in omnium oculis redintegraſſe. Vitrum quoddam ad parietem a ſe iactatum, & confractum, in momento reparaſſe, & ſimilia: manus Inquiſitoris euaſit excommunicata.

Narrat ſupra citatus quidam, quòd in Francia Triſcalinus Circulator coram Carolo nono, aliàs laudato Rege, à quodam Nobili ab eo remoto pelliciebat cunctis videntibus torque annellos ad ſe ſigillatim, eosque manu recipiebat aduolantes, vt videbatur, nihilominus mox torquis integer, & illæſus repertus fuit. Hic conuictus multorum, quæ, nec arte, nec artificio humano, nec natura fieri poterant, confeſſus eſt, opera Diabolica cuncta perfeciſſe, quòd ante obſtinatus negauerat.

Ioannes Tritemius refert ex antiquioribus, quòd anno 876. tempore Ludouici Imperatoris, Sedechias quidam Religione Iudæus, profeſſione Medicus, ſtupenda quædam coram principibus viris fecit; videbatur enim hominibus ipſum deuorare currum onuſtum fœno, cum equis, & Auriga: inſuper amputare capita, manus, & pedes, quę pelui coram impoſita ſanguine ſtillantia, cunctis ſpectanda præbebat, & ea ſtatim hominibus illæſis ſuo quoque loco reſtituebat. Media bruma hortum amæniſſimum in Cæſaris palatio arboribus, herbis, floribus, cantu auium, ſubito natis, & auditis producebat.

a Decade 2. rerum ſicularum lib. 5. ca. 2. Idem c. 1. lib. 3. decade 1.

Thomas Phazellus *a* mira refert de quodam Diodoro, quem vulgus Liodorum vocat, hunc Magica arte imbutum miranda pręſtigiorum machinatione Cattanæ floruiſſe. Is potenti carminum ſuorum vi, homines in bruta animalia conuertere, omniumq; ferè rerum formas in nouas Metamorphoſes commutare, longiſſimiſque à ſe ſpacijs diſiunctos, repente ad ſe trahere videbatur. Cattanenſes præterea adeò crebris laceſſebat iniurijs, & cõtumelijs dehoneſtabat, vt vaniſſimæ credulitatis circumuenti, ad illum adorandum concitarentur, Hic, cum capitis reus tradendus eſſet ſupplicio, eliciorum carminum arte præſtantiſſima, è Cattana Bizantium, cuius imperium eo tempore Sicilia agnoſcebat, & rurſus è

Bi-

Bizantio Cattanam è lictorum manibus dilapſus,paruo temporũ interſtitio per aerem deuehi ſe iuſſit; quibus veneficijs adeò Populo factus eſt admirabilis,vt in ipſo quandam numinis potentiã eſſe rati,errore ſacrilego, cultum ſacris ei debitum exhiberent. Tandem à Leone Cattanenſi Epiſcopo Diuina virtute ex improuiſo captus,in media vrbe coram omni populo in fornacem igneam iniectus,ignis incendio conſumptus eſt: ſic Diuina Iuſtitia prẹualuit,vt qui ſe Iudicibus forte minus iuſto zelo mortis eripuerat, è Sancti Viri manibus elabi non potuit.

Noſtris temporibus Cæſarium Malteſium Pariſijs captum fuiſſe,ſed è carceribus aſtu elapſum ferebant: idq; ei Bazius Inquiſitor inter cætera in Iudicio obijciebat:Sed cum vrgeretur, & damnationem metueret, à Gubernatore, qui tunc erat, Iudicibus Eccleſiaſticis ſuperſedere iuſſis,ereptus,in Aulam irrepſit,& ibi multa de nouo cæpit edere. Cartas luſorias in alterius eas tenentis manu,ipſe diſtans ſic mutabat, vt bis, terque alia in eis figura appareret. In altera menſæ parte poſita vaſa ad ſe alliciebat,moto vitri tantum fruſtulo.Cogitationes nonnunquam diuinabat alienas vt cum ſparſa ſaccari minutorum granorum in menſam magna multitudine, quòd quis ſibi granum mente delegiſſet indicabat, etiam ſi quis in deligenda re propoſita dubitaſſet, addebat hæſitationem,& reſolutionem.Iactabat quod alter eſſet electurus, id ſe diu prænouiſſe,& alia multa: propter quæ tertio in ius ab Illuſtriſ. Archiepiſcopo Mechlinienſi D. Honio Anno 1600. vocatur, cum ſiſtere ſe pollicitus eſſet, aufugit ad aſylum omniũ Antichriſti præcurſorem. Princeps ille,qui præſtigiatorem Iudicio,authoritate, non iure, eripuerat, vix biennium ſuperuixit, & florente ætate interijt,nec quidquàm illi, poſtquam malæ cauſæ defenſionem ſuſceperat, poſtea fœliciter in gubernatione ceſſit. Ex quo patet, quòd nunquam Deus impunitos Principes ſinit, hoſtium ſuorum defenſores,cum nominatim vetuerit [a] ne prẹſtigiatricem quis viuere patiatur. [a] Exod. 22.v.18.

An hæc Magia habeat quoſdam effectus veros.
Capit. III.

Doctrina.

QVI aſſeruerit omnes effectus Magiæ eſſe veros,vel credat omnes eſſe præſtigiatorios,raphanus ſit,non homo:Sæpius Dẹmon decipit, quia pater mendacij eſt, & præſtringit oculos, aut

ſen-

ſenſib.alijs illudit obiecta vana imagine: nec rarò Deus impedit, vt quod ipſe vellet, ac poſſet verè facere in Magorum gratiam, nõ faciat: quod cũ cernit, ad præſtigia venit, ne impotẽtia ipſius detegatur. Quando autem Deus permittit; & Dæmon vult verum effectum producere, ſi is eius vires non ſuperet, nihil profectò prohibet, quominus verum effectum producat, tunc enim applicat actiua paſſiuis, & cauſæ naturales verum effectum gignunt: id probat D. Dionyſius *b* Athenienſis, dum aſſerit, quòd Diabolus peccãdo, non amiſsit ſua dona naturalia, vnde fit, vt habeat vires naturales valentiſſimas, cum diuturna, & multiplici experientia, vt verè effectum, quem cupit, poſsit producere. Verùm opera Magorum cum ſint præſtigiata, non ſunt vera, ſed apparentia, & hoc probatur per Glicam *c* quando loquitur de Magis Aegypti, qui videbãtur facere, quæ faciebat Moyſes, & vtitur his verbis: Ipſi quidem virgas in ſerpentes commutabant, verùm virga Moyſi ipſorum virgas deglutiebat. Mutabant & ipſi aquam in ſanguinem, ſed immutatam ſemel, naturæ priori reſtituere non poterant. Educebant & ipſi ranas, ſed ab iiſdem ędes Aegyptiorum repugnari nõ poterant. Iiſdem facultas erat Aegyptios vexandi, ſed ſanandi ſupplicij poteſtatem nullam habebant: quinetiam ipſorum corpora Deus magis puſtulis afflixit, quàm reliquorum, vt hinc manifeſtum fieret; non ſolum ipſos pœnas diuinitùs irrogatas inhibere non potuiſſe, ſed etiam cum cæteris eadem ſupplicia pertuliſſe.

b cap. 4. de Diuin. nominib.

c p. 2. annal. Exod. 7.

Quo ad verò certamen Magorum Aegipti cum Moyſe de miraculorum patratione, defendi quidem poteſt opinio eorum, qui putauerunt Magorum ſerpentes & ranas præſtigioſas ſolum fuiſſe. Sed probabilior videtur ſententia cæterorum, quia non ſolũ ſcripturæ eſt magis conſentanea, ſed etiam, quia à Philoſophię ſcitis non abhorret. Nonne dicuntur Magi, ſic feciſſe ſicut Moyſes? ſed Moyſes veros ſerpentes, & veras ranas produxit, ergo, & illi. Si Magorum fuerunt apparentes ſolummodo, cur hanc fraudem non detexit Moyſes? non enim in re tam graui, paſſus eſt Deus illum decipi. De modo, huius productionis adhuc vertitur controuerſia, ſed videtur eorum ratio potior, qui cenſent diabolum, non aduertentibus ſpectatoribns, virgas ſubtraxiſſe, & earum loco veros ſerpentes ſuppoſuiſſe, tam ſubito, & ſubtilliter, vt Aegiptij ſpectatores, crederent omnino, ipſarum virgarum ſic commutatam formã fuiſſe, & propter hoc erroneum iudicium ſpectatorum, dixiſſe ſcripturam, virgas in dracones conuerſas, non rei veritate, ſed hominum opinione.

Exem-

Exempla.

Sanctus Gregorius Magnus in vita S.Equitij refert quòd Baſilius Magus, ſuis incantationibus, tam fortiter Iuuenem quandam Monialem in eius amorem accendit vt ſe crudeliter dilaniaret, & ferè moreretur, quia non poterat illum videre. Idem Magus, ſæpius ſuis carminibus, per dæmones in aera S.Equitij Cellam ſubleuauit.

Legitur quòd Paſetes Magus incantamentis quibuſdam faciebat, vt repente conuiuium ſumptuoſum exhiberi videretur: rurſus vbi libuiſſet, omnia euaneſcerent. Solebat quoque res emere, & pretium numerare, verùm mox numi clam à venditore ad emptorem redijſſe cernebantur &c. præter ea, quæ iam dicta ſunt de Symone Mago, conſueuit. Suidas ex Appione in verbo pecia.

Reges facere, eoſque deijcere potuiſſe. Falci præcepiſſe, vt ipſa iret, & meteret, eamq; iuiſſe, & decuplo plus cæteris meſuiſſe. Idē, cum eſſet aliquando Selene Meretrix in Turre quadam, & accurriſſet multitudo ingens ad eam videndam, Turrimq; vinxiſſet illa multitudo, & aſtantium corona, fecit, vt illa per cunctas feneſtras Turris illius omni ſimul populo proſpiceretur, & procumbere videretur.

Anaſtaſius Nicenus, inquit *b* Simon Magus ſtatuas faciebat ambulare, & in igne volutatus, non comburebatur, & in aere volabat, & ex lapidibus panes faciebat: Serpens fiebat, & in aliquas alias beſtias transformabatur: duas habebat facies, in aurum conuertebatur: in conuiuijs exhibebat ſpectra omnis generis: efficiebat, vt multæ vmbræ eum præcederent, quas dicebat eſſe animas defunctorum: Vaſa, quæ erant in ædibus faciebat videri, tamquā quæ ſua ſponte mouerentur ad miniſterium ijs, qui portabant non viſis. b q. 23. in Sacra ſcriptura.

Dubrauius narrat, quòd Ziton Boemus Magus, artem ſuam oſtentans, nunc ſua, nunc aliena facie, ſtaturaq; : Item in purpura, & ſerico, ac cōfeſtim in lana, & panno ſordido Regi ſe offerebat; ambulantiq; in terra, ipſe tanquàm in aqua nauigabat. Aliquoties equis rhedarijs vectum gallis gallinaceis ad epiredium ſuum alligatis ſubſequebatur. Conuiuas præterea Regis variè illudebat, interdum manus illorum, ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdum in vngulas equorum ttansformabat, & quandoque frōti eorum ceruina cornua latiſſima adijciebat quoties videlicet e feneſtris ad ſubitum ſpectaculum proſpi- lib. 23.

cerent, ne rurſus caput, & ora ad menſam referre poſſent. Triginta ſues bene ſaginatos ex manipulis fœni effingit, illoſq; paſtum proximè Michaelis cuiuſdam piſtoris locupletis extrudit, proponitq; venales, quo piſtor voluit pretio, hoc tantum Emptorem monens, ne gregem nouum ad flumen lotum compellat, qua ille monitione neglecta, cernit in flumine manipulos fluitare, ſuibus ſubmerſis: ergo diù venditore quæſito, atque in Taberna tandem vinaria reperto, in qua porrectis pedibus in ſcamno recubabat, dū ſtomachabundus altero pede correptum excitare vult, eum à corpore protinus cum femore euellit: clarè Zitone quæritante, & obtorto collo, Emptorem ad Iudicem trahente; piſtor in manifeſto deprehenſus facinore, vt ſibi videbatur, damnum damno addidit: De hac iactatoria arte Magorum, vide Plinium, & Aulum Cellium lib. 10. cap. 12.

lib. 25. 26. 28.

Magi per Diabolum mira faciunt. Cap. IV.

Doctrina.

Mirum, à miraculo, diſcerni poteſt pluribus de cauſis. Primo, ſi effectus ſuperet vires rei creatæ, & naturam, tunc miraculum erit. Secundo, ſi effectus non habeat propoſitum finem bonum, vtputa ſalutem ſpiritualem, vel corporalem, ſed ſolum finem malum, vt curioſitatem, vel quid ſimile repugnans bonis moribus, aut veræ fidei, tunc non eſt miraculum. Auguſt. *a* & ex hoc probatur, prodigia & ſtupenda illa opera Antechriſti, vera miracula non eſſe futura, ſed falſa; tunc enim temporis Deus laxabit diabolo habenas, vt viribus ſuis naturalibus vtatur, & tunc talia præſtabit, ſimulabitque maiora facere poſſe, vt in errorem inducantur quamplurimi, verum, non erunt miracula illa, niſi apud illos, qui minimè nouerint diaboli vim, & poteſtatem, dicentur tamen opera miranda, ſed miracula falſa, & apparentia. Tertio, dœmonum mira ſæpè deficiunt in minimis, ſed miracula perfecta ſunt: vtpote Dei opera, patet Exod. 8. de certamine Magorum cum Moyſe. Quarto, dœmonum mira, veris miraculis ſuperuenientibus euaneſcunt, vt virgæ Magorum à virga Moyſis deuoratæ, & oracula dœmonum coram Sanctis hominibus obmutuerūt. Denique miracula fiunt, per apertam, & ſeriam Dei inuocationē, mira autem Magorum ſemper admixtis, abditis, vanis, ridiculis, aut ſuperſtitioſis precibus, vel ſignis.

a lib. 10. de Ciu. Dei cap. 16.

His

His ſic ſe habentibus, dicimus quòd miracula propriè dicta, nullus Magorum efficere poteſt, tum quia, facere miraculum eſt potentiæ infinitæ,& ideo Diuinitati reſeruatum;tum quia,omnis creaturę potentia,naturæ cancellis limitatur,quod ſi non eſſet,nõ haberemus efficax argumentum probandæ veritatis fidei, quam ſemper Eccleſia miraculis confirmauit. Dicimus etiam quòd Magi,non poſſunt abſolutè mira operari,hoc patet,quia, nihil re vera abſolutè,& per ſe mirum eſt, quod non idem ſit miraculum. Verum eſt quòd Magi poſſunt operari multa mirabilia ſecũdum quid,ſeu reſpectu noſtri,dæmone adiuuante,& Deo permittente; probatur,quia plurimi ſunt miri, & occulti effectus rerum, quos omnes nouit diabolus,& quoſcunque naturaliter nouit poſſe produci,eos celerrime,non tamen in inſtanti, producere poteſt. Poteſt mulcere lac de Capra, & de Vacca, illudque transferre ad mãmas ſtatuæ æreæ,ſiue marmoreæ, ita vt omnibus videatur ſtatuam ipſam emittere lac illud. Poteſt poſſidere humanum corpus,& ita mouere humores,vt varias febres, diuerſos dolores, & grauiſſimas ægritudines generet.Poteſt impedire motum linguæ, manuum,crurium,retinendo in venis ſpiritus vitales, & poteſt impedire:ne ijdem ad membra genitalia diſfluant, & ſic impedire virtutem generatiuam, ita vt non poſſit vir vxori debitum ſoluere,nec cæteris mulieribus commiſceri.Poteſt generare grandines, pluuias,niues,glacies, quod intelligendum eſt ſemper, Deo permittente. Poteſt ita mouere intellectum noſtrum,vt vitia facilius apprehendat,& in malo callidus fiat,quod contra efficit Angelus bonus,quia confortat intellectum,vt cognoſcat clarè veritatem, & illam amplectatur.Poteſt diabolus memoriam iuuare, eius organum adaptãdo,vt facilius recipiat,& firmius ſpecies retineat, vel motu locali noxia repellendo,vel iuuantia applicando. Poteſt etiam modis contrarijs plurimum debilitare, & tollere vt fuit obliuio Simonis Thuruaij Angli, quæ ex Dei iuſta punitione profluxit.Hic cum eſſet Dialecticus acutiſſimus, & Artium liberalium,magni nominis Pariſijs profeſſor,palam in Scholis, non verebatur iactare,ſe ſcire totam Chriſti legem,ac improbãdo, poſſe eam annihilare:Sed ita ſubita obliuione percuſſus fuit, vt primarum litterarum oblitus,nec ſciret Dominicam orationem pronũciare,nec Alphabetum legere. Dixi ſuperius quòd poteſt mouere intellectum noſtrum ad malum, ſed poteſt etiam meliorem, & ſubtiliorem reddere quoad functiones ingenij, & iudicij, & hoc facit per commodiores organi diſpoſitiones depulſis, motu locali, humoribus denſioribus, vel agentium naturalium adhibi-

tis medicamentis, vel ſpiritibus ſenſitiuis expurgatis & ad orga-na illis attractis, aut ſanguinis defecatione iiſdem ſpiritibus mul-tiplicatis, ſed hoc Angelorum bonorum quaſi officium eſt, ſic Martinus Delrio.

b lib.2. mag. diſp. quæ.24.

Dæmon motu locali corpora mouere poteſt velociſſimè, ita vt poſſit rem aliquam oculis ſubtrahere tam cito, & aliam ſubſtitue-re, vt animos oculoſq; intuentium fallat, eiſq; perſuadeat prioris in hanc poſteriorem integram conuerſionem. Tales credendæ Gentilium Methamorphoſes; Diomedis ſociorum in aues: & Iphigeniæ in Ceruam, vt Diuus Auguſtinus obſeruauit, *a* & fraudem aperuit Aſtirius, cuius facta Euſebius *b* ab obliuione vindicauit. Quare præſtigiatorij effectus duabus regulis depre-henduntur. Prima eſt, ſi effectus non oritur à motu locali, & ſuperat actiuitatem cauſarum naturalium applicatarum (vt eſſet ſuſcitatio mortui, vel veræ cæcitatis curatio) tunc interuenit de-ceptio, & præſtigium. Altera eſt, quando id, quod uiſum eſt, ſta-tim euaneſcit, eſt præſtigioſa machinatio. Exemplum prioris eſt, quando Magus poſito in camera arcu de certo ligno, & ſagirta al-terius ligni, & corda certi fili, ſagittam eiaculatur, & ita facit ap-parere in loco flumen enatum tantæ latitudinis, quantæ fuit ſagit-tæ ictus. *c* Poſterioris, ut cum uidetur lacerare equm, qui mox ſa-nus ſiſtitur. Item in illo facto Magi, vt infra, de ſimulato ſerpen-te, qud narrat Nicetas *d* Verum, ad etiam maiorem intelligen-tiam ſciendum eſt, quod Diabolus pluribus modis decipit ſenſus noſtros. Primò quando uiſui totum obiectum, quod coram eſt oc-cultat, uel ſaltem ex parte aliqua. Secundo, ſi imbuat medium ali-qua qnalitate, qua ſpecies per medium tranſeuntes, ſic modifican-tur, ut non repreſentent obiectum quale eſt, ut ſi aceto immiſcea-tur ſal, & pannus lineus hoc acetum ebibat, poſtmodum uerò ſup-poſita candela inflammetur pannus, tunc formidabiles admodū facies præſentium exhibebit: uel ſi de ſemine Aſinino, & cera fiat candela, illa accenſa omnes quotquor aderunt onocephali uide-buntur *a* Tertiò, ſi uapores intermedij aeris inſpiſſentur, unde pu-tamus à gallo galinaceo trabem trahi, & eſt feſtuca. Quartò, ſi mo-to aere medio ſimul ſpecies moueantur, unde fit, ut nauigantibus uideantur ad nauigij motum arbores mouere. Quintò, quando offertur ſpectantibus corpus aereum ſiue fantaſticum ſimile rei putatitiæ. Sextò, celeri agitatione rerum oſtenſarum, ſubita oc-cultatione, uaria collatione, ſeparatione, uel conglutinatione la-tente, ut faciunt Circulatores, uarijs ligaminibus, globulis, &c. Septimò, ſi humores agitentur, uel perturbentur, res conſpicien-

a libr.18. de ciuit. Dei.ca.18.

b libr. 7. Eccleſ. hiſtor. ca. 14.

c Guliel. Pariſien. cap.22.

d libr. 4. annalium. idem c.23.

a Guglielmus Pariſien. c.22.

tur aliter, quàm ſunt, ut contingit ebrijs, ac furioſis. Tandem dico, quòd Diabolus poteſt ſic componere, & ordinare fantaſmata, ut quis etiam uigilans (quod dicitur) ſomniet more dormientium, & putet ſe ea ſentire, quæ non ſenſit, iuxta Caietanum 2. 2. q. 95. artic. 3.

Exempla.

CAeſareæ Philippi, quam phænices Paneada uocant, fertur uictimam quandam, in quadam diei feſti Gentilium ſolemnitate mactatam conijci in fontes, qui illic ex radicibus montis Panei prorumpunt, ex quibus Iordanes, emanare dicitur, eamq; Dæmonis ui, ac poteſtate mirandum in modum ab eorum aſpectu euaneſcere miraculumq; uideri præſentibus valde memorabile: quibus, dum agebantur Aſtyrium quodam tempore forte interfuiſſe, & cum uideret tam multos illius rei admiratione ſtupefactos, eorum erroris admodum miſertus eſt, deinde ſublatis in Cœlum oculis Deum omnium moderatorem per Chriſtum ſupplicē precatum, ut Dæmonium illud, quod populum tanto errore cęcauiſſet, comprimeret ipſum à fraude, & fallacijs, quas hominibus ſolet intendere, coerceret. Hoc modo cum Deum orauiſſet, repentino Victimam fontibus ſupernataſſe viſum eſt, atq; ita res illa, quam tantopere admirari conſueuerant, ad nihilum deuenit, vſque adeo, vt nullum in poſterum ex eo loco, ex ea omnino ederetur quid tale.

Cum ex altioris Pallatij Conſtantinopolitani loco Michael Sicidites nauiculam vidiſſet, qua ollæ, & patinæ vehebantur, carmine magico fecit, vt Nauta exurgeret, & vaſa non prius ferire deſiſteret, quàm in puluerem redegiſſet. At miſer, paulo poſt barba apprehenſa cum lamentatione amota iam caligine, coepit deplorare. Quæſitus cur merces ſuas ita tractarit, reſpondit, cum dolore: quòd cum eſſet remis intentus horribilem ſerpentem ſuper vaſa iacentem, oculis in illum conniuentibus conuerſum inſtar deuoraturi, vidit, qui prius volutari non deſtitit, quàm vaſa confracta eſſent.

Audite aliud exemplum, quod propter eius lepiditatem ſcribendi laborem minimè recuſo.

Tempore Sigiſmundi primi Regis Poloniæ, Iacobus Melſtinch Prætor Oppidi Brezinij leuitate quadam animi ductus, authoritatem, nomenq; Chriſti ſibi adſciuit. Petrum Zacorſchi Cracouiēſem, cæteroſq; ſibi ſimiles latrones duodecim elegit, ſinguliſq; no-

mina

mina Apoſtolorum impoſuit,ſe verò Ieſum Chriſtum appellabit, qui per Villas vbiq; ambulantes prodigia præſtigiatorum more exercebant,ſicophantaſq; alios, & latrones velut mortuos ſubornatos ſuſcitabant: piſces in paludes lutoſas primò impoſitos,vbi nunquam eos naſci poſſibile erat,in nomine Chriſti ſuis manibus capiebant: panes in furnos imponebant, in nomineq. Chriſti ſui, cnm illic ante non eſſent, promebant cum ingenti ſimplicis Vulgi admiratione. Quodam tempore ad Ceſtochouiam monaſterium B.V.Mariæ imaginæ celebre cum ſuis Apoſtolis venit, cumque illic aliquot diebus morarentur,vnum ex ſuis,quaſi obſeſſum à Dæmone ſubornarunt, cuius opera victum aquirebant; ille enim per hoſpicia ambulans, carnes de coquina rapiebat, & in ſuos proijciebat,qui cruce illas munientes carnes comedebant. Cumq; illic ingens concurrſus eſſet populi ad D.V.imaginem: Sicophantæ illi obſeſſum ſuum ad altare ducunt duplici ueſte indutum, in cuius intercapedinem neceſſaria imponere poſſet:Lapillos uerò intra induſium illi impoſuerunt,cumq; ad altare duceretur, ille è manibus deducentium furibundus ſeſe proripiens, in altare denarijs onuſtum irruit,pecuniaſq; rapiens,in ueſtis duplicatæ intercapedine eás abſcondit.Monachus ab altari diuino intermiſſo officio, aufugit,cæteri Monachi accurrentes cingulum eius ſoluunt,ibi lapilli dumtaxat in terram ceciderunt,pecunia uerò in ueſte duplicata remanſit.Monachi,pecuniam arte Dæmonis in lapillos conuerſam putantes,exorciſmis eam in priſtinam formam transformare nitebantur,ſed cum lapilli permanerent; Monachus librum ſacrum indignabundus in terram proiecit dicens, ſimilem Dæmonem numquàm habuimus;abite cum eo ad omnes Diabolos;Sicophantæ illi cum pecunia recta in Sileſiam fugerunt,ubi apud Matronam Nobilem in quodam pago diuertentes, cum illa uiro abſente eos recipere nollet ſaltem mappam,uel telam ad ſacrificandum petierunt, at mulier faſciculum telæ illis obtulit, tunc illi, hanc nobiſcum accipiemus,& Chriſtus tibi benedicet, ut tibi linũ abundantiùs creſcat, oſtende aliam ſi habes, quam cum ſimiliter accipere uellent,mulier recuſauit,maritum timens,illi autem fruſtulum fomitis cum igne in telam clam inuoluentes mulieri tradiderunt; itaque arca à tela ,ab arca uerò domus accenſa fuit combuſta Viro domum reuerſo,Vxor ob Chriſtum cum Apoſtolis malè tractatum hoc ſibi iuſtè contigiſſe dixit, at uir ira accenſus, latro,inquit,hic fuit nequiſſimus,non Chriſtus itaq; cum uicinis eos inſequitur,& in quadam Villa eos inuenit. Tum pſeudo Chriſtus ad illum,qui vocabatur Petrus,dixit, iã mea paſſio Petre, calixq;

quem

quem bibiturus ſum appropinquat, cui Petrus, & mihi, vt video Domine, imminet; ille verò dixit. Petre, ego hinc aliter nō poſſum euadere niſi per feneſtram; tum Petrus, & ego te quoad viuam nō derelinquam, ſed quocunque fugeris, ſequar. Ergo per feneſtram aufugit, cæteri quoq; Apoſtoli, qua potuerunt, euaſerunt; Ruſtici eos ſequuti, baculis, fuſtibuſque ceciderunt, dicentes. Prophetiza nobis Chriſte cum tuis Apoſtolis, in qua ſylua baculi iſti creuerint. Ergo plagis emendati, vitam ſuam poſtea emendauerunt, dicentes, difficile eſt nobis Chriſti paſſionem, Apoſtolorumque tormenta ſubire. Sic Poloniæ Cronica.

Quas nam formas conſueuerit induere diabolus ad homines decipiendos. Cap. V.

Doctrina.

Diabolum ſemper ſtudere hominis damnationi, & exitio certiſſimum eſt, quia eſt mali author, nequitiæ origo: corruptor ſeculi: homini ſemper inſidiatur: laqueos tendit: lapſus parat: foueas fodit: ruinas aptat: ſtimulat corpus: pungit animas: cogitationes ſuggerit malas: immittit iras: dat odio virtutes: vitia addit amori: errores ſeminat: diſcordias nutrit: pacem turbat: affectus diſſipat: humana violat, & Diuina tentat. Hinc eſt, quòd cum retibus ſuis incautos irretiuit, plectit eos plaga tumoris ſuperbiæ: doloris inuidiæ: fœtoris luxuriæ: ardoris auaritiæ: torporis deſidiæ, & mœroris triſtitiæ. De tumore dicit Iſai. 1. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine. Hac plaga percuſſus fuit Rex Ozias, quia præſumpſit offerre Thus Deo fungens Sacerdotis officio. De dolore Hierem. 15. factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis. Hac plaga percuſſus fuit Antiochus 2. Machab. 9. De fœtore dicitur. 1. Machab. 14. quòd contaminabant omnia, quæ in circuitu Sanctorum fuerunt, & inferebant plagam magnam caſtitati, & hæc eſt plaga lepræ, de qua fit mētio, Leuit. 13. De Ardore. Leuit. 13. plaga combuſtionis eſt, & Iſ. 16. his, qui litantur ſuper muros cocti lateris, loquimini plagas ſuas. De torpore, Hierem. 6. omnis plaga triſtitia cordis, & iſtę, ſunt plagæ vitiorum quibus diabolus plagat, & vulnerat ſequaces ſuos, qui tamquam cæci, non conſiderant mortis horrorem: Iudicis terrorem: Inferni dolorem; & diaboli furorem. Induit

igitur

igitur diabolus corpus,& exibet ſe,obtutibus hominum, ſed corpus illud viuificare non poteſt, nec in eo operari opera vitalia, ſicuti eſſet edere,bibere,dormire,& generare,& quamuis apparenter videatur talia operari, non tamen verè comedit, bibit, aut dormit,& ſi comedit,cibus qui intra ſtomacum deſcendit, non cõuertitur ad nutriendum corpus illud,cum non habeat animam informantem.

Sciendum eſt igitur,diabolum poſſe aſſumere varias formas, & niſi impediatur à Deo,poſſe,qua velit apparere forma; humanam perfectam, & omni ex parte pulchram, atq; pulcherrimam exhibere,qualem fortaſſe ſe exhibuit B.Alberto Carmelitæ,à quo crucis ſigno fugatus fuit; Solet tamen ei obſtare diuina voluntas, vt ſemper adſit aliquid,quo detegatur eius fraus,& impietas, Deus enim,certis animalium formis,nondum vti permiſit dœmonia, videlicet,Columbæ,ſeu Agni,eo quòd Agnus verus ſit Chriſtus,& in Columbæ ſpecie ſpiritus ſanctus conſueuerit apparere,quia etiam hæc animalia do lo carent, & nullum ſolent inferre damnum. Libentius induit animalia,in quibus aliqua ſunt,quæ culpentur.Forma hirci ei eſt antiqua, quia hac vtebantur hebrei in ſacrificijs. Hac tempeſtate, quando init pactum expreſſum, ſe ſe offert conſpicuum virili forma; poſt verò pactum, quando adorandus eſt, ſemper in forma hirci,& quidem fœdi,aſpectu,atri,ac olidi.Huius rei ratio varia eſt, primo,quoniam ob reuerentiam incarnati Verbi Deus non patitur eum tunc aſſumere humanam formam,& huc pertenet illud Apoc.13.traduntur impij beſtiam adoraturi,ideſt, diabolum in beſtiæ forma. Secundo,quia olim coluerunt diabolum in hirci forma,ideo dœmones vocantur,Sahirim, hoc eſt, piloſi ſeu hirſuti. Alia cauſa reddi poteſt,videlicet,huius animalis ſuperbia, & alia vitia, quæ moribus, & actionibus ſuis dœmones ſtudioſe imitantur, vt oſtendit Remigius *a* Deniq; hircum, ſeu capram induit,quia hircorum,qui à ſiniſtris locandi ſunt in Iudicio,caput eſt,& hac forma,vt plurimum adoratur.

a lib.1.ca. 24.

Quãdo igitur familiaritatis, & fidei ſpecimen præbere vult ſumit effigiem canis, vel felis; ſi quis aliquo eſt deuehendus, induit formam equi. Si per locum anguſtum, vel rimam ſubiturus, vel cuſtodibus illuſurus, fit mus, Veſpertilio, vel muſtella. Si quis ſit præſens, & colloquium poſſit impedire, vel ipſe velit latere, muſcam induit,& ad aures appropians, quæ vult ſuggerit. Si intendit greges lacerare, vel in homines ſæuire lupum induit. Si quos vult terrere,aut turbare,fit gallus gallinaceus magnus,& ferox,ſic apparuit Pachomio. Vt coruus,aut vultur, S.Romualdo,

Vt

Vt Vulpecula S. Hilarioni. Vt canis, Dunſtano. Vt ſerpens Leonardo Corbeiacenſi. Vt Draco. Sanctæ Margaritæ, & Ferdinando Caſtellę Comiti, eiuſq; exercitui. Si vult inducere ad malum, ſpecie boni, induit formam Chriſti, vt S. Martino, vel in forma Dei, vt Theodoræ, viduæ, vel in forma Angeli, vt S. Iulianæ. Deniq; formam aſſumit, quæ inſtituto maximè ſit accommodata, & quia ad omnia ferè idonea eſt humana, hanc, vt plurimum aſſumit, non tamen eodem modo. In nuptiarum pompa apparuit calamiſtratus, ſiue rufus, procaci vultu, & actioſus. Maximo Rhegienſi apparuit, vt nauis. Euagrio, viſus eſt vt Clericus hæreticus. Machario, ſemel apparuit vt meſſor, ſemel vt pharmacopola. Nathanaeli ſemel vt ſeruus lorarius, ſemel aſinarius, agens aſinum. Apelli, viſus eſt, vt pulchra, & compta, & illecebroſa mulier. Morituris ſolet maximè apparere terrifica ſpecie, vt S. Martino, qui dixit, ei, quid aſtas cruenta beſtia? Florentio, viſus eſt, ore vaſtam flammã naribus, fumum fundens ſulphureum, Sanctæ Oportunæ apparuit in ſpecie nigerrimi æthiopis, capilli, & barba ſtillabant quaſi picē calidam, & liquidam, oculi, ferrum ignitum, & ſtricturas ſcintillans, cuius rei rationem Angelus reddidit S. Aichadro, videlicet, hoc à Deo permitti, vt talis terror, tam terribilis viſionis purget in ſanctis ſi quid adhuc expiandum eſt in illis. Quamuis autem ſtudeat diabolus, & velit hominis pulcherrimam ſimilitudinem, vt plurimum induere, quæ Dei bonitas eſt, tantum ſolet aſſumere, quàm, & qualem illi Deus permittit, teſte D. Chryſoſtomo *b*, & ideo, vel ipſo inuito fieri videmus, vt qui non obeſæ nimium mentis ſint, ſemper, ſi attendant, fucum ſtudeant apprehendere. Vel ſeſe offert diabolus humano corpore atro, illuuioſo, ſqualido, fœtente, tetro, ac formidabili, aut ſaltem, obſcuro, nigro, fœdoq; vultu: naribus, vel deformiter ſimis, vel immane aquilis oris rictu ſparſo, profundoq; luminibus valdè abditis flammantibus, manibus, pedibuſq; aduncis, inſtar vulturis; ſtrigoſis brachijs cruribuſque, & admodum piloſis, caprinis, etiã vel aſininis tibijs, vno, vel vtroq: pede bifido, & corneo, interdum & ſolido vngue, interdum mutili pede altero, vel vtroq;, demum ſtatura corporis nunquam iuſtâ, ac decora, ſed, cui ſemper adſit aliquid inſolitæ notæ, deformitatem, prauitatemq; dœmonis demonſtrantis.

b hom. 4. de lazaro.

In aſſumpto corpore diabolus loqui poteſt, & ſolet, & cum loquitur, vtitur, vt plurimum ſermone regionis illius incolæ, teſte Pſelio *c* Sed utitur voce ſtridula (quòd etiam notandum eſt, ad cognoſcendam eius deceptionem) ſubſibilante, confuſa, obſcura, debili, puſilla, & quaſi ex dolio, vel teſta naſcente rimoſa; hoc

c li. de dœmonibus.

d li.1.dæmonolat. cap.8.

docent ſagarum confeſſiones apud Remigium d & quando loquitur poteſt audiri, à quibus vult, & videri in aſſumpto corpore, & quibus non vult, ſolet latere idq; naturaliter. Quòd autem corpora aſſumpta ſint uera corpora, nec ne, & ex qua materia ſint; æquum eſt, vt inquiramus.

Aſſerunt Doctores huiuſmodi eſſe vera corpora, quia habent menſuram, & colorem, quæ quidem accidentia, non ſunt ſine ſubſtantia iuxta philoſophum dicentem; accidentis eſt eſſe in eſſe. Verum iſthæc corpora, non ſunt vera corpora ſecundum naturæ veritatem, quàm exhibent, Vrſi, Leonis, ſerpentis, &c. quia ſi eſſent vera corpora, non ſtatim euaneſcerent, vt fit. Quæ corpora igitur erũt? Terreſtria forte? nequaquã, quia terra non poteſt tota ſimul ſtatim euaneſcere abſq; veſtigij nota. Erunt forte ignea? minimè, quia arderent, & califacerent. Erunt ne ex aqua? non quia aqua nõ eſt reſolubilis, vt ſunt corpora à dæmone formata, & aſſumpta. Erunt igitur aerea, aut ex aliquo craſſo vapore generata; hoc docet experientia, quia, quandoq; corpora huiuſmodi fuerunt enſe, lancea, vel ſecuri percuſſa, nihilominus tamen partes diuiſę, iterum in vnum ſunt coniunctæ, vt patet per exempla paſſim notata. Ratio autem cur diabolus vtatur ſimili deceptione. Reſpondetur. quòd, cum eius liberum arbitrium ſit in malo fixũ, & induratum, nõ poteſt, nec vult reuerti ad bonum; idcirco, quidquid vult, illud eſt ad aliquod malum, & damnum, & hinc fit, vt aliquando exhibeat ſe in forma alicuius iam defuncti, dicens ſe eſſe animam illius, eo ſolum conſilio, vt familiariter eo vtatur, cui apparet, & illum facilius decipere poſſit. Quando quis illum inuocat, aut coniurat, exhibet ſe videndum, aut ſentiendum, vt credant homines incantationibus à Diuina lege vetitis, & damnatis. Fingit ſe trahi funibus, herbis, verſibus, & caracteribus, vt homines facilius in errores inducantur. Obedit illis, qui illum inuocant verbis ſacris, vt credatur, illum habere partem cum Diuina Iuſtitia, & quamuis non ſubdatur diabolus corporibus cœleſtibus, ſub eorum conſtellatione, inuocatus tamen fauet apparenter inuocantibus, vt erroribus eorum detineantur, qui tribuunt virtutem aliquam ſyderibus, quæ in homines neceſſitatem inducat. Fingit tãdem ſe amare virgines, & libenter illis ſe repræſentat, vt credant homines, illum eſſe pudicitiæ amatorem.

Exempla.

✠ NObilis quidã Hiſpanus à monte Rupel oriundus, nomine Antonius Coſtilius, animo conſtans, & viribus non ſpernẽdus, qui

qui plerumq; in armorum conflictu ſtrenue ſe geſſerat,is erat, qui ſibi illatas iniurias,irritas eſſe minimè patiebatur,idcircò nonnullis odioſus erat;ipſe verò,ne ab inimicis imparatus aliquãdo deprehenderetur,ſemper diuerſorum armorum genere munitus incedebat.Quadam die,equo inſidiens,domo,lancea armatus, exiuit,& ad pagum, cui Villanoua nomen eſt,rerũ ſuarũ neceſſitate ductus,ſeceſſit. Nocte ſatis atra ſuperueniente decreuit,nihilominus domũ reuerti.Tranſacta Villanoua,erat Romitoriũ,clatris ligneis in anteriori parte firmatũ,intus verò ardebat lãpas. Subſtitit Antonius aliquantiſper,inſidiens equo,vt oraret, & dũ preces fundit;introſpiciens Romitorium, videt tres viſiones è medio illius paulatim de terra,pullulare,tandiuq; creſcere,donec tectum Romitorij capite attingerent,& ſic tacitæ ſubſiſtebant. Antonio, ſpectatis illis,cęperunt præ timore obrigere capilli, itaque retractis habenis,equitando iter ſuum eſt aggreſſus. Sed ſtatim eleuatis oculis,videt tres illas viſiones ſimul ſibi præire, quaſi ipſum comitaturæ:quare,ipſe ſe Deo commendans, ſignoq; ſe Crucis ſæpius muniens,equum, hinc inde diuertebat,illæque uiciſſim ſemper ipſum præibant:quo factum eſt,vt ipſe ſtomachabundus, impulſo in uiſiones equo,lãcea illas,quaſi uulneraturus eſt aggreſſus, uerumtamen eodem greſſu,quo Antonius,mouebãtur illæ:ſi currebat ipſe,currebant & illæ:ſi ſtabat,ſtabant: ſi lento gradu incedebat,eodem gradu mouebantur, & ipſæ, nunquam tamen longius ab Antonio recedebant.Quare(etſi inuitè)paſſus eſt illas ſemper habere itinerarias ſodales, donec domum ſuam perueniret. Ante ædium fores grandis erat Cors, & ipſe equo deſiliens, cum ingreſſus eſſet,ipſaſmet umbras ante ſe ſpectauit, Tandem peruenit Antonius ad domum,vbi erat coniux,qua uocata,fores patefactæ ſunt,& ſic ingreſſus domum,euanuerunt laruæ.Fuit tunc tẽporis Antonius animo adeò conſternatus,colore ſqualidus, & uiribus ita deſtitutus,ut uxor non dubitauerit, ſibi aliquid infortunij accidiſſe.Sciſcitabatur illa,ſedulò cauſam inquirebat ab ipſo, ille tamen interim nil reſpondebat.Accerſiuit uxor intimum eius amicum,uirum nobilem,præclarum,& doctum,qui uiſo Antonio mortuo non diſſimili,petiuit ab ipſo,ne grauaretur, quidquid haberet illi aperire.Antonius cœpit ſingillatim ordine omnia recẽſere amico;ille tamquã prudens multa ſubiunxit,quibus ſuaderet timorem à ſe pellere,& cibum ſumere.Facto poſt cœnam temporis interuallo,decubuit Antonius,& tũc amicus, relicto apud decumbentem lumine,foras prodijt; ſed ſtatim exclamãs Antonius alta uoce,ſuccurrite,ſuccurrite;introgreſſi omnes, qui exierant, expoſuit,tres illas umbras, iterum adueniſſe, quæ terram mani-

bus effodientes, illam in eius oculos proijciebant, & ipſum excæcabant. Numquam deinceps domeſtici ipſum ſolum reliquerunt, quin aſſiſterent & alij ſecum; Verum, tranſacto ſeptimo die, ſine febre occubuit.

✠ Recentius unum notabo, cui uix ſimile auditum eſt, hoc memoriæ proditum fuit à Gaguino hiſtoriarum Francorum ſcriptore, ait igitur. Philippo Bello Rege, quidam Conuerſus Monaſterij Vallis Sarnariæ, nomine Adamus, paulò antę Natalitia feſta, sūmo mane, ad Monaſter ij negotia peragenda, vnà cum famulo ſe uiæ commiſit equeſter. Illi ſeſe offert arbor ingens, gelu, & pruinis obſita, ad ipſum properans, quaſi conferre gradum, & corpus cupida; Equus perterrefactus, caput retrorſum flectit, & uiam, quā peregerat, remetiri conatur. Adamus ingenti conatu iumentum retinet, & calcaribus cogit, propinquior ut fuit arbori, illa confeſtim euanuit, odore teterrimo ſulphureo, nempe relicto. Credit. Adamus dœmonicum eſſe ſpectrum, ſicque ſe Deo precibus commendare ſatagit, ac iter ſubſequitur. Paulò poſt reſpiciens, uidet nigrum quendam uirum equo inſidentem ſubſequi ſe, cui iratus Adamus, quomodo, ait, infelix, & damnatæ audes me his apparitionibus aggredi? An neſcis, fratres meos, qui domi ſunt pro me, & ſalute mea ſupplices ad Deum preces fundere? Abi quantum potes, nihil in me poſſides. Abit malus, ſed ecce mox redit ſimilis uiro gracile & protenſum collum habenti. Adamus, tot moleſtijs pertæſus, gladium, qui ad ephippium ligatus erat, ſtringit, & ter, quateruè enſe per aere uibrato, ſpectrum abigere conatur. Hoc, ſubitò perſonam mutat, & ſiſtit ſe ſtatura mediocris uiri, cui caput cappa, & ſcapulario monachi corpus ornatum exhibet, oculi ſcintillātes inſtar æris radijs Solaribus oppoſiti. Adamus aliquoties hoſtem petit, ſed irritis, & caſſis ictibus, aere cedente. Tum maiori deſpectu, & irriſione, dœmon induit formam Aſini. Perterritus famulus, hero ſuadet, gladio circulum in terra ducere, & in circuli medio crucem formare. Adamus conſilium exequitur, ſed ſpectrum non deſinit: mutat auriculas Aſini in cornua, & ſic minatur in circulum irrumpere ſe uelle. Denique luſus iam ſaturatus, in rotam ſe uertit, & ſe ipſum uoluens monachum inuadit, & ſuper illum continua latus rotatione (ut uidebatur) tranſit circulum, monacho prorſus illæſo, conſpectum fugit. Fidem rei fecerunt, longa famuli ob terrorē ſubſecuta ægritudo, & diuturnus fętor ueſtium Adami, eiuſdem raucedo, atque difficilis reſpiratio, à quibus ægrè conualuit: equi tandem ſubita mutatio, qui ex manſueto, poſt uiſionem hanc, ferox, calcitroſuſq; eſſe cœpit.

No-

Nobilis hiſpanus quidam-cuius patria,nomenq; honeſtatis gratia ſubticetur,diuitijs fultus, Dei timorem neglexit. Is igitur ſtatuit Monialium quarundam ſepta intrare, quod vt facilius exequeretur claues Eccleſiæ adulterinas conflari curauit, vt per ſcalas quæ Sacriſtiæ deſeruiebant, ſibi aditus patefieret. Quoniam verò Monaſterium ab oppido erat ſeiunctum, ſub noctis atræ medium equum conſcendens,eò peruenit ſolus,quò ſcelus ſuum fortius occultaret. Deſilit equo,quo retinaculis ſeorſum alligato, ad Eccleſiam peruenit.Dum autem anteriores plateæ portas recludit ſpectat Eccleſiam patere, intuſq; lumina quamplurima, ac faces ardere: voces item cantantes,quaſi funus exequentes,audiuit.Obſtupuit ille,&nouitate rei ductus,acceſſit,vt videret quid eſſet.Spectat Eccleſiam vndequaq; Clericis,& Fratribus, qui funeri operã dabant,refertam,in quorum medio,feretrum magnificentiſſimũ, facibus vndiq; ſeptum ardentibus,clericos quoq; & fratres, cum cætero populo, cereos accenſos in manibus tenentes, vidit. Sed quod magis admirationem augebat,illud erat, quòd, illorum ne vnum quidem nouerat. Poſt ſpectatum diù factum,ad vnum Clericorum illorum acceſſit, petiuitq; quis nam eſſet defunctus ille, cuius exequias ſolemnes celebrarent. Reſp. Clericus, quòd in proximo erat vita deceſſurus Nobilis talis, ipſumq; hiſpanum nominauit,& idcirco, funus eius faciebant. Subriſit tunc hiſpanus ſubdens,falleris,nam hic nobilis,quem nominas mortuum, viuit. Subiunxit Clericus magis deceptus es tu,nam verè mortuus eſt ille,& non longè abeſt à ſepultura,& his dictis,reuerſus eſt ad alios cantantes. Hiſpanus valdè interim conturbatus, acceſſit ad aliũ eorum,à quo idem expiſcatus,idem reſponſum accepit;quare magis perterrefactus ille,abſquè mora ex Eccleſia reſiliuit,ſicq; equũ conſcendens, iter cæpit domum verſus. Verùm,vix greſſus mouere coepit,quòd hinc,& hinc,duo terribiles, & atri moloſi illi aſſociantur,medium ipſum tenentes. Vim, enſe diſtricto faciebat nobilis, vt illos fugaret, ſed fruſtra ſemper, donec domum ſuam peruenit,deſcendit equo,& introgreſſus,obuiauerunt pueri,& ſerui,qui illum attendebant. Mirabantur iſti de eius adeò mutato aduentu,vt mortuo non eſſet diſſimilis; expiſcabantur huius mutationis cauſam,& enixè vrgebant,vt eam aperiret, quibus, nobilis omnia ordine,vt acciderant, recenſuit, ſicq; colloquendo ventum eſt ad hoſtium thalami ſui,quibus expletis verbis,introgreſſi ſunt prædicti canes atri,qui illum aggredientes,dentibus in fruſta comminuerunt,& ſic omnium deſtitutus auxilio miſerrimè occidit,dum adhuc eius funus apud Moniales ageretur. Accipe ali-

ud eiuſdem matteriæ,exemplum, ad cognoſc..dam Dei vindictam contra facinoroſos.

Salamanticæ in hiſpania degebat Theologiæ ſtudioſus quidam primæ nobilitatis,hic priſtinæ caſtimoniæ,& pietatis oblitus, nocte magno periculo,& labore,parietibus tranſcenſis, in quoddam Monaſterium Sanctimonialium vſq; ad dormitorium peruenerat; ibi, ſic permittente Deo,priuſquã ad cellulam, quã animo voluebat,pedetentim perueniret,obijcit ſe illi ſpectrum ſpecie viri grauis,& honeſti,prolixo capillitio; & barba, lorum ingens in manu tenens,& nullo verbo facto, flagra minitatur. Venerat ad ſacrilegium,inceſtum,& ſtuprum miſer ille, ſcuto gladioq; probè armatus: ſtringit gladium;ſcuto ſe tegit, ictus uibrat, & vt ſibi videbatur,latus aduerſarij lorum ſubiens, multoties haurire, & brachia illi,lorumq; reſcindere certò tenet,ſed ſemper brachium corpori,lorum parti amputatæ ſubito iunctum apparebat. Tandem ſpectrum decuſſatim illi vtrumq; humerum ſic viuenti bouẽ mortuum impegit (ſic videbatur) vt miſer in terram prolapſus, vix trepidus ſe fuga eripuerit, & domum reuerſus, deprehendit ad modum crucis ſibi in pectore,& in tergo, ad quatuor digitorum latitudinem,notã contuſionis,rubore, liuoreq; mixtæ impræſſam. Tumuit mox vibex,ſiue,percuſſionis ſignum, & cum intollerabili ardore, quaſi vermiculare neſcioquid, quod grauiſſimum cruciatum adferebat, miſer ſub cute ſenſit (& ne vanum viſum putes) ſecundo tertiouè die miſerrimè vita functus eſt. Notent laſciui, quis nocturnarum ad ſtupra diſcurſationum vtriq; fructus fuerit, vt diſcant Deum timere, & Virgines Deo ſacratas, non violare, quàmq; inanis ſit iſta perſuaſio de gladij vibratione cõtra vim dœmonis, alia plurima huiuſmodi exempla paſſim inuenies,legendo,de varia aſſumptione corporis ſpectrorum.

Miros effectus olim veteres Magis tribuerunt.
Caput VI.

Doctrina.

IOANNES Sabiſbenenſis. *a* Domino inquit permittente Magi per Dęmones Elementa concutiunt, rebus adimunt ſpecies ſuas:ventura plerunq; pronunciant: turbant mentes hominum: immittunt ſomnia,hómineſque violentia duntaxat carminis occidunt &c.Saxo Gramaticus *b* apud Septentrionales ſcribit,Gigantes,

a lib.1. Policratic. c. 10.

b lib.1. Hiſtor. Dan.

tes, Magoſq; inauditi generis miracula diuerſis præſtigijs exercuiſſe,& per ſummam ludificandorum oculorum peritiam, proprios,alienoſque vultus varijs rerum imaginibus adumbraſſe,illicibuſq; formis veros conſpectus obſcuraſſe, & alia mirabilia feciſſe, vt ſupra de Simone Mago docuimus. Pithagoras *c* femur ſuum aureum oſtentauit:carmine Aquilam cicurauit,cum qua frequens colloquebatur.Baianus *d* Bulgariæ Rex, ſe quoties volebat in lupum, vel in cuiuslibet alterius beſtiæ formam mutare cernebatur:interdum faciebat, vt à nullo videretur. Refert Glicas *e* de Simone Mago præter ea,quæ ſupra diximus,quòd cum aliquando à Cæſare perquireretur,terrore perculſus,alteri ſua forma relicta, aufugit. Inſuper, illum habuiſſe canem alligatum catenæ in limine domus deuorantem eos, qui ad Simonem iniuſſi adire conarentur: Canis verò Petrum intrare iuſſit,& humana voce Petrum adeſſe nunciauit. Vides Diuinæ virtuti,quæ erat in Petro, Diabolicam uim ceſſiſſe,& Cerberum adulatum fuiſſe Petro cui non poterat nocere. Numa Pompilius cœnæ opipare apparatum exhibuit, cum nihil domi obſoniorum habuiſſet. Ollerus, oſſe incantato, tamquam nauigio uaſtiſſima maria ſuperabat, hoc ait Tritemius in Cronica Herſaugienſi;Ericus *f* Rex Gottorum, quocunq; uerteret pileum, inde uentum proſperum eliciebat. Apuleius ipſe multorum teſtimonio Magus *g* ſcribit admiratione digna de duabus fœminis, & primo de hoſpita quadam Sagarum Regina, in ſequenti exemplo.

c Pauſa. libro 1.

d Sabellicus lib. 3. Ennead. 2.

e parte 2. & p. 3. annalium.

f Saxo li. 3. Dan.

g lib. 1. de Aſino aureo.

Exempla.

HAec ſuperius citata, amatorem ſuum, quod in aliam temeraſſet,unico uerbo mutauit in feram Caſtorem, quòd ea beſtia captiuitati metuens,ſe ab inſequentibus præciſione genitaliũ liberat, ut illi quoq; ſimile,quod Venerem habuit in aliam,proueniret. Cauponem quoq; uicinum, atq; ob id æmulum deformauit in ranam,& nunc,ait citatus, ſenex ille dolium innatans uini ſui,aduentores priſtinos in fæce ſubmiſſus officioſis ronchis, raucus appellat. Alium de foro quendam,quod aduerſus eam loquutus eſſet,in Arietem deformauit.Eadem,amatoris ſui vxorẽ,quod in eam loquaciter probrum dixerat,iam in ſarcinam imprægnationis,obſcepto vtero,& repigrato fœtu perpetua damnauit prægnatione;& vt cuncti numerant,octo annorum miſella illa, velut Elephantem paritura diſtenditur. Subiungit idem author *h* de Pãphile: Maga primi nominis, & omnis carminis ſepulcralis magiſtra

h lib. 1. de Aſino aureo.

giſtra creditur, quæ ſurculis, & lapillis, & id genus friuolis inhalatis, omnem iſtam lucem mundi ſyderalis, imis tartari, & in vetuſtum chaos ſubmergere nouit; nam ſimul quemque conſpexit ſpecioſæ formæ iuuenem, venuſtate eius capitur, & illico in eum, & oculum, & animum detorquet: minus morigeros, & viles faſtidiens, in ſaxa & in pecua, & quoduis animal puncto reformat, alios verò prorſus extinguit.

Hæc omnia ſupradicta certum eſt præſtigiatoriè fieri, ſed ſancti, in Dei nomine, & in fide perfecta miracula, & mirabilia fecerunt, vt ait Apoſtolus, *i* Sancti per fidem impetum ignis extinxerunt, vt fecerunt pueri hebræi, K vt fecit Sanctus Franciſcus de Paula, & alij multi, attende ſequens exemplum, in quo cum fide, meritum quoque religioſæ obedientiæ reſpondet.

i Heb. 11. verſ. 34.
K Dan. 3.

Scribit Scardeonius huiuſmodi. Accidit aliquãdo fortè vt Præpoſitus quidam Prædicatorum D. Auguſtini, apud Ieſuatos D. Columbini ſectatores ad prandium inuitatus, accumberet, qui amoris epulis, dataque loquendi venia, cæpit de Dominicæ Paſſionis merito copioſè admodum arroganterque diſſerere, tacitè exprobrans eis, quod profeſſionem trium votorum cum inter Cœnobitas connumerarentur, publicè, palamq; cum ceteris Monachis ſolita non profiterentur forma. Ad id Ieſuatorum Præpoſitus, homo Idiota ſanè, ſed prudens, & Deo dilectus argutè reſpondit. Vis, ait, Pater, quoniam in hos ſermones incidimus, vtrum ex noſtris fratribus vnus ita ſimplici Deo quodammodo oblatus, an comes iſte tuus publicè tria vota profeſſus, ſuperiori ſuo obedientiã exhibeat ſinceriorem? Annuit ille ignarus quidem, libens. Tum Ieſuatus, ad hunc noſtrum Marcum quamprimum conuerſus, qui ibi fortè accumbentibus miniſtrabat, ait. Marce frater, hi ſodales noſtri frigent, in virtute ſanctæ obediẽtiæ, adfer huc eis citò è coquina nudis manibus ardentes prunas, vt confeſtim calefiant, & ille haud cunctabundus (vt erat ad obedientiam promptus) nihil fore credens, quod fieri non poſſet, ſi ſub obedientiæ præcepto mandaretur, feſtinus nihil hæſitans è coquina ad menſam, ardentes prunas quamplurimas ambabus manibus iunctis, abſque vllo detrimento, aut læſione ſui portauit, vtrique eas porrigens ad frigus tollendum, quas iterum iubente Præpoſito cunctis admirantibus, ad locum vnde detulerat, reportauit. Hinc Præpoſitus ille Dominicus vltra modum obſtupefactus comitem ſuum intuetur, quaſi idem eſſet illi ſtatim præcepturus, at ille cognita re, nihil cũctandum ratus, quamprimum in hæc verba prorupit. Ne me quæſo reſpondit Pater iubeas tentare Deum, adferam ſi voles ignem

Theodor. lib. 5. hiſt. eccl. c. 21.

prout

prout ſoleo, teſtula non manibus, at illi admirabundi ob tantum miraculum, hinc taciti intra ſe ſtupebant, hinc repentino comitis reſponſo delectati, ſe mutuo inſpicientes, ſubriſerunt.

De pacto expreſſo, & tacito Magorum cum diabolo. Cap. VII.

Doctrina.

OPerationes magicæ omnes innituntur pacto per Magos cum dæmone inito, itaut, quotieſcunq; voluerit Magus aliquid agere auxilio artis ſuæ, expræſſè, uel implicitè teneatur à dæmone poſcere, vt expacto concurrat: probatur per D. Ciprianum *a* dicentem, Magos habere fœdus cum dæmone; probatur per Auguſt. *b* cuius verba ſunt hæc. Artes huiuſmodi omnes, vel nugatoriæ, vel noxię ſuperſtitionis, ex quadam peſtifera ſocietate hominum cum dæmone, quaſi pacta infidelis, & doloſæ amicitiæ ſunt conſtituta. Probatur etiam Articulis pariſienſibus, his verbis. Inire pactum cum dæmonibus tacitum, vel expræſſum, Idolatria, ſiuè Idolatriæ ſpecies eſt: & intendimus eſſe pactũ implicitum in omni obſeruatione ſuperſtitioſa, cuius effectus, non debet à Deo, vel à Natura rationabiliter expectari. Et ſciendum eſt dæmones, non coactè, ſed ſpontè accurrere ad hoc faciendum, quia graui odio hominem proſequuntur: nec putare debemus eos gratis accurrere, ſed expectare prætium aliquod operis ſui. Eſt autem conuentio hominis, & diaboli, qualis eſt duorum latronum quorum alter palam in ſylua vagatur, alter verò latitat, excitatuſq; certo ſibilo, vel alio ſigno prioris, viatorem poſterior doloſa ſagitta, vel quoduis ictus tranſſigit, & necat, priore ſæpè id nec vidente, nec ſciente, in viatoris tamen mortem conſentiente: priori Magus, poſteriori diabolus ſimilis eſt. Hoc pactum, dæmon poteſt vel præſtare, vel fallere; ratione, & experientia probatur. Ratio docet dæmonem cogi non poſſe ab homine, vt ſtet promiſſis: Experientia docet mendaciſſimum eſſe, & decipiendi cupidiſſimum, & ideò rarò præſtare quod policetur. Si aliquando ſtat promiſſis (quod ſæpe facit) non facit coactus, ſed ſpontè, ac doloſè, vt ſic retineat ſibi Magos deuinctos, & alios alliciat, & huiuſmodi nugis vim iſtam ineſſe perſuadeat.

a lib. de dupl. martyr.

b lib. 2. de doct. criſtiana c. 23.

Pactum igitur huiuſmodi duplex eſſe ſolet, expræſſum, videlicet, & tacitum. Expræſſum fit ipſi diabolo in corporea aliqua for-

ma apparenti coram teſtibus,& fidelitas,ac homagium promittitur; tunc enim aliquando diabolus loquitur,& auditur, ſed non videtur,& tunc paciſcens negat Creatorem ſuum ore,& diabolus viciſim illi diuitias,& honores pollicetur. Aliquando fit per libellum ſupplicem,quem diabolo præſentat. Aliquando fit per vicarium,ideſt, per Magum, cum paciſcens reformidat dœmonis aſpectum,vel colloquium,& hoc pactum illud eſt,quod Grillandus *c* vocat tacitum pactũ,quàmuis enim profeſſio hic fiat alteri, quàm dœmoni, fit tamen expræſſè, & in dœmonis nomine. Fortaſſè ad expræſſum pactum pertinet forma illa in exemplo fœminæ Germanicæ,quæ obuerſo tergo ex balneatorio exiliens,dicebat,quantum à Chriſto ſic ſaliendo recedo, tantum ad dœmonem magis accedo. In omnibus eorum cum dœmone pactis, quædam ſunt communia, quæ vndecim gradibus continentur,ſequentibus.

c queſt.3. num.1. & ſequen.



Primò abnegant fidem,& Chriſtianiſmum, obedientiæ Dei ſe ſubtrahunt: Beatæ Virg. Mariæ patrocinium repudiant, & inſuper illam conuicijs diris inhonorant vocando illam ruffam,&c. & attribuit ſibi Dæmon honores,vt notat Auguſtinus *d* contra Fauſtinum cap.22.Quare Hyppolitus Martyr *e* ſcribit,quòd Dæmon eos cogit,vt dicant, nego Creatorem cœli,& terræ,nego baptiſma,nego adorationem Deo à me præſtari ſolitam, tibi adhæreo, in te credo,ideo Dæmon,vnguem illis in frontem inijcit, fingens ſe Chriſma abradere,& baptiſmi caracterem delere.

d lib. 10. de ciuitate Dei capi 20. & lib. 20.
e libr. de conſumm. Mund.

Odies

O dies infauſta, & amara horum ſceleſtium, in quã renuntiantes Deo, diabolo ſe dedunt, tunc enim incipiunt eorum dies mali, imò peſſimi, dies laboris & poenalitatis. Eccleſ. 40. occupatio magna creata eſt hominibus vſq; in diem ſepulturæ. Dies foetoris, calamitatis, & luxuriæ. Ezechiel. 16. in die ortus tui, non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita. Dies furoris, & ſuperbiæ. Iob. 15. cunctis diebus ſuis impius ſuperbit. Dies cruoris, & crudelitatis. Eſai. 22. dies conculcationis, & interfectionis eſt, & Malach. 4. dies veniet ſuccenſa quaſi caminus. Dies palloris, & fallaciæ, cum ſemper fallaciter agant. Iob. 17. noctem verterunt in diem, quia eorum vita peccatrix, quæ nocturna eſt, diurnam apparere faciunt. Dies indignationis. Hierem. 18. dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum. Dies ſeparationis, quia ſeparantur à bonis, vt mittantur in caminum ignis. Amos. 6. ſeparati eſtis in diem malum, & appropinquatis ſolio iniquitatis. Dies tribulationis. Sophoni. 2. dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & anguſtię, dies calamitatis, & miſeriæ; dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris, quia Domino peccauerunt. Dies deſperationis. Prouerb. 24. ſi deſperauerit in die anguſtiæ, &c. Dies percuſsionis, in die illa percutiam omnem equum in ſtuporem. Dies obliuionis. Iſai. 23. Vlulate naues maris, quia vaſtata eſt fortitudo ueſtra, in die illa obliuioni eris, ò Tyre. Dies tandem combuſtionis. Iudith. 16. Deus in die iudicij uiſitabit illos, dabit ignem, & uermes in carnes eorum, ut urãntur, & ſentiant uſq; in ſempiternum, & Iſai. 66. ignis eorum non extingnetur, & uermis eorum non morietur. Forma autem profeſsionis ſagarum, quam faciunt diabolo talis eſt.

Forma profeſsionis Sagarum.

Grillandus queſt. 7. ex confeſsione unius Maleficæ refert ſequẽtia. Hęc Saga ſub ſpe uitæ omnia recenſuit, quæ profeſsio ipſa requirit, & recenſuit ſingula illius capitula. Primum enim dixit, quod quando adducta fuit per illam eius Magiſtram ante tribunal Principis earum, qui eſt diabolus in forma Regis, præſidens in ſolio Maieſtatis; inſtructa prius à Magiſtra quid factura erat, uenit, & oportuit primo abnegare baptiſmum, & omnia Chriſtianæ fidei documenta relinquere. (Apoſtaſia) Deinde Eccleſiaſtica Sacramenta cuncta proijcere, pedibusquè proprijs conculcare crucem, & imagines B. Mariæ Virg. & aliorum ſanctorum. (ſacrilegium) quamuis hæc vltima, non fiant coram eo, fiunt tamen alibi poſtea, ſatis eſt, quod iſta promittant ſe facturas quàm primum feret occaſio. (Profeſsio). Deinde fecit obligationem, per ſo-

lemnem ſtipulationem in manibus ipſius Principis, quę uouit, & promiſit, quod perpetuò illi erit fidelis, & obediens, & omnibus eius mandatis parebit. (Votum). Deinde medio iureiurando tactis ſcripturis, ſuper quodam magno libro obſcuras paginas habente, præſtitit homagium, ſiuè perpetuum uaſſallagium (iuramentũ fidelitatis) Et quod nunquã redibit ad fidem Chriſti, nec diuina præcepta ſeruabit, ſed ſolum ea, quę per ipſum Principem erunt decernenda; & quod perpetuis futuris temporibus erit obediens illi, & ueniet, continuè, cum uocata fuerit ad ludos, & congregationes nocturnas, & quæ in eis, per alias mulieres fiunt, ipſa faciet, & quod etiam aderit ſacrificijs illorum nocturnis, & ſolitas preces, & cultum adorationis præſtabit. (Idolomania) Vota quęcumq; quæ ipſam præſtare contigerit, pro uiribus adimplebit, & quoſcunq; poterit alios ad eandem profeſſionem adducet. (decretum obſeruandum.) E conuerſò autem ipſe Princeps, egregia fronte, promiſit eidem mulieri ſic præſenti præſtare perpetuam fœlicitatem, gaudia immenſa, & uoluptates quaſcunq; in hoc mũdo habere deſiderauerit, & demum poſt hanc uitam, longè maiora munera conſecuturam. Hæc ille.



Secundò, fictè quoque illos tingit lauacro noui baptiſmatis.

Tertiò, negato priore nomine, nouum illis inditur, ut Rouerenſis Cuno, uocatus fuit Barbicapra.

Quartò, cogit abnegare patrinis, & matrinis, tam baptiſmi, quàm confirmationis, & nouos illis alios aſſignat.

Sed immolant etiam diabolo (quod peius eſt) carnes ſuę carnalitatis,per gulam panes ſuæ facultatis per auaritiam;fortitudinem , per ſuperbiam: ſimplicitatem per malitiam hypocriſiæ: iucunditatem,per inanem gloriam: iniquitatem , per luxuriæ fœtorem,& infamiam : Idcircò,per hæc elongantur à Deo; diſcordant cum proximo: excecant lumen mentis:expugnant,& fatigant eorum corda,& aliorum:eneruant ius:turpe lucrum frequentant ſuſcitant fallacias : infamant proximum ac illum in tormentis , per maleficia tenent . Sed vt omnia in peius ruant,per hæc illorum ſacrilega facta,obnubilant cor nubibus ignorantiæ:obſtruunt os vocibus inſolentiæ: capiuntur retibus fraudulentiæ,& eorum corpora deteſtanda inuoluunt fluctibus violentiæ;ſunt enim fallaces, & proditioſæ, loquaces, & garuloſæ : tenaces , & glutinoſæ : ardentes,& luxurioſæ:cautæ,& malitioſæ:leues, & curriculoſæ;rebelles, & litigioſæ:nociuæ,& periculoſæ.Quarè non immerito cōparātur Sui,per fœditatem luxuriæ: ſtercori,per vilitatem Infamiæ : Vrſo, per inſatiabilitatem auaritiæ: Vento,per inſtabilitatem laſciuiæ: Scorpioni, per fallaciam malitiæ : Leoni,per ſuperbiæ elationem: Draconi,per nequitiæ crudelitatem : Laqueo, per adherentiæ tenacitatem : Stillicidio , per diſcordiæ rixoſitatem , ideò tales abſorbet infernus,infernus enim ſimilis eſt ceruo, qui naribus abſorbet ſerpentes de cauernis ſuis,ac ipſos deuorat,Iuxta Iſidorum:ſic diabolus , abſorbet hos maledictos ſerpentinos , & venenoſos de cauernis huius mundi, vt ipſos in vtero ſuo,ideſt,in Inferno degluttiat,& tranſportet .



Quis

Quintò, dant Diabolo fruſtum aliquod ueſtimenti, quia Diabolus partem ſingularum rerum ſibi ſtudet uindicare: ex ſpiritualibus bonis, fidem, ac baptiſmum, ex corporalibus, ſanguinem, ut in ſacrificijs Baal, ex bonis naturæ, filios, ut demonſtrabitur alibi ex bonis fortunæ, fruſtum ueſtis.

3. Reg. 18.



Sextò, præſtant Dæmoni iuramentum ſuper circulo in terram ſculpto, fortaſſe, quia cum circulus ſit ſymbolum Diuiniatis, & terra ſcabellum Dei, ſic certè uellet eos credere eum eſſet Dominum cœli, & terræ.



Sep-

Septimò, petunt à Dæmone ſe deleri de libro uitæ, & ſcribi in libro mortis, & ſic legimus Magos Auinionenſes inſcriptos libro nigerrimo.

O petitio damnabilis, & deteſtanda, quid hac tutpius? quid hac deteſtabilius? quid hac odioſius? per hanc enim indurant in malo mentis uoluntatem; captiuant mẽtis libertatem: ſubiugant diabolo mentis dignitatem: occultant culpæ ueritatem: denegant cœli uoluptatem: procurant mortis grauitatem: aggrauant mentis agilitatem: obſtinant cordis nobilitatem: frequentant caſus neceſſitatem, & diſsipant morum fertilitatem. Ecce quot mala in hac petitione faciunt, nec mirum eſt ſi à Deo deſpiciuntur: à Paradiſo proijciuntur: à diabolo recipiuntur, & ab inferno tranſgluntiuntur, quia Infernus eſt propriè Cemiterium horum ſceleſtiſsimorum Magorum, & facinoroſorum hominum. Adde inſuper uiperarum huiuſmodi genimina, hoc genere petitionis, uoluntariè à diabolò expiſcari pœnæ æternę, & inſatiabilis, durationem, quia ibi perpetuò ſunt cathenis illaqueati, ubi eſt clauis Diuinæ ſententiæ, & ordinationis, quæ perpetuò ibidem eos includit. O pelagus inexauſtum tormentorum, ab his ſceleſtiſsimis, tamquàm fallacis amicitiæ diabolicæ ſectatoribus, electum. Sed id non eſt mirandum, quia in hac uita aſſociantur Angelo crudeli, de quo Prouerb. 17. Angelus crudelis mittetur contra eum, qui præcedit eos ſcandaloſè, conducit malitiosè: impugnat uiriliter: accendit crudeliter: deſtruit ſæuiſsimè: adblanditur ſagaciſsimè: miniſtrat ei promptiſsimè, & ſic eos diuertit à Deo callidiſsimè, ut ſint tot Antichriſti, cuius officium ſicut erit Deum denegare; ſanctos moleſtare: ſigna perpetrare: modicum durare; uitam fulmine terminare: ſic iſti Pſeudochriſti Deum negant, per inobedientiam, & rebellionem: ſanctos, & bonos moleſtant crudeliter, eos tribulando: ſigna uidentur poſſe facere, quoad mundanorum, & fatuorum æſtimationem, per fallaciam, & deceptionem: modicum tamen durare inueniuntur, per ſuæ corporalis uitæ præuentionem; & tandem fulmine atrocis ſupplicij infernalis perire, per damnationẽ. Idcircò dicitur. Ioan. 2. Antichriſtus eſt, qui negat Patrem, & Filium, negat, ſcilicet, malè operando. Imò dico quòd unuſquiſq; iſtorum diabolus eſt. Io. 6. unus ex uobis diabolus eſt; quia, ſicut diabolus habet naturã inuiſibilẽ: malitiam immutabilẽ, habet etiam ſæuitiam immitigabilem: ſic verè iſti peruerſi ſunt inuiſibili apparentiæ, ut patet, quia in occulto faciunt ſua. Ioan. 3. qui malè agit, odit lucem. Sunt immutabilis malitiæ, obſtinati in pecatis, quia in illis ſemper perſeuerant. 1. Ioan. 3. ab initio diabolus pec-

cat. Sunt immitigabilis ſæuitiæ, quia perſequuntur crudeliter, pauperes,& vicinos. 1. Petri. 5. Aduerſarius veſter diabolus, tamquam Leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret, quia habent in mente malignitatem; in animo crudelitatem; in malignando rapacitatem; Ideò ſunt diaboli, per patrem, quem imitantur; per fraudes, quas machinantur; per iras, quas operantur;& per pœnas, ad quas reſeruantur, pater enim diabolus eorum mentem indurat: viſum obſcurat: aurem obturat: & damna procurat.



q. de ſtrigib. c. 2.

Octauò, pollicentur ſacrificia, & quædam ſtriges promittunt ſe ſingulis menſibus, vel quindenis vnum infantulum ſtrigando, i. exſugendo, occiſuras, vt refert Batholomæus Spineus.

Sic olim facere conſueuerunt, qui ſacrificabant filios, & filias ſuas dœmonijs; & in aliquibus Indiæ partibus aliqui adhuc ſunt, qui Idolis ſuis immolant,& ſacrificat ſemetipſos: coram enim Idolo ſe occidunt, & ſic pro Deo ſe mori dicunt. ò ſacrificia verè diabolica, hæc enim ſunt ſacrificia ſuperbiæ, ſicut legitur. 3. Reg. 22. Adhuc populus in excelſis ſacrificabat. Sunt ſacrificia pigritiæ, vt eſt in pſal. comederunt ſacrificia mortuorum; quia pigri dicuntur mortui. Sunt ſacrificia iniuſtitiæ, de quibus. Sapien. 12. legitur, quòd odibilia opera faciebant, per medicamina, & ſacrificia iniuſta. Sunt ſacrificia luxuriæ, de quibus. Sapien. 12. legitur, quòd Egiptij obſcura ſacrificia faciebant, hoc eſt, opera luxuriæ, quę ſæpe volunt fieri in obſcuro. Sunt ſacrificia rapinæ, de quibus legitur. Eccleſ. 36. qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis,

quaſi

quaſi, qui victimat filium in conſpectu patris, ecce quomodo ſunt ſacrificia diabolica. Sed quid mirum quòd ſint talia, cum à fide apoſtatauerint? Sicut enim iuxta Senecam lib. de naturalib. quęſtionibus, ranæ quandoq; in nubibus generantur, vel ibi a vento, vel turbine raptæ, eleuantur, & introducuntur, quæ tandem rupta nube cum pluuia cadere videntur; ſic verè fit, quòd huiuſmodi improbi, quos turbo diabolicæ impreſſionis in nube fidei apparenter ſuſtulit non habentes ſtabile fundamentum, ſolent cadere, & fractis nubibus, ideſt, fidei liminibus, in qua videbãtur manere, inde per apoſtaſiam recedere, & inferius ad infidelitatem deſcendere, & vagari, hoc patet in primo Angelo apoſtatico, qui à nube cœleſtis habitationis cecidit: in Adam, qui à clauſtris paradiſi receſſit: In Iuliano Apoſtata, qui nubé Eccleſiæ, & fidei dereliquit, & cum pluuia mundanæ voluptatis, inferius ad ſtatum damnationis diuertit, diruſq; Chriſtianorum perſecutor factus, bella, & tribulationes contra Eccleſiam ſuſcitauit: bene igitur legitur Prouerb. 6. quòd homo apoſtata, uir inutilis, graditur ore peruerſo, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & in omni tempore iurgia ſeminat.

Nonò, quotannis aliquid ſuis Dęmonibus Magiſtellis pendere tenentur, vt vel plagarum metum, vel earum quibus ex pacto ſunt obnoxij p[illegible]ationum, redimant vexationem, nec legitimum eſt aliquid, niſi ſit atri coloris, vt refert Nicolaus Remigius. Lib. 1. de Monol. ca. 11.



Decimò, corporis alicui parti, modo huic, modo illi, Carace-

rem ſuum, velut de lapide emptis mancipijs fugitiuis ſolent imprimere, quod eſt inſenſibile etiam, aut perforatum, vt per exempla patebit. Non enim omnes, ſed eos tantum dæmon inurit ſigno, quos inconſtantes putat fore: ſignum autem non eſt ſemper idem forma, quia aliquando eſt ſimile leporis veſtigio: aliquando buffonis pedi: aliquando araneæ; vel catello, vel gliri. Nec minus in eodem loco ſemper inurit, quia in viris ſæpe videtur ſub palpebris, ſub axillis, ſub labijs, in humeris, in ſede ima: fœminis autem in mammis, vel mulieribus locis, vt obſeruarunt Daneus, & Godelmus. Et ſicut Deus iu veteri teſtamento ſignabat ſuos Circuncіſione, in nouo verò, ſigno ſanctæ Crucis, quod circuncіſioni ſucceſſit, vt aiunt Nazianzenus, & Hieronymus; ſic etiam Diabolus, qui amat Deum imitari, ab incunabulis Eccleſiæ hæreticos illos, qui Magicis ſimul implicati ſunt, certa inſigniuit nota, vt docet Irenæus, *e* & Tertullianus. *f*

e lib. 1. ca. 24.
f libr. de præſcript. aduerſ. hæret. poſt medium.



Vndecimò, ſic ſignati promittunt complura, vt puta, ſe nunquã Euchariſtiam adoraturos, iniurios ſe perpetuò, ac contumelioſos in B. Virginem Mariam, reliquoſq; Sanctos, futuros, non verbis tãtum, ſed & factis: conculcaturos quoque conſpurcaturos, & confracturos quaſuis Sanctorum Reliquias, ac imagines: Signo Crucis: aqua luſtrali: ſale benedicto: cereis, & reliquis ab Eccleſia benedictis, conſecratiſq; ſe abſtenturos: confeſſionem peccatorum integram ſe nunquam Sacerdoti manifeſtaturos: iſtudq; cum Dæmone commercium ſilentio pertinaci obſcuraturos, certis, & ſtatutis

dic-

diebus ad conuentus, ſi poſſint aduolaturos, & quæ illic peragentur, non ſegniter obituros, denique quotquot poterunt Dæmonis ſeruitio adiuncturos. Et Diabolus viciſſim pollicetur ſe illis ſemper præſto futurum, ſe in hoc mundo votis eorum ſatisfacturum, & poſt mortem illos beaturum,

Sciendum eſt etiam, quod Sagis hæc lex eſt perpetua, vt notat Remigius, *g* quando plures Sagæ ſimul conueniunt conſilio perdendi aliquem, & irritum fit conſilium earum Dei voluntate, quia fortaſſe ille, cui nocere volunt, commendat ſe quotidie Deo per orationes, munit ſe aqua luſtrali, & tuetur ſe ab eorum operibus Diabolicis per ſacramentalia, tunc contenditur inter eas, in quam earum cōe malum recidere debeat, vt impleant legem, quæ eſt; vt quod perperam in aliorum caput conantur, ac moliuntur, id in ſe admittere poſtea cogantur, quia nō patitur Dæmon irrita apud eas eſſe ſua conſilia: & tunc res ad ſortem reuocatur, & illa, cui luitio ſorte obtigerit, pro omnibus noxam pendere cogitur, Hanc neceſſitatem Dæmon attulit Cattarinæ Præuotiæ; Cum enim eam fortè libido inuaſiſſet veneno perdendæ filiolæ, quam vnicam Michael Cocus eius vicinus ſuſtulerat, atque id, & ſæpe, & fruſtra aggreſſa eſſet facere (quia eam mater quotidianis orationibus, luſtrationibuſq; contra malas incantantium artes munitam habebat) tandem, vt hanc veluti præde fruſtrationem aſſiduè incuſanti Dæmoni, cumulatiorem etiam reponeret, quem in cunis adhuc habebat infantem Odillum nomine, immiſericors Mater veneno perdidit.

g libr.1.de monolatriæ.ca.19.

In Froüé oppido.

Sed vt reuertamur vnde digreſſi ſumus, quid inducat dęmonem ad pactum cum Maleficis, & obſequium, ſeu obedientiam huiuſmodi aſſignatam, videtur eſſe quædam ſimilitudo malitiæ Maleficorum, & dæmonis, quæ amicitiæ ſimilem aliquam familiaritatem gignit, ex hac paulatim naſcitur mutua confidentia, hæc gignit minoris in maiorem quandam præſumptionem, & audaciā quaſi impetrandi, & in maiore, voluptatem aliquatenus præſtandi, quod à fœderato imperatur, & ita fit, vt Maleficus Dæmoni cōfidat, cui ſe putat imperare, & Dæmon ſimulat ſe imperium agnoſcere, vt bene, & diffusè oſtendit Abbas Tritemius *h* Talia pacta cum Dæmone facta, vt plurimum ſunt vana, & inania, nam Dęmō nunquam fidem ſeruat, nec vllo promiſſo, ſe ligari putat, qui Chriſto auſus eſt mentiri, cum dixit, hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.

h queſt.5. li.8.quæſtionum.

Cypriano Mago pollicitus eſt fruitionem Iuſtinæ, & tamen nihil præſtitit, quia à MENDACII PATRE VERITATEM EXPE-

Matthæi cap.4.

i lib. 8. cõtra Celsũ. CTARE SVMMA DEMENTIA EST. Vide Originem *i* Sed non ſolum vana, & inania ſunt hæc pacta cum Dæmone, ſed periculoſa, & pernitioſa ſupra modum, vt duobus exemplis nunc, alijs in locis pluribus docebo.

Exempla.

l li. 1. dæmon. ca. 9. THEODORVS Mailotius, vt refert Remigius, *l* Iuuenis ampliſsima familia natam Adoleſcentulam in Matrimoniũ ſibi dari petit, & illi eius potiundæ ſpes omnis eſt abſciſa, & erepta (nam, & fortuna egens, atq; humilis, famulatusque mercenaria conditione, in qua tum erat ignobilis, & deſpicatus, nullam ve detegendi quidem amoris ſui honeſtam ſatis rationem videbat.) Ergo, vt deſperatis rebus, & ipſa ſe iam deſerente expectatione; homines ad quod vis conſilium ſe facilè conuertunt, ac vllo delectu fugienda, ſequenda ve amplectuntur. Mailotius, Conſeruum ex germania, cui audierat Dæmonem eſſe ad quæcunque paratiſſimum, adit, huicque ſuam ægritudinem aperit, rogans, vt ſi quod ei remedium afferre poteſt, id ne grauatè faciat; ingrato enim nõ iri locatum beneficium. Hanc Germanus occaſionem libens accipit, vt cui ex pacto intra dies paucos neceſſe erat, vel ſe ſuo Dæmone liberare, atque expedire adducto alio, qui vt æs alienũ iſtud in ſe tranſcriberet, vel ab eo obtorta ceruice necari, atque interfici (ſiquidem hæc ei pacto lex addita fuerat) Agendo itaq; ei negotio conſequentis diei diluculum in clauſo, atq; recondito quodam conclaui condidit, vbi vix dum ſe ſiſterant, repente patefactis foribus, ſe infert lepida, & liberali forma puella (hoc habitu Dæmon primum ſe oſtendere volebat, ne Mailotius ad formidabilem eius aſpectum exhorreſceret) eamque ſeſe prædicat, quæ illi nuptias, quas tantopere ambiebat faciles eſſet confectura, modo vellet in ijs, quæ eſſet præceptura obſequi: ac illi auidè, attenteque expectanti, quæ nam eius eſſet ſententia; cœpit in primis dicere, vt furtis, crapulis, libidinibus, blaſphemia, cæterisque, quæ animum inquinant vitijs temperaret, pietatem coleret, inopes facultatibus ſubleuaret, ſe ipſum bis in hebdomada ieiunio maceraret, ſolemnes, & quotidianas preces ne intermitteret, eaque ſedulò omnia faceret, quæ Chriſtianum hominem decet, & æquum eſt facere, iſtis enim omnibus ſi ſe vellet nuncupatis verbis obſtringere, futurum, vt petitis Thalamis ſine vlla difficultate, potiretur. Hæc ſic eloquuta, ac conſtituto intra quem reſponſum auferret die, foras prodiuit. Mailotius, qui viderat tam ſanctis, atq; honeſtis conditionibus

bus tantum ſibi beneficium obtendi, iam nihil cunctandum putabat, quin id gratus, ac lubens acciperet. Sed dum magis, magiſq; in eam rem cogitationem intendit, atq; hic illuc variè inter ſpē, & metum impellitur, ex eius vultu, domeſticus quidam Sacerdos coniijciens aliquid ſubeſſe, quo ſic diſtraheretur, eum blandè adortus, ac quid animo agitaret expiſcatus, monitis ſuis peruicit, ne amplius ad colloquium vllum cum Dæmone deſcenderet: ſicque fruſtratus ſua expectatione Germanus, non longè abijt, quin ex pacti formula pœnas daret, non enim multis poſt diebus, equo plana, atque aperta via decidens, inque caput proruens, exanimis momento temporis repertus eſt.

Refert Ioannes Niderius, quòd in minori Baſilea paulò ante præſens Generale Concilium, domicilium habuit, quidam vir malę vitæ, & fortaſſe de Maleficijs ſatis ſuſpectus. Hic habuit filiam, quam in domo Iuueni cuidam nuptui tradidit, & tandem ſenex pater ægrotare cœpit, & ad filiam, & Generum, demonſtrato quodam ſcrinio dixit, hoc vaſculum non moueatis, alioquin vos pœnitebit, ſed in loco ſtare permittite, vſq; poſt meum deceſſum, & ita breui vetulus mortuus eſt. Tranſacto autem tempore plurimo, nec filia, nec eius maritus magni fecit patris iuſſum, ſed de domo priore in aliam domunculam transferentes, ſcrinium, quod ſatis modicum fuit portauit extra domum hoſpitium nouum verſus, ſed in ipſo itinere tanti ponderis eſſe cœpit, vt in ipſo viriles artus deficerent, & exinde pro adiutorio vxorem vocauit. Hæc autem vxor, an poſtea in domo ſcrinium aperuerit, vel alio modo incautè ſe circa vas habuerit, neſcio, vnum conſtat, quòd in domum nouam cum infantulo, quem genuerant parentes prędicti venerunt, & ecce ſubito vxor velut rabida ſuper cunas irruit, eum necare volens, quòd Maritus intuens vi Vxorem inuaſit, ac eam à dęmone eſſe obſeſſam didicit, quæ cum exorcizaretur, minatus eſt dęmon, ſe non exiturum, niſi eam necaret, & ita factum eſt ſub Exorciſtæ manibus. Altera die Maritus per viam incedens publicè, caſum, lapidis recepit inopinatiſſime de ſuperiore parte cuiuſdam canalis cadentis, & in facie cooperatione Dæmonis (vt videbatur) percuſſus eſt tam deformiter, vt vix homo videretur. Lib. 5. Fornicarij.

Ecce quomodo Dæmon vltus eſt, fortaſſe, pactum initum cum illo ſene, vt qui aperirent Scrinium, ſiue mouerent, necarentur, ab ipſo. De his incluſis dæmonibus multa docet Creſpetus, ſcilicet, quòd ſuis Dominis, aliquando, ſi ſunt præſentes, quoſdam eſſe Saturninos, alios Iouiales; alios venereos, alios mercuriales, &c. colendos certo ritu, ſtatis vicibus noctu poſſeſſorem

ſuum.

ſuum excitare, & nonnunquam niſi malum malint, ab eo alloquendos.

Reliquum eſt nunc, vt aliud referam exemplum, de Sagis retorquentibus mala tentata, & irrita, in ſeipſas, prout in doctrina dixi. *m* Catharina Præuotia ſuperius nominata proprio ore referebat ſequentia; Cum conſilium vna iniuiſſemus, ſcilicet multæ Sagæ, de faſcinando Freſentij Sutoris pecore, atque id neſcio quo facto impeditę nequiuiſſemus facere, patrandum nihilominus fuit aliquid, quo ſcilicet illi, qui eam veluti prædam certus expectabat aliqua ratione eſſet ſatisfactum. Sorte igitur experiri placuit, in quam hæc faba cuderetur: ducta eſt, & in Agnetem Eyſuuitz omnium nequiſſimam, flagitioſiſſimamque fœminam incidit, quæ nihil facti morata, atrocitatem alacri animo præſentibus ſocijs, viginti annorum proprio filio Petrus nomine, medicatam potionē propinauit, vnde non multo poſt, illi totum corpus prodigioſè diſtortum deprauatumque fuit. Hoc nimirum faciendum erat, vt à dæmone, qui nihil vnquam condonat, morte etiam duriora pateretur.

m In Freiſen 4. non. Septemb. 1589.

Sortilegi diris Imprecationibus, & factis petunt pluuiam, grandines &c. Cap. VIII.



Doctrina.

VEnti ſunt vapores frigidi, & ſicci, ex terris, & aquis per calorem reſoluti; aerem per ſui incorporationem fortiter cōmo-

mouentes, & impellentes. Ex pluralitate horum fiunt turbines, quæ nil aliud ſunt, quàm diuerſorum ventorum ſibi in aere occurrentium mutua colluctatio, quo fit, vt aer valde turbetur, puluis eleuetur, & domus, ac arbores nonnunquam eradicentur, & euellantur. Ab his turbinibus deferuntur ſæpius in terris, ad ſata, & alia deſtruenda, grandines, qui nil aliud ſunt, quam vapores ex frigido, & humido in aere generati, qui ſi circa terram generentur, tunc grando maior, impetuoſior, & frigidior generatur, & per cõſequens, & maiora infert damna; quæ omnia ſi naturaliter generantur, mala in pernitiem noſtram afferunt; poſſunt etiam dæmones, & eorum ſequaces malefici, in fulminibus, tempeſtatibus, grandinibus, &c. poteſtatem habere, Deo permittente. Hoc teſtatur ſcriptura, Iob. 1. &. 2. vbi diabolus accepta à Deo poteſtate, fecit ſabeos, boues, & Aſinas ipſi Iob auferre, aliaq; mala, quæ ſcriptura commemorat, perpetrare. Vbi D. Thomas ſuper Iob, ita ſcribit. Neceſſe eſt fateri, quòd Deo permittente poſſunt dæmones perturbare aerem, uentos concitare; efficere, ut ignis de cœlo cadat. &c. Verum hæc damna, quandoq; diabolus ſolus infert, ſic diſponente Deo, ad uindictam peccatorum hominum, & quandoq; concurrunt Malefici cum dæmonibus ad perpetranda mala, & libentius diabolus, concurrente Malefico, affectat hominibus nocere, quia, per hoc Deus magis irritatur, & inde maior facultas exoritur puniendi, & affligendi homines. Sed non omnes, quos uolunt, poſſunt Malefici offendere, ut alibi dictum, eſt, ſed ut teſtatum reliquit Maleficus, eos ſolum lædere poſſunt, qui Dei deſtituti ſunt auxilio, propter peccata mortalia, nec in eos poſſunt, qui ſigno crucis, ſe muniunt. Modus autem, quo vtuntur ad hæc peragenda, præter eum, quem alibi docui, talis eſt.

Primo certis uerbis in medio camporum, uel in deſertis, Principem dæmoniorum Luciferum implorant, qui aliquem de ſuis mittat, & percutiat à Maleficis deſignatum; deinde eidem dæmoni in biuio, pullum nigrum immolant, illumq; in aerem proijciunt, quem diabolus ſuſcipit, obedit, & ſtatim aerem concitat, non tamen ſemper in loca à Maleficis deſignata, ſed iuxta Dei permiſſionem, grandines, & fulgura deijcit. Vnde legitur de quoddam Stadlio Malefico, qui quotieſcunq; uolebat è uicinis agris tertiam partem frugum, uini, fœni, frumenti, ordei. &c. nemine uidente ad proprium pelliciebat: procurabat grandines uiuaciſſimas, & auras peſtiferas cum fulminibus: In conſpectu parentum, filios prope aquam ambulantes, nullo uidente, in ipſam proijciebat. Sterilitatem in hominibus, & iumentis procurabat; occulta alijs mani-

feſta-

feſtabat: in rebus,& corporibus quibuſcunq; modis lædebat. Ictu fulminis nonnunquam, quem uellet,interimebat,ac multa alia peſtifera procurabat,quando ſic Deus permittebat.

Cùm igitur dœmones ſint ſpiritus nequiſſimi, humanæ naturæ hoſtes accerrimi,& ſæuiſſimi,cupidiſſimiq; nobis nocendi, & poſſint tempeſtates mouere; hoc fit dupliciter, uel Deo permittente, ut uires angelicas exercere poſſit, uel Deo uolente. Permittit Deus, illos multa mala facere ad obſtinatorum damnationem, ad peccantium punitionem,ad fidelium probationem,& exercitationem,uel ad Dei gloriæ manifeſtationem,ut tradit Ioan.Gerſon.1. par.tractat.de erroribus circa artem Magicam. Procurat igitur diabolus, concitat,& mouet turbines,procellas, & diuerſas alias tempeſtates,& calamitates,incommoda permulta,& infirmitates ex Dei uoluntate; tamquam miniſter iuſtitiæ Dei, & in hoc punitionis actu duas habet voluntates;prima eſt contraria Deo præcipienti,quia ſi poſſet hominibus nocere abſq; hoc quod Deo obediret,faceret. Secunda eſt,ira,odium, & rancor homines flagellando.Fit tamẽ aliquãdo vt huiuſmodi punitio ex Dei voluntate, exequatur quãdoq; à bonis,& quãdoq; à malis Angelis. De bonis Angelis,irã,indignationẽ,& furorẽ Dei exequẽtibus multa ſunt in ſacris litteris teſtimonia Gen.cap. 19. de Angelis, qui Euerterunt Sodomam,& Gomorram. Item 4.Reg.19.de Angelo,qui de exercitu Regis Senacherib vna nocte occidit centũ octoginta quinq; millia hominum propter blaſphemiam Regis. Item tempore S. Gregorij,de Angelo percutiente,Romam,peſte. De Angelis verò malis extant etiam in ſcriptura ſacra multæ authoritates, quas citat Couaruuias lib.4.variarum reſolut. cap.6. quia, vt dixi ſunt vltores,& executores Diuinæ iuſtitiæ.Pſal 77.miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationẽ,& irã,& tribulationẽ, immiſſiones per Angelos malos. Narrat etiam Diſcipulus in ſermone.105. in quadam Angliæ regione, innumeram nigrarum, magnarumq; muſcarum comparuiſſe multitudinem, quæ paruo temporis ſpatio,ſegetes,herbas,arbores,& ſata omnia,ad quinq;, & vltra,miliaria deuaſtauit, & corroſit, Incolæ autem cognoſcentes id ſibi accidiſſe propter eorum peccata, apprehenſa vna illarum muſcarum, viderunt in vna alarum ſcriptum, ira; in altera ala. Dei.

✠ Experientia compertiſſimum eſt,Sortilegos non pluuiæ tãtùm, grandini,& ventis imperare,ſed & fulminibus quoq; Deo permittente. Quare Andræas [a] Cæſalpinus Peripateticus ita ſcribit. Viri reperti ſunt,qui non ſolùm grandines, ſed & fulmina concitabant,

[a] In Dæmon.inueſtig.ca. 11.

bant, non tamen lædere poſſe fatebantur quoſcunq; vellent, ſed eos tantùm, quos Deus dereliquiſſet, ideſt, (ſic reor intelligendũ) qui per mortale peccatum Dei gratia excidiſſent: poſſunt inſuper tenebras excitare; Vnde legitur apud Marcum Venetum *b* Tartaros adeo pollere Dæmonum præſtigijs, vt tenebras cum velint, & vbi velint inducant, ſemelq; a latronibus hac arte ſe circumuentum, vix euaſiſſe; Haitonus *c* quoque narrat, prælio inclinatam Tartarorum aciem à Vexillario Mago, qui præcãtatione tenebras hoſti obſcuriſſimas offudit, reſtitutam viciſſe. Poſſunt fluuios ad tempus ſiſtere: fontes venis exſiccatis durare: ſcopulos, & ſaxa nouis fontibus terra productis diluere: aquas dirimere, & in caput repellere, vt retrofluere videantur, quod ſuis temporibus accidiſſe *d* Plinius fatetur. Multa exempla refert Remigius *e* verùm ponam hic nonnulla alia.

b In peregrinatione Aſiatica.
c In hiſt. Sarmatarum.
d lib. 2. ca. 103.
e lib. 1. ca. 25. & lib. 29. demon.

Exempla.

IN ditione Treuirenſi Ruſticus fuit, qui cum filiola ſua octenni caules plantabat in horto, is filiam forte collaudauit, quòd aptè hoc munus obiret: illa ſexu, & ætate garrula iactat ſe noſce alia facere magis ſtupenda, pater quid id foret ſciſcitatur: ſecede paululum, inquit, & in quam volueris horti partem ſubitum imbrem dabo: miratus ille, age, ſecedam ait; quo recedente ſcrobem puella fodit, in eam immeit, lotiumq; bacillo inturbidat, neſcio quid ſubmurmurans, & ecce ſubito adeſt pluuia de nubibus in dicto loco. Obſtupefactus pater, inquit, quis te docuit hoc? Mater, reſp. illa, huius, & aliorum ſimilium peritiſſima. Zelo incitatus Agricola, poſt paucos dies, inuitatum ſe ad Nuptias ſimulans, vxorem cum filia, feſtiuè nuptiali modo exornatas in currum imponit, in vicinum Oppidum deuehit, & Iudici tradit maleficij crimen ſupplicio expiaturas.

Habetur in Malleo Maleficarum, quòd, cum quæſitores quidam vellent periclitari in venefica muliere, quam forte in vinculis habebant, vera ne eſſent; quæ de ſua in commouendis tempeſtatibus poteſtate ſortilegi prædicarent, eamq; ob id manu ſua miſiſſent (nam tantiſper dum in reatu manent, magicas vires omnes illis eſſe ademptas certum eſt) ſecedens illa in confertum arboribus locum ibi ſcrobem, quam manibus ipſa foderat, lotio impleuit, quod demum digito mouere non deſtitit, quoad ex eo ſuſcitatus, atq; elatus vapor in nubem opacam concreſceret, quam ſtatim tonitrua, ac fulgures crebri interſecarent, maximo cum aſpicientiũ

G metu,

metu,ac formidine. Sed illa,bono eſtote animo,inquit,iam faciã, vt nubes hæc,in ea quæ voletis loca tota deportetur, quæ cum illi in propinquas ſolitudines deſignaſſent,eò ſubita ventorum vi, ac tempeſtate delata nubes properè in ſaxa,ac grandines deſilijt,calamitate interim omni inter demonſtratos,iuſſosque fines ſe cohibente,ac continente.

Ferè primo ſimile eſt ſequens. Ruſticus quidam Suauienſis querebatur vehementiùs de ſiccitate, qua tum laborabatur, conquerenti forte fit præſens eius filiola octo,vel decem circiter annorum & ait,ſi ita iuberet,agrum, in quo tunc vnà erant, ſe largo imbre ſtatim eſſe irrigaturam: & cum pater dixiſſet ſe id percupere, illaq; paulùlum aquæ ad id ſibi dari poſtulaſſet,ad Torrentem, qui in propinquo decurrebat,deducta eſt,vbi exagitata vnda, Magiſtri illius (aiebat) auſpicijs, cui ſe mater addixerat,tantum illico pluuiarum Cœlo decidit, vt ſatis eſſent ei agro abundè irrigando, cæteris interim quaqua verſum perinde, atque antea ſitientibus.

f lib.1. demonol. ca. 25.

Alexia Graniana Saga,narrauit (vt refert f Remigius) cum itidem nubibus permixta vectaretur,ac forte præteriens,in eum peruenisset locum,unde deſpiceret ex municibus ſuis quendam equos paſcentem,cui nomen erat Ioannes Vehon, ex improuiſo aſtitiſſe ſibi atra,ac prægrandi figura hominem,qui uelut obſequendi cupidus rogaret,eſſet ne aliquid illic,per quod illi ruſtico uellet malè eſſe, ſe in promptu habere unde illum ulciſceretur, & cum ipſa reſpondiſſet,ſibi cum illo graues eſſe inimicitias, quod unicum filium olim in eius paſcuis equitium habentem, penè uerberibus necaſſet.Eia,inquit ille,aſſentire modo,iam faxo, ne diutiùs id inultum ferat,ac dicto citiùs in ſublime elatus,uel quo nulla queat intendi oculorum acies,illico fulmen cum ingenti flamma,ac fragore in ſubditos equos contorſit,ex ijsq; duos proſtrauit,uidente,ac multum trepidante Ruſtico,qui uix triginta paſſus ab eo loco aberat,ſicuti ipſe eſt eloquio ſuo teſtatus.

g lib.5. belli Neapolis

Iouianus Pontanus g refert, quòd Ferdinandus Neapolitanorum Rex, Marcos Oppidum, arci montis Draconis ad Maſſicorum montium exitum ſitæ, ſubiectum, Andegauenſium factioni fauens, arcta obſidione premebat, & defectu aquarum quaſi ad deditionem compulerat: cum quidam impij ſacerdotes Magicis artibus imbres elicere auſi ſunt: inuenti enim ſunt ex oppidanis, & obseſſis,qui nocturnis tenebris, deceptis caſtrorum uigilijs, per aſperrimas rupes furtim profecti ad litus,trahentes ſecum imagi-

nem

nem crucifixi, maledictis illam prius, ac diro proſequuti carmine, poſt in mare execrabundi, immiſerunt, cælo, mari, terriſq; tempeſtatem impręcantes. Quo etiam tempore; Sacerdotes quidam mortalium omnium ſceleſtiſſimi, dum ſatisfacere profanis militũ artibus ſtudent, ritum nefarium ſequuti, vt huiuſmodi imbres eliciantur; Aſino pro ædis foribus conſtituto, tamquam agenti animam cecinere funeſtum carmen, poſt Diuina Euchariſtia in illius os palatumq; iniecta, conclamatum Aſinum funereis cantibus viuum tandem ibidem pro templi foribus humauere. Hic verò vix dum perfecto ſacro obnubeſcere aer, ac mare agitari ventis cum cœpiſſet, diesq; medius offundi tenebris, ac nunc cœlum micaret ignibus, nunc lux omnino eriperetur, tonitru Cœlum terraq; horreſceret, volitarent euulſæ ventis arbores, diſciſaq; fulminibus ſaxa complerent auras fragoribus, prorupit e nymbis tanta pluuia, imbresq; tam validi, vt non Ciſternæ modo colligendis aquis ſufficerent, ſed arentia ſaxa, rupeſque exuſtæ ſolibus, torrentes unde quaque prolapſos diffunderent. Ita Rex, qui ſola in ſiti potiundi oppidi ſpem collocauerat, ſpe fruſtratus, ad Sauonem vetera in caſtra rediјt. Hoc exemplum, lector, ideo notare volui, vt monearis qui abuſus in quaſdam Regiones irrepſerint, trahendi Crucifixi & Sanctorum imagines. In Germania, & aquitania ad impetranda commoda anni tempora; contra quos in Cantabria Martinus de Arles edidit librum de ſuperſtitionibus.

Quid poſſint Magi circa eſterna. Cap. IX.



Doctrina.

INter Sagas & dæmones ea eſt lex præcipua, vt cum accedunt ad ludos ſemper aliquid mali noui patrati à ſuperiori conuentu oſtendant, quòd ſi à ſuperiore conuentu nullo ſe nouo ſcelere obſtrinxerint, non impune euadunt. Ne verò in hoc ſe ignorationis vlla excuſatione defendant, improbus earum Magiſter, ſingillatim de omnibus, quæ à ſuis poſtulat, ſcholas habet, præceptaq; tradit, veluti de frugibus inferenda calamitate: de immittendis in arbores, fruticesq; locuſtis, bruchis, Campe, limacibus, papilionibus, erucis, atque id genus infeſtis vermibus, quæ omnia deuaſtant, ſata, olera, fructus: Item de faſcinando pecore: de ſegetibus pelliciendis, labefactandiſque erugine, aut tabe quauis alia: de ſpargendis venenis, atque adeo, de perdendo quantum in eis eſt vniuerſo mortalium genere; vt vnumquodque horum ſinguli teſtatum ſua confeſſione reliquerunt. Helena *a* Armentaria *b* Anna Ruffa. Ioannes *c* piſcator. Coleta eius vxor, & plurimi alij quos breuitatis gratia omitto. Hæc Remigius libro 1. capit. 22. & alibi, vt eſt uidere apud ipſum.

a Duſæ prid cal. Octob. 1586.
b Ibidem Cal Octob anni 1586.
c Gerbeuil lei 4. nones Maij 1585.
d in Ecclog. Virg.
e In apolog.

Poſſunt præterea greges, & armenta perimere, quod faciunt ſparſo ueneno, uel exhibito, uel immittendo dæmonem in eorum corpora, & tunc ea præfocat, præcipitat, uel diſcerpit, Poſſunt meſſes, & fructus alienos aliò traducere, ut narrat Seruius, *d* & Apuleius.

Poſſunt quaslibet fruges, terreq; fructus perdere, & agris ſterilitatē inducere. Magi enim malo carmine, diabolum inuocant, ille fruges mox perdit, & anni prouentū. Solent à diabolo acceptum puluerem minutum ſpargere; inde, erucæ, bruchi, locuſtæ limaces, Campe, & id genus, peſtes agrorum, & hortorum confeſtim enaſcuntur, & omnia deuaſtant, & depopulantur, ſata, olera fructus. Interdum hoc facto murium copiam excitant, qui ſtatim in terram ſe abdunt, & germina, radicesq; conſumunt. Interdum iumentis furorem immittunt, à quo tandem iteratis aculeis, crudeliter interficiuntur. Interdum lupos ex caua arbore (ut uidetur) educunt, & in quod uolunt ouile immittunt, unde non niſi graui ſtrage illata reuertuntur. Hæc omnia in iudiciarijs confeſſionibus conſtant apud Remig. *e* qui cenſet tunc à diabolo non produci de nouo has peſtes, ſed undiq; celeriter ab eo collecta in

e lib. 1. ca. 13. & 24.

locum

locum unum congregari, quod quidem an poſſit facere, non eſt ambigendum. Lupos illos nocentes; & inſidiantes gregi. veriſimile videtur eſſe dœmones, qui ſpecie lupina ſtragem faciunt. locuſtæ verò, mures, & alia id generis inſecta, quia ex putredine, applicando actiua paſſiuis naſci poſſunt, cenſemus diabolum illa poſſe producere, tempore tamen ad id requiſito, quod breuiſſimũ eſſe poteſt.



Ait Auguſtinus *f* Poſſunt igne domos conſumere, vt contigit in quodam Oppido, ſicuti ſuo loco dicemus, quod in Sueuia *g* anno 1433. fuit à quadam Saga concrematum.

f lib. 8. de Ciuit. Dei.
g Lycoſti lib. de prodigijs.



Poſſunt

Poſſunt exhibere conuiuia,vel fantaſtica planè,vt exhibuit Scotus Parmenſis,ex cuius epulis ſaturi,vt ſibi viſi Conuiuæ, mox fame vera cruciabantur : vel ex ueris cibis, ſed ſunt mali guſtus, & odoris tetri,quia Deus non permittit, ut ſuaues cibos apponant *h* Sal,ut plurimum deeſt, ſæpe panis, quia fortaſſe baptiſmo ſal miſcetur,& in Euchariſtia paſcimur uiuifica Chriſti Domini carne, panis ſpeciebus ſiue accidentibus uelata. Poſſunt etiam Deo permittente & ſal,& panem apponere, ac cibos ſapidos,ut ipſe Sagæ Iudicibus confeſſæ ſunt,ſed hoc raró fit. Quando Deus uult,poſſunt captiuos carceribus, & uinculis eripere motu locali tantum, & ad hoc opus eſt fractione ; quòd cum homines facere poſſint, cur non & dæmon;extat apud Tritemium narratio memoratu digna,pro ut inferiùs.

h Remig. li. 1. c. 16. ex iudiciariis confeſſionibus Sagarum.

Exempla.

SVperioribus Annis Treuiris affecta fuit ultimo ſupplicio maga,nominis notiſſimi, quæ in domus ſuæ pariete inſerto Epiſtomio,lac omne uaccarum alienarum eliciebat, uidelicet, dæmon eas mulcebat,& celerrimè lac eò tranſportabat.

i li. 1. c. 23. Ruſticus quidam,ut refert Remigius, *i* apud Vegeſos, nomine Deſiderius Financius, ſi quando cum popularibus diſcumberet, pedibus aduolutum canem habebat,à quo demiſſa clam manu uenenum acciperet,quod deinde cui uellet infunderet, ex eoq; ſatis multos perijſſe,priuſquam illius fraudis in eum vlla transferretur ſuſpicio.

l li. 3. c. 21. Idem author *l* refert,quòd Vuelſch Antonius rogatus : vt Sortilegorum Sodalitati hortum, quem apud domum ſuam habebat in noctis ſequentis ſaltationes commodaret, primùm quidem negauit ſe id facere poſſe,quia dicebat ſibi ea nocte peregre eſſe oportere,ſed cum nihilominus pergerent rogare,atq; adeo pro ſuo iure inſtare,exorari quidem ſe ſciuit, ſed tamen ſicuti ante cauſatus fuerat,aliò profectus eſt.Poſtero igitur mane domum reuerſus, ac hortum forte ingreſſus,eum paſſim campis ac limacibus depaſtũ reperit,ipſiſque beſtiolis etiam nnm oppletam vndequaque horti aream,quod tamen tacitus tulit ſolita ſcilicet nefariæ illius ſodalitatis veſtigia agnoſcens.

m In Chronic. Hirſaugien. Anno Domini 1323. Fridericus *m* Dux Auſtriæ,qui contra Ludouicum Bauarum Imperator delectus erat, inter Oetingam, & Moludorphum magno prælio victus, Ludouico traditus,qui in Arcem munitam eum aſſeruandum miſit. Magus interim quidam

Lu-

Lupoldo fratri eius in Auſtria promiſit ſe ſua arte Fridericum incolumem eductūrum vnius horæ ſpatio, ſi digna ſibi merces numeraretur. Dux liberaliter promiſit. Ergo Dæmon ad Fridericum ablegatus auolat in Bauariam, formaq; peregrini aſſumpta cuſtodiam ingreditur, inquiens, ſi ex captiuitate vis liberari, hunc equum aſcende, & te in Auſtriam ad fratrem tuum Lupoldum incolumem perducam: Cui Dux, quis es tu; ad quem ille, noli interrogare quis ſim, quia nihil ad rem, ſed aſcende hunc equum, quem tibi exhibeo. Hic, cum Ducem etiam audaciſſimum horror inuaſiſſet, & ſe ſigno ſanctæ Crucis muniuiſſet ſpiritus cum nigro equo diſparuit, & vacuus ad mittentem reuerſus eſt, à quo interrogatus & increpatus cur non adduxiſſet captiuum, rei ordinem geſtæ narrauit.

Ollerus Magica arte apud Suecos, armis clarus euaſit; adeo vt Diuinitatis opinionem ſit adeptus, authore Saxone Grammatico, n qui de Oddone Danico pirata ſic ſcribit lib. 5. Abſq; naui fretū perluſtrans, hoſtilia ſæpe nauigia concitatis carmine procellis, euertit, negotiatoribus infeſtus; clemens agreſtibus. Inito cum Normanis Conflictu, ita vi carminum hoſtilem hebetauit aſpectū, vt Danorum diſtrictos enſes eminus radios iacere putarent, cominus verò ne ferrum quidem vagina exſtractum viſu excipere poterant, victa quippe fulgore acies præſtigioſæ coruſcationis impatiens erat. De Tartarorum contra Polonos memorabili victoria Cromerus o his ſequentibus.

n l.3. Dan.

Poloni Tartaros Anno Chriſti 1240. ad Legnitiam commiſſo prælio grauiter urgebant, & fugientibus inſtabant. Erat in extremo Tartarorum agmine inter alia ſigna Vexillum inſigne, cuius pictura X. litteræ figuram præſeferrebat, in cuſpide uerò figura erat tetra nigraq; capitis humani barbati. Id Vexillum cum Signifer uehementius quateret, fumum, atque nebulam denſiſſimam, & fœdiſſimam exhalabat. Ea nebula non modo aſpectum barbarorum Polonis adimebat, uerum etiam odore teterrimo eos necabat, incantationibus id quibuſdam Tartari fecerant, quibus iuxta ariolationibus, diuinationibusq; cæteris, cum alias, tum in bello plurimum utuntur, ex humanis etiam factis, de futuris euentibus coniectare ſoliti. Barbari, ubi Polonos trepidare ſenſerunt, cohortati ſeſe inuicem, impreſſionem in eos faciunt, perturbatisque ordinibus, magnam cædem ediderunt. Tantus eo prælio Chriſtianorum numerus fuit interfectorum, ut ſingulis ſingulæ aures à Tartaris præciſæ, nouem ingentes ſaccos expleret.

o In Anaſtaſio li. 8. hiſtor. Polon.

Chinenſes Normam Virginem pro ſancta colunt, de hac ſcribit Gon-

p Lib. 2. hiſt. chin. cap. 2.

Gonzalnus *p* Mendoza, eam hunc cultum Magicis artibus adeptam fuiſſe. Nam cum quidam Dux belli, Compo nomine Regis iuſſu Claſſem in quandam inſulam duceret, is nulla ui anchoras ſoluere potuit ad nauigandum; tandem aduertit nauis ultima parte inopinam Noemam aſsidere; accedit uenerabundus, & opē, conſiliumq; implorar, illa refert, niſi ſe ductrice Chinenſes uictoria non potituros. Vnā ergo proficiſcitur, & hoſtes Magicis præſtigijs fidentes, maioribus præſtringit. Illi Deo in mare fuſo, quaſi Claſſis incendio abſumeretur, oĩa fictitijs flammis inuouebant. Noema eſtinguebat, & ſimilia eorum ludibria pellebat arte efficatiore; adeo ut, cum oĩa in caſſum conati ſe uiderent, uictos ſe profeſſi Compo dediderint.

Pergamenſes etiam olim conati ſunt ſe Magicis artibus obſidione liberare, irrito conatu operam luſerunt, vt narrat Paulus Diaconus *q*.

q lib. 20. rerũ Romanarum.

Tempore Leonis Iſauri, Maſalmas Princeps Saracenorum Pergamum nullo negotio occupauit, quamuis Ciues freti Mago quodam horrendũ Diabolo ſacrificium immolaſſent, ſecta pregnante fœmina, & fœtu viuo extracto, & in cacabo elixato, cunctisq; bellatoribus manus dexteræ manicam tam impio ſacrificio funeſtantibus. Author Theophanes.

r in hiſt. Boemi.

Vratiſlaus Lucenſis Dux (verba ſunt Aeneæ *r* Siluij) Vratislauiæ Conditor, bellum contra Gremoziſlaum Bœmiæ Ducem nepotem ſuum ſuſceperat, ibi mulierem fuiſſe tradunt, quæ priuignum bello periturum, Vratiſlaum in pugna caſurum, maioremq; populi partem cum eo interituram, prædixit, poſſe tamen euadere Iuuenem, ſi ſibi pareret. Adoleſcenti imperata facturum reſpondenti iuſſit, vt primum, qui obuius fieret, occideret, mox gladio inter priores equi pedes cruce in terra facta, & deoſculata, vtriſque auribus prius occiſi abſciſis, & in pera reconditis, fugam maturaret: pugna in campo, cui Tuſco nomen eſt, commiſſa, cæſo Vratiſlao, adoleſcens, qui nouercæ paruerat, domum incolumis effugit, ſed vxorem, quam valde amabat interemptam reperit carentem auribus, pectuſq; confoſam, ſic quas hoſti amputauerat aures, cõiugis ſuæ fuiſſe ſtupens, triſtiſq; cognouit. Digna profecto merces conſultæ de victoria Sagæ, fortaſſis, & vxor Venefica fuit, & ſe prælio immiſcuit, quòd ſolitæ mulieres Boemæ, vel Dæmon per imaginem lethalem in prælio exhibitam, domi interea, miſeram ijſdē vulneribus mulctauit.

An Dæmon poſſit verè ditare ſuos. Caput X.

Doctrina.

REgitur *a* Stuphium Magicis pecunijs exercitum ſtipendiaſſe. Scribit Pſellus *b* nihil eorum quæ Diabolus promittit, ex ſe præſtare illum poſſe, ſed viſu tantum inania ſuis cultoribus præbere. id ſi de eo, quod facere ſolet loquatur verum eſt, ſi autem de eo, quod facere poteſt, omnino falſum. Imò dico, quod Diabolus, ſi Deus permittat, & ipſe velit, poteſt ditare ſuos: item, ſi Deus iuberet, & ipſe nollet, quia inuitus Deo cogeretur obedire, ſed nec niſi raro Dæmon vult, nec Deus vnquam iubet, permittit verò non niſi rariſſimè. Dœmonem nolle patet, quia videmus eum ſuos plerunq; ludificare, & licet paucis aliquando paucas, & veras largiatur pecunias, vt Treueris fecerat Doctori Vlaet decipit tamen, vt plurimum inani ſpe, & ſpecie, quod multis exēplis confirmat Remigius, *c* teſtis oculatus. his verbis.

Seneel Armentaria, *d* accepta dono à Dæmone, vt ſibi videbatur pecunia, geſtiens domum properè redijt; vt eam numeraret, ſed excuſſa crumena, nihil niſi teſtas, & carbones reperit. Catarina Metenſis *e* ſtercus ſuis. Claudia Morelia *f* Benedictus Drigeus *g* Dominica Petronina *h* Ioanna à Banno, *i* cum numū aureum carta inuolutum in via reperiſſet, ſicuti Dæmon euenturū prædixerat, & eum cupidè marito oſtentaret, aduertit tandem, non ſine pudore pro auro nactam ſe calculum ferrugineum, qui etiam contactu primo, facile in fruſtra deſilijt; reliquæ arborum folia loco numorum acceperunt. Catarina K Ruffa agnoſcit ſe tres numos ſemel ab eo ſine fraude accepiſſe.

Hæc exempla libenter citaui, quia fide publica Notariorū ſunt ſtipata. Plurima etiam alia poſſem ad hoc deſcribere, quæ tamen cenſeo prætermittenda, cum hæc ſufficiant.

Lauren. Ananias, *l* cur nolit Dæmon ſuos ditare cauſam reddit aliam. Malos genios eſſe deditos auaritiæ, & Theſauros, ac pecunias huiuſmodi aſſeruare Antichriſto filio perditionis, vt ei ad ſumptum ſufficiant, idq; Dæmonem Ariolo cuidam reſpondiſſe, quamuis Dæmoni, vt mendaci minime ſit credendum, res tamē à vero parum diſtat: certior tamen cauſa erit, ſi dixerimus Deum id nec iubere vnquam (quia non cooperatur ad malum) nec niſi raro permittere, imò, quibus ſpondet Dæmon diuitias, dignitates,

a In annalibus Boiorum.
b C. de collationibus auri, & virtutis.
c lib. 1. de monolatriæ ca. 4.
d Du ſę. prid. Calē. Octobris. 1586.
e Duſæ pridi. non. Nouemb. 1586.
f Seræ 3. Noni⁹ Decembr. 1586.
g Haraucourtiæ 18. Calend. Ian.
h Pangei 13. Calen. Nouemb. 1586.
i Manerij 3. non. Iulij 1585.
K Velleæ ad Moſellā 5. Cal. Auguſti 1587.
l lib. 2. de natu. Dæmonum.

honores, Principum gratiam, nihil eſſe vilius, abiectius, egenius, odioſius: & ſi ante diuites erant, fiunt pauperes: ſi pauperes, numquam ditantur. Et qui arte ſua theſauros quærunt contra leges humanas perſuaſione Diaboli, vt eſt videre leg. 1. C. de theſauris, tum eos, vel metu exanimat, vel crudeliter præfocat. Andreas Theuetus, *m* narrat ab oculato teſte ſe accepiſſe de Græculo quodam Macriano, eum dum in Paro inſula theſaurum quæreret, à terra abſorptum. Similia quædam in Anaſtaſio refert Cedrenus, & alij alia plura, vnum inter alia ſcribam admiratione haud indignum.

m in libr. 8. coſmog. c. 2.

Exempla.

Stāphius in chron. Heluetiorum.

CIrca annum Chriſti 1520. Baſileæ, quidam Sartor ingenio ſimplex, voce balbus, incertum qua arte criptam illam, quę Auguſtæ Rauracorum patet ingreſſus, & vlterius quam vlli alij vnquā patuerunt progreſſus, miranda quædam ſpectra referebat. Cereo conſecrato accenſo in criptam deſcendens, primo per ferream portam ſe tranſiuiſſe aiebat, inde ex vna camera in aliam, atq; etiam in hortos pulcherrimè virentes: in medio aulam magnificè ornatam ſpectari, & formoſiſſimam Virginem auro diademate caput cinctam, crinibus ſolutis, infernè in horridum ſerpentem deſinentem. à qua manu ad ſcrinium ferreum deductus fuerit. Scrinio duos moloſſos nigros incubare, & terribili latratu accedentes arcere, at Virginem minabundè ſimiliter eos compeſcere, tum clauium faſce, quem collo alligatum geſtaret, ſoluto, arcam aperuit, & omnis generis numiſmata aurea, argentea, ærea depromſit, quorum non pauca liberalitate Virginis ex ipſa cripta ſe retuliſſe, oſtendebat. Addebat Virginem narrare ſolitam, diris imprecationibus ſeſe, cum Regio eſſet orta natali, iam olim deuotam, in tale monſtrum mutatam fuiſſe, neque aliam ſalutis recuperandæ rationem ſupereſſe, quàm ſi ab illibati pudoris adoleſcēte ter deoſculata fuiſſet, tunc enim formam priſtinam ſibi reſtitutam iri, & dotis nomine Theſaurum omnem, qui eo loci lateret, liberatori conceſſuram. Affirmabat etiam, bis ſeſe Virginem deoſculatum, bis tam horribiles geſtus in ea præ gaudio ſperatæ liberationis ob ſeruaſſe, vt ſibi, ne viuus ab ea diſcerperetur, metuendum fuerit. A quibuſdam Nepotibus inganeum deductus, nunquam poſtea aditum ad criptam inuenire potuit, nec dum ingredi.

Quis non deprætendit illuſionem? Iuuenis ille mentis non bene compos, vel Magus, illa de genere lamiarum Dæmon oſculum pe-

tebat,

tebat, deuoratura poſt tertium, non permiſit Deus: canes illi duo, alij Dæmones vel veri, vel fictitij Theſauri cuſtodes, numiſmata quædam forte vera, & Deo permittente data.

Poſt aliquot annos alius Ciuis Baſilienſis eandem criptam ingreſſus, vt familiæ ſuæ paupertatem leuaret, nihil præter cadauerum humanorum oſſa inuenit, & ſubito correptus horrore, feſtinus egreſſus, intemperijs actus fuit, donec tranſacto die tertio miſerrime interijt. Idem Stumphius ſupra, & Rhenan. lib. 3. Germanorum.

Paucos ante annos quidam Prior Margulinę cum duobus ſocijs, foſſam quandam in Spelunca Regis Salai prope puteolos, Theſaurorum cauſa ingreſſus, miſerè interijt, nec amplius viſus eſt, iuxta *n* Villamontium.

Andreas *o* Ciſalpinus ſcribit hæc, Theſaurorum quidem indagatores per Magicas facultates multos nouimus, ſed qui aſſequuti fuerint, compertum non habeo.

n Lib. 1. itinerarij ſui. c. 23.

o In ſua dæmonũ inueſtigat. c. 12.

Piſis tentauerunt quidam noſtris temporibus effodere, ſed rei difficultate victi ab opere ceſſarunt.

Tandem anno elapſo, locum, in quo Neronis ædificia extitiſſe ferunt, hodie autem ſacris Virginibus dicatum effodere cœperunt vbi erat ingens Pini arbor, ſed à Dæmonibus adeò infeſtati ſunt, vt præ timore, ab incæpto opere deſiſtere coacti fuerint, quo tempore multæ ex Virginibus locum habitantibus à Dæmone obſeſſe ſunt. Quid mirum, ſi hanc theſauri illicitam ſcrutationem in ſuo ſolo fieri permiſerant? ideo puniuit eas Deus in hoc ſeculo, vt in futuro parceret. Paulus Grillandus *p* præ cæteris acuratius ſcripſit.

p libr. de ſortileg. q. 3. nu. 12

An poſſint Magi aliqua ſenſibilia mixta arte ſua gignere. Caput XI.

Doctrina.

ANIMALIA imperfecta, vt muſcas, vermes, ranas, & huiuſmodi inſecta, & alia quæ ex putrefactione naſcuntur, poſſunt producere celeriter, non creando, ſed actiua paſſiuis applicãdo, hæc eſt opinio D. Auguſtini, *a* quem ſequuntur Theologi. Solent hæc producere Magi, ex pacto, per Dæmonem actiua paſſiuis applicantem, nam ipſi Magi plerunque neſciunt quomodo iſta gi-

a lib. 3. de Trinitate cap. 7. D. Bonau. & alij in 2. d. 7. D. Tho. 1. p. q. 114. ar. 4.

gnantur,& cauſas ignorant,vt quando Diabolus dat ſagis parum puluis,cuius in aerem iactu, naſcuntur diuerſæ ſpecies locuſtarū, brucorum, murium,erucarum,& ſimilium animalculorum.Poſſet etiam Dæmon,talia iam producta,in locis remotis,vbi nata videantur fouere,alere,& reſpirare facere,vtpote inter ſaxa,in quibus non rarò imperfecta naſci conſueuerunt,muſcæ,mures,& ſimilia, & hoc crediderim contigiſſe in canibus illis, quorum mentio fit à Guglielmo Neubrigenſi *b* his verbis;. Dum in quadam lapidicina petra igens ferramentis finderetur; apparuere duo canes capacem ſui in eadem petra capacitatem replentes abſq; omni ſpiraculo (intellige perceptibili) videbantur autem eſſe ex eo canū genere,quos leporarios vocant,ſed vultu truces, odore graues, pilorum expertes,& vnus quidem eorum,vt dicitur,citò defecit. Alterum verò ſtupendæ, vt aiunt edacitatis Henricus Vuintonienſis Epiſcopus diebus plurimis in delicijs habuit:hos igitur canes,qui niſi ex prolifico ſemine non credo potuiſſe generari,potuit Dæmō ex materno vtero callidè educere,& eductos ibi occultaſſe.Poſſunt quoque Dæmones producere quædam inſolita monſtra, quale illud in Braſilia,altum palmos 17. tectum corio lacertæ, mammis prætumidis,brachijs leonum,oculis rigentibus, & flammeis, ſcintillantibus ſimili lingua, *c* qualia fortè monſtra,quæ in Saxonię ſyluis,ſemihumana facie, capta anno 1240. *d* Niſi fortaſſis illæ ſint ex nefario hominum ac ferarum coitu nata, quæ monſtrorum plurimorum eſt origo indubitata. Sic enim peperit olim bello Marſico Alcippe Elephantem *e* Sic anno 1278. apud Heluetios alia leonem *f* Sic anno poſtea 1471.quædam Papiæ cattum, Brixiæ canem alia. Sic 1531. Mulier Auguſtæ Vindelicorum eodem partu enixa primo caput humanum membranis inuolutum, mox ſerpentem bipedem, tertio porcum integrum *g* Quæ varia huiuſmodi leguntur apud recentiores. *h* Illud ſuperat admirationem reliquorum, quòd Caſtanneada retulit in Annalib. Luſitaniæ.

b libr. 1. Hiſt. Anglorum c. 28.

c Anan. li. 4. de natura dæmonum. *d* Lycoſtē de prodig. *e* Alex. ab ale. l. lib. 2. *f* Stumphius in chron. Heluetiorum. *g* Lycoſtē. vbi ſup. *g* Cardanus. li. 16. de varietate Lemniū li. 1. de occultis nat. mirac. c. 8. *h* Vide Torquēadam horti floridi dię log. 1.

Exempla.

MVlierem ob quodam crimen in inſulam deſertam naui deportatam,cum ibi expoſita fuiſſet,eam Simiorum, quibus frequens locus,agmen circumſtetiſſe fremebundum, ſuperueniſſe vnum grandiorem cui reliqui loco ceſſerunt,ab hoc mulierem blādè manu captam,in antrum ingens abductam,eique & ipſum, & cæteros copiam pomorum,nucum, radicumque variarum appo-

ſuiſſe,

fuiſſe, & nutu, vt veſceretur, inuitaſſe, tandem à ferâ coactam ad ſtuprum, facinus hoc multis diebus continuatum, adeò vt duos ex fera liberos ſuſceperit, ita miſeram victitaſſe per annos aliquot, Donec Deus miſertus, nauem eò Luſitanam detuliſſet, cumq; milites in terram aquatum ex proximo ad antrum fonte, deſcẽdiſſent, abeſſetq; forte Simius, fœminam ad inuiſos diu mortales accurriſſe, & accedentem ad pedes ſupplicaſſe, vti ſe facinore, & calamitoſiſſima ſeruitute eriperent, aſſentientibusq; & caſum miſerantibus illis, eam cum ipſis nauim aſcendiſſe, ſed ecce tibi Simium ſuperuenientem inconditis geſtibus, & fremitibus Coniugem, non coniugem reuocantem, vt vidit vela ventis data, concito curſu de liberis vnum matri oſtendit, minatur ni redeat in mare præcipitaturum, nec ſegniter fecit quod fuerat minatus, tum recurrit ad antrum, & eadem velocitate ad litus rediens, oſtendit alterum, minatur, & demergit, ſubſequitur, & ipſe furens, tamque diu nauem natatu inſequitur, donec vndæ natantem vicere. Rem tota Luſitania teſtè notiſſimam, & à Rege mulierem Vliſiponæ ignibus cõdemnatam, quorundam precibus vita impetrata, lethum cum clauſtro perpetuo commutauit. Miraris lector? En tibi Saxo Grãmaticus cum duobus magnis Vpſalenſibus Epiſcopis. Narrant Gothicos Reges ex vrſo, & Virgine nobili originem ducere, & Ioannes de Bartos Peguſianos, & Sianitas Indiæ gentes, à cane, qui cum muliere corpus miſcuerat.

Verum ego horum minimè ſum credulus, cum homo hominẽ generet, & ſi quid horum ſit verum dicam quòd Dæmon incubus calidum horum animalium ſemen illis infuderit, & quòd dicitur de Regibus Gothorum, putarim hoc dicendum, quòd Dæmon in ferarum talium effigie fæminas compreſſerit, quòd hoc poſſit, docebit ſequens exemplum, & ſubſequens poſtea capitulum.

In Belgio fuit nefarius quidam, qui Vaccæ ſe commiſcuit, poſt viſa bos pregnans, & poſt aliquot menſes edere maſculum fœtum, non vitulum, ſed puerum: Adfuerunt plurimi, & de matris vtero cadentem conſpexerunt, leuatumq; de terra nutrici tradiderunt. Adoleuit puer, baptizatus, & inſtitutis Chriſtianæ vitę præceptis, pietati ſe addixit, & pro patre feriò pœnitentię vacat operibus, homo quidem perfectus, ſed qui ſentiat in animo propenſiones Vaccinas paſcendi prata, & herbas ruminandi. Quid de hoc ſentiendum? non ne hominem eſſe? plane crediderim, ſed ex Vacca matre natum, nego. quid ergo? Diabolus peccati illius gnarus, & impulſor mox vaccam prægnantem fecit videri, cum voluit, aliunde

in-

infantem ſurreptum attulit,& Vaccæ parturienti, quæ vento grauida erat,puerum ſic ſuppoſuit,vt à Vacca naſci videretur.

An verum ſit, quòd Dæmones fiant ſuccubi, & incubi, & an ex tali concubitu poſſit ſequi generatio.
Cap. XII.

Doctrina.

SOlent Malefici,& Lamiæ cum Dæmonibus, illi quidem ſuccubis, hæ verò incubis actum venereũ exercere, communis eſt hæc ſententia patrum Theologorum, & Philoſophorum doctiorum, & omnium ferè ſæculorum, atque nationum experientia comprobata. Plato in Cratylo,Philo, Ioſephus, & vetus Sinagoga.D. Cyprianus. D. Iuſtinus martyr.Clemens Alexan. Tertullianus, *a* & alij,qui in eo quod voluerunt Dæmones poſſe cum mulieribus rem habere,optimè ſenſerunt. Solidior ergo adhuc probatio huius ſententiæ ſumitur à D. Hieronymo in cap.6. ad Epheſ. & D. *b* Aug. quem communis Theologorum ſchola, cum D.Iſidoro lib.8.ſequitur,& pro eadem pugnat Bulla Innocẽtij 8. Pontificis contra Maleficos.

Hæc probantur ratione; quia Dæmones poſſunt defunctorum corpora aſſumere, vel de nouo ſibi ex aere, & alijs elementis ad carnis ſimilitudinem palpabilia effingere, poſſunt illa ad libitum mouere,& calefacere. Si ergo poſſunt, quem natura non habent ſexum artificioſè exhibere, & viris ſpecie fœminea, fœminis ſpecie virorum abuti, & has ſubijcere, & illis ſe ſubſternere: poſſunt etiam aliunde acceptum ſemen adferre, & naturalem eius emiſſionem imitari.

Addo, quòd poteſt ex huiuſmodi concubitu Dæmonis incubi proles naſci;quare ad huius rei declarationem,ſciendum eſt,quod poteſt Diabolus ſemen aliunde acceptum, vt puta, à ſomniante viro illuſo,deferre,& ſua agilitate,rerum naturalium peritia, calorem prolificum in ſemine quantumuis ſubtilis,& aereus ſit,ac facilè diſſipabilis,conſeruare, & illud, quo momento ad concipiendum mulier optimè eſt diſpoſita,tum illud matrici ſic infundere, vel naturali vi attrahendum exhibere,& muliebri ſemini commiſcere. Veruntamen illud eſt,quod non poſſunt Dæmones vi ſua, & ex propria ſubſtantia,more animantium generare; ratio eſt,quia nec habẽt inter ſe vllam indiuidui,vel ſpeciei multiplicationem, nec vllum ſemen,ne dum prolificum quantumuis tenue. Et quo-

a Videte hos citatos apud Sixtũ Senen.lib. 5. Bib. ſac.annota.77.& Pameliũ ĩ error.Tertul.annot. 3.adde Plethonẽ.lib. de mirabil. & longæuis.

Pereriũ libro 8. in Gen.d. 1.

b lib. 15. de ciu.Dei cap.23.

c Alex. de Alex. 1. p. q. 78. D. Th. D. Bonau. Scotus.Durãdus Gabr. in 2. diſt. 8.

modo

modo proprium ſemen habere poſſunt, cum ſemen ſit ſubſtantiæ corporeæ viuentis pars, & reſiduum cibi optimè concocti, iuxtà Simpoſianum in problematibus, Dæmones verò ſint ſubſtantiæ incorporeæ? Dicimus ergo, ex concubitu incubi cum muliere aliquando prolem naſci poſſe, & tum prolis verè patrem non eſſe Dæmonem, ſed illum hominem, cuius ſemine Dæmon abuſus fuerit. Accedunt plurima exempla à multis narrata. Hunnos ex Arlunis Strigibus Gotthicis, *a* & faunis natos Chieza ſcribit, *b* in hiſpaniola ſolitam Corocoton Dæmonem miſceri mulieribus, & ex eo natos, bicornes naſci. Xacam ſuum Iapones talem eſſe volunt; nec deſunt, qui Lutherum in hanc Claſſem retulerint. *c* Et ante decennium in primario Brabantiæ oppido, punita fuit mulier, quòd ex Dæmone peperiſſet. Reliquum eſt nunc, vt reſpondeatur rationibus in contrarium adductis.

a Iornandus de rebus Gothicis, & Luitprandus.
b cap. 27. p. 2. hiſtor. Peru.
c Fontan. in hiſt. ſacra de ſtatu Relig.

Remigius ponit primum argumentum, quod eſt tale. Dæmon, & homo ſpecie differunt, ergo ex hac copula non poteſt ſequi proles. Reſpondetur cõſequentiam eſſe nullam, tum quia ex equo, & aſina, & alijs ſpecie diſcrepantibus animalibus naſcuntur Muli, Caneslupi, Leopardi, Pantheræ, &c. tum quia generatio hic non tribuitur Dæmoni, ſed homini, cuius eſt ſemen, vt ait D. Tho. *d*

d Quolib. 6 artic. 8. ad 6.

Secundum argum. eſt tale. Dæmon eſt expers vitę, & origo mortis, ergo nequit eſſe author, & origo actus vitalis. Reſp. vim hanc vitalem non ineſſe Dæmoni, ſed ipſi ſemini, ſicut vis calefaciendi, non ineſt ſcipho propinanti, ſeu tubo fundenti, ſed ipſi vino. Vide D. Thomam ſupra. & Sprengerum. *e*

e 1. par. mallei. q. 4. ad 2.

Tertium erat huiuſmodi. Semen quòd Dæmon infundit, Sagæ fatentur eſſe frigidum, & nullam afferre voluptatem, ſed horrorẽ potius, quare, nec poterit inde generatio ſequi, hæc eſt ratio Marci Epheſij, & confirmata a Remigio confeſſione Sagarum, dicentium, omnem voluptatem abeſſe à tali copula, imò ſummum dolorem ſe percipere. Reſp. quòd Dæmon, quando vult ſub certi alicuius viri ſpecie deludere, & non vult ſciri ſe eſſe Dæmonem, tunc, quàm poteſt aptiſſimè imitari, quæcunque in veri viri, & mulieris copula requiruntur; & ideo neceſſario tũc curat; vt ſi quidem vult generationem ſequi, quod fit rariſſimè, quia ſua cauſa, nunquam generationem intendit, qui ſibi ſimile non poteſt generare, ſed aliquando duntaxat in gratiam ſuccubę id optantis conatur generationem ex alieno ſemine) adhibeat neceſſaria ad generationẽ; quare & prolificum ſemen quærit, & inuentum conſeruat, & tanta celeritate perfert, vt vitalis ſpiritus non euaporetur, & quando eſt opus, tunc infundit, quando verò non intendit generationem, infundit aliquid inſtar ſeminis, calidum tamen, ne fraus deprehen-

ſtendatur; ſemen autem, quod eſt frigidum, eſt cum Sagis, quæ nouerunt eum, & ſciunt ipſum eſſe Dæmonem. Deinde, vt docet Sprengerius, *f* ſolet ſæpe interrogare ſuccubas num velint impregnari? quæ ſi aſſentiantur, aſſumit verum ſemen aliunde actu carnali deciſum, vt dixi.

f p. 2. mal. q. 1. ca. 4.

Quartum argumentum erat. Non eſſe credendum Deum cõcurrere ad huiuſmodi actum, aut animam tali corpori ex huiuſmodi coitu nato infundere, quia ſic adderet coronidem Dęmonis operi. Reſp. Dæmonem quoad naturæ operationem, hic ſolum eſſe inſtrumentum, & applicare tantũ agens principale, quod eſt verum ſemen humanum, & propterea Deum concurrere ad vltimam diſpoſitionem organici corporis ab humano ſemine naci, accidentarium verò quid eſſe, & morale ſolum pecatum Sagæ, & Dæmonis malitiam. Iuuat Deus, vt author naturæ, naturam; ſed peccato, cuius non eſt author non adminiculatur quòd ſi valerent argumenta, ſequeretur, nec ex fornicatione, nec ex adulterio, Stupro, incęſtu, prolem gigni poſſe. Obicijunt denuo, quòd principium gignendi eſt cor, ergo cum deſit virtus cordialis temperans calorem, vt oportet, non poteſt ſequi generatio. Reſ. ſiue a corde ſit, ſiue à cerebro vis generandi, ſpiritus genitalis ipſi ſemini eſt inſertus in ipſa ſeminis ab humano corpore deciſione, & Dæmon hunc ſpiritum cum calore ſolum conſeruat.

✠ Sed quæritur à nonnullis, an ipſi Malefici, ex ijs ſpurcitijs, quæ exercent cum dæmonibus incubis, & ſuccubis, originem traxerint, ad quod Reſp. cum Auguſtino *g* hoc verum eſſe, videlicet, omnes ſuperſtitioſas artes ex abhominanda & execranda hominum, & Dæmonum ſocietate originem traxiſſe. Imò D. Thom. *h* in ſolutione cuiuſdam argumenti, ait, quod illi, qui naſcũtur, & geniti ſunt ex Dœmonibus incubis, ſunt maioris virtutis, quam ſint cæteri homines, & hoc confirmatur ex ſcriptura Gen. 6. Iſti ſunt potentes à ſeculo viri famoſi &c. & probatur etiam ratione, quia Dœmones nouerunt virtutem ſeminis deciſi ex diſpoſitione eius, à quo ſublatum eſt, ſciunt etiam mulierem aptam ad ſuſcipiendum illud, & conſtellationem concurrentem ad effectum corporalem, quibus rebus ſic concurrentibus, dicitur, tales ſic genitos, eſſe fortes viribus, & magnos corpore. Vt autem ſatiſfiat petitioni propoſitæ, dicimus ex hac nefanda copula Maleficos quidem originem traxiſſe, & multiplicationem pariter quia diabolus attendit, non ad illius delectationis cauſam, ſed corruptionis. Nec obſtare poteſt Textus aſſignatus Gen. quod illi

g lib. 2. de doct. chriſtiana cap. 36. q. 2
h in 2. ſen diſ. 4. ar. 4.

Gigan-

Gigantes,& viri famoſi,non fuerint malefici, cum maleficia, non fuerint facta tempore legis naturæ,propter recentem mundi creationem, vnde, nec tunc Idolatria locum habuit, ſed tantum hoc euenit, poſtquam creuit hominum malitia, quia tunc diabolus vidit,ad ſeminandum hoc genus iniquitatis oportuniorem habere occaſionem.

Sciendum eſt præterea, quod Malefica matrimonio coniuncta, & ſi per maritum conceperit, per commixtionem tamen alterius ſeminis à dœmone incubo infuſi,conceptus infici poteſt. Obſeruat autem diabolus ad has abhominationes patrandas, ſacratiora, vt plurimũ,anni tempora,vt puta,Natalis Chriſti, Paſchatis, Veneris ſancti, & huiuſmodi, quo Deus grauius offendatur: crudelius Maleficæ in animabus puniantur, & vt Deus ſic grauiter offenſus, ipſis dœmonibus maiorem in homines poteſtatem ſæuiendi relinquat: ſpurcitias tamen illas in locis ſacris exercere minimè poſſunt, ob efficatiam Angelicæ cuſtodiæ; quo nam verò modo miſceantur Maleficæ dœmonibus,non indignum eſt ſcitu.

Sciendum eſt, ſępius Maleficas à circumſtantibus viſas fuiſſe in ſyluis,Agris,& nemoribus iacentes, ad vmbilicum tenus denudatas,& iuxta diſpoſitionem actus illius coeundi,adaptatis membris tibijs, & cruribus ſe agitantes cum dœmone, quandoq; in forma hominis apparente,& aliquando,nõ apparente actum deteſtabilliſſimum exercere;& aliquando completo actu, viſus eſt vapor nigerrimus è Malefica ſurſum eleuari in aere,Longitudinis hominis vnius,ſed hoc perraro contingit. Aliquando viſus eſt diabolus in forma hominis à maritis Maleficarum has ſpurcitias exercere, cũ eorum vxoribus,qui putantes verè hominem eſſe,indignabundi arma tulerunt, quibus vtroſq; ſimul confoderent, ſed euaneſcente ſtatim diabolo,& alijs mulieribus brachia obijcientibus,illos deridebant,& obiurgabant, tamquam mente captos, aut tamquam ſi à dœmone eſſent obſeſſi. Illud etiam non eſt ſubticendum,quòd dæmones incubi,non ſolum mulieres ex eorum ſpurcitijs procreatas, aut ab obſtetricibus illis oblatas, vehementer ſollicitant, ſed etiam ſtudent infeſtos eſſe ſanctioribus quibuſcunq; virginibus, per maleficas quoquo modo ſeductas. quomodo miſceãtur maleficæ dœmonibus.

Circa autem horum ſpirituum matteriam, vt paulo diffuſius loquamur,quidam cœleſtes, alij ætherei; marini alij,nonnulli terreſtres,aliqui fontani,& alij fluuiatiles Dij ſunt appellati,vt Dryades, Napeæ, Nymphæ, Hamadryades, & Oreades. Dryades, & Hamadryades erant fluuiorum Nymphæ præſides. Napeæ, ſiue Naiades erant fontium, & fluuiorum Nymphæ. Oreades autem

rant montium Nymphæ. Horum ſpirituum,& alij vocati ſunt Lares,& Penates,qui habebantur Dij domeſtici, quamuis ab aliquibus,Dij agrorum vocati fuerint. Alij dicti ſunt Indigetes,qui erant Dij,ex hominibus facti,& hoc nomine vocatus fuit Aeneas. Apud Seruium verò dicebantur Dij Patricij, qui præſunt ſingulis Ciuitatibus,vt Minerua,Athenis: Iuno, Cartagini. Alij dicti ſunt

l lj.6.faſt. ſummani,vt Pluto ſecundum Ouidium *l*. Alij dicti ſunt Telchines, & Choribantes,qui habebantur Mineruę,& Solis filij, apud ſtrabo

m lib. 10. nem *m* Alij dicti ſunt Medioxumi, hoc eſt, Dij poteſtatis mediæ

n lib.8. ænei. apud ſeruium *n*. Huiuſmodi ferunt fuiſſe Herculem communem Deum vtriuſq; naturæ,medium inter mortalitatem, & Diuinitatem. Alij dicti ſunt, Anculi, qui erant Dij Ancillarum apud Feſtum.

Ex hoc igitur genere ſpirituum ſunt,qui fiunt Incubi, & ſuccubi,vt plurimum ex ijs,qui in aquis,vel circa eas diuerſantur,iuxta ſententiam Laurentij Aneniæ *o* Hi igitur,vt ſupra diximus diuer-

o li.4.dœmob. ſa ſunt ſortiti nomina,quare aliqui appellarunt eos Panos,& Pan, latina lingua Incubus dicitur. Huiuſmodi Incubi ſunt nocturna phantaſmata mortalibus terrorem inferentia. Hunc nepharium cum hominibus concubitum ante vſq; diluuium nonnulli cæpiſſe volunt,intelligentes verba illa, Gen. Acceſſerunt filij Dei ad filias hominum: per filios Dei, in filias hominum, immundos hos ſpiritus inuaſiſſe tunc temporis fœminas vltra modum laſciuientes,& petulantes, & hoc factum fuit mira dœmonum calliditate, propter frequentiſſimam eorum,cum hominibus ſocietatem. Ex hoc congreſſu hominis cum diabolo,ferunt Aeneam,ex Venere,& Anchiſe. Ex Ioue,& Semele, Baccum. Et ex Marte, Romulum habuiſſe originem; Nec deſunt,qui Alexandrum Magnum,& Neronem,in hunc quoq; modum ortos fuiſſe aſſerunt, cum his etiam enumerantur alij quàmplurimi Hereſiarchæ; vt Maumethus, & Lutherus. Quarè, inuentæ ſunt nonnullæ miſerrimæ fœminæ,quæ violenter ſtuprum ab Incubo dœmone paſſæ ſunt, eæq; potiſſimū,quæ obſcenis cogitationibus indulgent, & locum dant, haſq; eorum cogitationes exterius produnt, vti eſt videre apud illas, in nutrienda coma,in Concinnandis crinibus, in exornando corpore,diuerſo veſtium,& gemmarum genere, & quæ faciem vnguentis,& ſtibio componunt, ac fucant nimis ſolertes. Remedia autē contra huiuſmodi Incubos,& ſuccubos,intertio libro adſcribētur afferamus aliqua exempla Dæmonis ſuccubi, vel incubi præter ea quæ dicta ſunt.

Exempla.

Exempla.

ANnus iam decimus quintus agitur, cum Bebburgi (oppidum eſt Vbiorum) ſupplicio affectus fuit quidam Stumphius Petrus, eò quòd cum Dæmone ſuccuba plus quatuor luſtris coiuiſſet: ab hac donatus fuit lata quadam Zona, qua cum cingebatur, & ſibi, & alijs in lupum verti videbatur. Hoc ſchemate ter quinque pueros iugularat, eorumque comederat cerebrum. Duas nurus ſuas deuorare conatus fuerat. Propriam filiam, & Comatrem ſuam vxorum loco habuerat. Conſtant hæc omnia actis iudiciarijs, & Iconibus in æs inciſis palamque venalibus.

Refert exemplum Remigius, *p* quod à probatæ fidei viro Melchiore Errico, Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ à ſecretis, & conſilijs interioribus, audiuit. Fuit, aiebat ille, Henamenij, me eius loci Dinaſtæ res procurante, ſortilegus quidam, qui iuſſus à Iudice dicere, quomodo primum eſſet ad tantam nequitiam adductus, ac quibus potiſſimum artibus illum dæmon ad ſe pellexiſſet, eam rem ſic liberè ac apertè eſt eloquutus. Cum bubulcus communis ego prima luce oſtiatim armentum cogerem, atque vna è puellis, quæ illud ſtabulis emittebant præ cæteris animum meum amore titillaret, cæpi in eius cogitationem noctes, diesq; eſſe intentior, Tandem euenit, vt eam mihi ardentius inter ſola paſcua animo voluenti apparuerit, ſimilis occultanti ſe poſt dumetum: accurro ad optatam prædam, aſſequor, atque adeo amplector vel reluctantẽ. Poſt aliquot tandem repulſas, ea lege ſui facit copiam, ſi ſe pro hera haberem, ac vel ipſum Deum illi poſthaberem. Conditionem accipio; fruor, imò ſic ipſa deinceps me cœpit frui, vt ex vno eius miſer ſemper pependerim arbitrio.

p lib. 2. dæmonol. c. 4.

Hector Boethius *q* refert, quòd in Marrea Regione Puella altis natalibus, forma conſpicua, complurium nobilium auerſata connubium, in nefandam cum Dæmone incidit conſuetudinem, quæ cum vterum ferret, parentum rigore coacta edere ſtupratorem, Adoleſcentem mira pulchritudine frequentius ſecum noctu, interdiu nonnunquam conueniſſe, vnde veniſset, quo ve abijſſet, neſcire ſe reſpondit. Parentes, tametſi filiæ parum crederent, accuratius rem aduertentes, conſilio, quis eſſet, qui filiæ expugnaſſet pudicitiam, explorandi, cognito tertio poſt die, indice Ancilla, ſtupratorem adeſſe, clauſis foribus, accenſo tedarum ingenti numero, cubiculum ingreſſi, horrendum monſtrum, figura ſupra humanam exiſtimationem terribili, in filiæ amplexibus ſunt conſpicati: cu

q In tractatu de rebus Scoticis li. 8.

I 2 cur-

currere ociùs complures, ad fœdum excitati ſpectaculum, inte͂ eos Sacerdos probatæ vitæ, ſacræ diſciplinæ non ignarus, cæteris, aut trepidè abeuntibus, aut pauore terræ illiſis, cum Ioannis Euã-gelij initium recitare cœpiſſet, ad eum locum. Verbum caro factum, eſt, cum perduxiſſet, malus Dæmon horrendo clamore dato, cubiculi tectum ſecum aſportãs, omni ſupellectili incenſa, abijt. Fœmina periculo ſeruata, enixa eſt monſtrum vndequaque fædum aſpectu, quale nuſquam antea (vt ferunt) inter noſtrates viſum. Id obſtetrices, ne obſeruatum, contumeliæ eſſet familię, accenſa ingenti pyra citiſſimè concremarunt.

Idem author paulò ante docuit, Dæmonem ſuccubum fieri, ſic ſcribens. In Gareotha Regione in vico quatuordecim vix paſſuum millibus ab Aberdonia, Adoleſcens multa formoſitate corã Aberdonenſi Antiſtite quæſtus eſt palam, ſeſe à Dæmone ſuccuba (vt dicunt) gratiſſima omnium, quas vidiſſet forma, multis antea menſibus infeſtatum. Eandem occluſis foribus noctu ad ſe ingredi, blãditijs in ſuis amplexibus compellere, dubia luce abire, ſine ſtrepitu penè, nullo ſe poſſe modo, cum plures attentaſſet, à tanta, ac turpi veſania liberari. Iubet ſtatim optimus Epiſcopus Adoleſcentẽ aliò ſe conferre, & vt Chriſtiana religione, magis laudatis ieiunijs & orationibus plus ſolito accommodaret animum, & ſic iuxtà Venerandi Epiſcopi conſilium paucos poſt dies Adoleſcens fuit liberatus à Dæmone ſuccuba. Alia alibi deſcribam.

An Sagæ verè Transferantur de loco ad locum per nocturnos conuctus.
Cap. XIII.



Doc-

Doctrina.

MVlti eorum, qui ſequuti ſunt Lutherum, & Melanctonem, tenuerunt Sagas ad conuentus accedere animi duntaxat cogitatione, & diabolica illuſione intereſſe, allegantes quòd eorum corpora inuenta ſunt ſæpe numero eodem loco iacentia, nec inde mota fuiſſe, ad hoc illud pertinens quod eſt in vita D. Germani, de mulierculis conuiuantibus, vt videbantur, & tamẽ domi erant dormientes. Huiuſmodi mulierculas ſæpenumero decipi certum eſt, ſed ſemper ita fieri non probatur. Sicut verò Michol vxor Dauidis decepit milites patris Saul, ſubſtituta ſtatua in locum Dauidis, ſic dicimus Dæmonem poſſe, & ſolere aſſumpto corpore, & in lecto locato decipere maritum, nam Strix ad Conuẽtum profecta, ne maritus eam abeſſe deprehendat, ſolet eum conſopire, vel aliquid aliud, quod eius vicem gerat, ſupponere, vt maritus expergiſcens vxorem eſſe putet. Hoc docet actis Iudiciarijs Nicolaus Remigius. Bertrando *a* Tonſtrix id ſæpe feciſſe prodidit, atque ad ſopiendum tali ſomno maritum, ſæpenumero illi aurem vellicaſſe, dextra manu eò prius illita vnguine, quo viam ad huiuſmodi conuentus affectans, ſolebat ſe ipſa inungere. Eller *b* vxor decani in Ottingem, infantis culcitram; alij ſcopas ſuppoſuiſſe memorauerunt, poſtquàm eſſent nomen ſui Dæmonis præfatæ, ſicque maritis fucum ſæpe feciſſe. Maria *c* vxor Sartoris in Metzer Eſch, ſtramentorum faſcem veluti vnguine infuſcatum, qui ſtatim atque ipſa domum eſſet reuerſa, euaneſceret. Catharina Ruffa, ipſum Dæmonem ſua accubitatione, eiuſmodi vices aliquando geſſiſſe declarauit. Hæc Remig. lib. 1. cap. 12.

Altera, quam veriſſimam eſſe duco, eſt, nonnunquam verè Sagas transferri à Dæmone de loco ad locum, hirco, vel alteri animali fantaſtico vt plurimum eas ſimul aſportanti corporaliter, & conuentui nefario intereſſe, & hæc ſententia eſt multo communior Theologorum, imò, & Iuriſconſultorum Italiæ, Hiſpaniæ, & Germaniæ inter Catholicos; hoc idem tenent alij quàm plurimi. Turrecremata ſuper Grillandum *d* Remigius *e* Petrus *f* Damianus. Silueſter *g* Abulenſis *h* Caietanus *i* Alphonſus à Caſtro *l* Sixtus Senenſis *m* Creſpetus *n* Spineus contra Ponzinibium. Ananias, *o* & alij quamplurimi, quos breuitatis gratia omitto.

Sed, ſciendum eſt, quòd priuſquam vadant ad Conuentum vngunt ſe, ſiue quaſdam corporis partes vnguento confecto ex varijs

a Forpachij. calen. Septemb. 1587.
b Eodem loco, & die.
c Hombur gij nonis Iunij. 1590.
d lib. 2. de ſortileg. q. 7. nu. 8.
e li. 1. dæmonol. ca. 14. 24. 29.
f Epiſt. 4. c. 17.
g In verbo hæreſis num. 3.
h in 4. ca. Matth. q. 47.
i 2. 2. qu. 95. art. 3.
l lib. 1. de iuſta hæretic. punit. c. 16.
m libr. 5. Bibli. annot. 73.
n de odio Sathanæ diſc. 15. lib. 1.
o lib. 4. de nat. dæm.

re-

rebus inſulſiſſimis, maximè ex vnguine infantium occiſorum, & ſic inunctæ ſolent quãdoque vehi haſtili baculo, ſcopis, arundine, furca, colo, quibus rebus inequitant transferendæ: quandoque vtuntur Crematre, Tauro, hirco, aut cane, ſic ſolent ad ludum diuehi, quandoque eunt pedeſtres, cum nõ multum diſtat locus, quorum omnium ſunt exempla apud Remigium *p*.

p libr. 1. cap. 14.



Poſtquam conuenerunt hæc Diaboli membra, ibi vt plurimum habent ignem accenſum, tetrum, & horridum: ibi Dæmon eſt conuentus Præſes, in ſolio ſedet forma terrifica, vt plurimum hirci vel canis, ad illum accedunt adorandi gratia. ò ſcelus inauditum, vt honor Deo debitus, diabolo exhibeatur: à fidelibus enim adoratur Deus, vt honoretur, vt pacificetur; vt homo concilietur; vt ſẽſus illuminetur: vt diabolus exuperetur: vt anima purificetur: vt gloria ęterna aquiratur. Sed hæc diaboli membra, contra, diabolum adorant, vt honorem à Deo auferant: vt Deus iraſcatur magis contra eos: vt facilius ipſimet à Deo reprobentur; vt ſenſus erroribus magis inuoluantur: vt anima obtenebretur: vt gloria æterna perdatur, & ab eis elongetur, & tandem, vt diabolus honorificetur illi honorem exhibent, id namq; ab ipſo ſummoperè deſideratur; horrendis, ſcilicet, ſuperſtitionibus coli, ſicut narrat Adoricus de quoddam Idolo Indiæ, qui ſanguinem quadraginta virginum quandoq; petebat, & hoc præcipuè fit, quia ſuperbię ſedet in rupibus. Iob. 19. at vos contra me erigimini: quia luxuriæ iacet in foecibus. Matte. 8. at illi exeuntes abierunt in porcos: quia ſæuitiæ clamat

clamat cum vocibus. Marc.15.at illi iterum clamauerunt, crucifige eum: quia ſtultitiæ credit ſermonibus, dum adheret potius malis conſilijs, quàm bonis, vnde dicitur de Roboam. Reg.2. paral. 10. at ille reliquit conſilium ſenum, & cum iuuenibus tractare cœpit: quia ignorantiæ latet in nubibus. 3.Reg. 14. Ille non poterat videre, quia caligauerant oculi eius præ ſenectute: quia vinolentiæ natat in fontibus, vnde de Lot ebrio dicitur. Gen.19. ille non ſenſit, nec quando filia accubuit cum eo: Idcirco tandem à ſedibus gloriæ pellitur paradiſi, quia, vt dicitur apud Matte.22. de illo, qui intrauerat abſq; veſte nuptiali, quod obmutuit, & propterea eiectus eſt, ita diabolus eiectus eſt in tenebras exteriores Inferni. Verum non eodem ſemper modo, ſed interdum complicatis genibus ſupplices, interdum obuerſo tergo ſtantes, interdum cruribus etiam in altum iactis, nec capite in anteriorem partem prono, ſed reſupinato, adeo vt mentum ad cœlum feratur.



Tum candelis piceis oblatis, vel vmbilico infantuli: ad ſignum homagij eum in podice oſculantur. His, & ſimillibus flagitijs, & abominationibus execrandis commiſſis, procedunt ad alia, vt inferius dicemus: ſed prius dicamus, quanam hora eunt ad conuentus.

Remigius loco proximè citato refert, prout accepit à Sagis ipſis Iuridice examinatis, quòd hora conſtituta conuentus Sagarum nocturni, eſt ea tempeſtas, quæ vna atque altera hora mediam noctem præcedit, apprimè idonea, & opportuna, non ſolum illis conuenti-

uentibus,ſed etiam quibuſcunq; alijs Dæmonum terriculis, ludibrijs, occurſationibus,& ſtrepitibus,quæ ſequi tur, non ita ijs eſſe obnoxiam,cauſam non reddiderunt Sagę,nec ego eam ariolabor. Hoc teſtati ſunt Ioannes à Villa, *q* & Agatina Franciſci Sartoris eius exor. Hoc vnum addam,nullas in tota nocte horas ſuſpectiores habere iſtius umbrarum apparitionis, qui earum metu aliquo tentantur, ac trepidant: Siquidem experientia docet, illas præcipuè ſpectris,tetrisque imaginibus eſſe infames, prout Veteres id ſcriptis ſuis teſtatum reliquere. Ariſtomenes *r* apud Apuleium. Plinius *ſ* & Plinius iunior *t* Inter recentiores Alexander recitat, terrificos laruarum tumultus in ædibus quibuſdam Romæ à ſe eſſe auditos, medio fere noctis ſilentio. Et ſilentium, boni authores interpretantur intempeſtam noctem, ideſt (ut ait Cenſorinus, de die Natali cap.9.) quæ mediam proximè antecedit. Vnde infert Euſebius Cæſarienſis, *u* noctem intempeſtam, quæ certè gallicinium proximè antecedit, conuenientiorem eſſe malo Dæmoni ad nefarios ſermones euocando. Intempeſtam noctem Seruius, *x* mediam. Macrobius, *y* quam media proximè ſequitur; tum enim Principi tenebrarum accommodatiſſimum tempus eſt rebus agendis cum hominibus importunum,atque inactuoſum eſſe incipit. Et, vt repetam galli cantum, refert Remig.loco citato,quòd habuit à quadam Saga n examine Iudiciali,cuius nomen Latoma fuit, quòd nihil æque illis infeſtũ, atq; inimicum accidere poteſt,quàm ſi gallus interea, dum ſe ad ea parant, caneret. Et Ioannes Pulmius, eiuſq; uxor Deſideria ambo Sagi,retulerunt in Iudicio pariter,quòd Magiſtelli ſui, ſæpe, cum demittendæ cõcionis tempus inſtat, idem conſueuerunt clamare; Eia faceſſite properè hinc omnes,nam iam galli canere incipiunt, quod uidelicet ſic interpretari licet, negotium ſuum eos ultra id tempus non poſſe trahere: quid uerò cauſæ ſit,quòd timeant galli cantum,neſcio.

q Villæ de cimo calend. Nouẽb. 1570.

r Lib.1.de aſino aureo.

ſ Lib.7. cap. 6.

t Lib.7. Epiſt.

u Genial. dierum li. 5.cap. 24.

x In confutatione cõtra Hierocl. quarta.

y 3. Aen.

z Saturnal.1.c.3.

Sed quid ueritatis huic experimento ſubeſt? Crediderim tenebriones iſtos galli cantum odiſſe propter myſterium aliquod illis odioſum. Et fortaſſe, quia diei ales prænuncius, ad Dei laudem homines excitat. multaq, peccatorum genera, quæ obſcuro ſuo peplo,ſiu ueſte, nox obtexerat, ſolari lampade pelluntur. Vel quia meminit diabolus dominica reſurrectione ſe triumphatum, & colliſum,quæ poſt noctis medium contigit. Vel recordatur poenitentiæ Petri Apoſtoli ad gallicantum ut lapſus prædictus fuerat,inchoatæ,& electiſſimæ,ſibi bucellæ ſic ereptę: Hæc Eccleſiæ digna uidentur conſideratione, propterea cum Patre Ambroſio canit.

Præco

Præco diei iam ſonat
Noctis profundæ peruigil.
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deſerit,
Mucro latronis conditur.
(ecce vna cauſa.)
Ferunt vagantes dæmonas
Lætos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos
Sparſim timere, & cedere.
Lapſis fides reuertitur;
Hoc ipſo petra Eccleſiæ,
Canente culpam diluit.
ecce altera cauſa
Prudentius de galli cantu in hymno ait.
Inuiſa iam vicinitas
Lucis, ſalutis, Numinis,
Gallus negantes arguit.
Gallo canente ſpes redit.
Ieſu labentes reſpice
Tu lux refulge ſenſibus,
Mentisq; ſomnum diſcute:
Te noſtra vox primum ſonet,
Et ora ſoluamus tibi.
ecce reliquæ

Hoc vnum ſcio, ex Plinio, Aelianoque *z* gallorum cantum Leoni, Scolopendriſque eſſe formidabilem; rurſus ſi ij ſint præpoſteri, ac inſueti de nocte præſertim, oſtenta habere multa, quale etiam illud fuit, quod Volateranus *a* in Matthæi Magni Vicecomitis Mediolanenſis filij natu maioris Natali nocte eueniſſe memorat, in qua videlicet, non ceſſarunt galli, vel ad tædium cantare, vndē, & Galeatij nomen illi inditum eſt, & ſic facundia, laudeq; militari floruit, vt inquit Iouius. *b*

z Lib. 10. cap. 21.

a Philologię lib. 25.

b In Elogijs clarorum virorum.



In conuentibus illis nocturnis referunt ipſemet Sagæ, vt notat Remig. lib. 1. cap. 16. maximam utriuſque ſexus conuenire multi-

tudinem, ſed mulierum numerus, atteſtante Barbellina Raiel de Blainuilla ad aquas, *c* longè maior eſt, quam virorum, Ioanna *d* à Banno, & Nicolea *e* Ganatia ex oppido Maynerij Lotharingiæ, tantam extitiſſe Maleficorum copiam quoties illis interfuere, affirmauerunt, vt non parum illas humanæ conditionis miſereſceret, cui tot hoſtes, ac inſidiatores ſupereſſe viderent, valdeque mirum eſſe, quòd ab eis mortales pluribus incommodis non afficerentur. Catharina Ruffa *f* retulit, non minus, quam quingentos à ſe viſos ea nocte, qua primam in eorum numerum eſt allecta.

c Idibus Ianuarij 1587.
d Tercio nonas Iunij 1585.
e Octauo idus Iulij.
f De oppido Vellci ab Moſellam 8. Calen. Iulij 1587.

✠

Cur autem fœminarum maior ſit numerus, quàm virorum, ea aſſignari poteſt ratio; quia ſunt ſuperſtitioſiores, & hoc fit pluribus de cauſis, quarum prima eſt, quia naturaliter ſunt facilioris impræſſionis ad reuelationes capiendas, quo fit, vt benè vtentes ea, ſint valdè bonæ; abutentes verò, peſſimæ reddantur. Altera eſt, quia ſunt valdè credulæ, & cum diabolus ſtudeat principaliter fraudare fidem, idcirco eas magis ſollicitat, iuxta illud. Eccleſ. 19. qui cito credit, leuis eſt corde. Tertia eſt, quia cum à natura ſint garrulæ, & loquaces, non nouerunt retinere ſecretum; ideo, quæcunq; ſciunt, alijs fœminis communicant. Adde inſuper, quod ſunt iracundæ, & cum propter virium imbecilitatem, non poſſint vindictas vlciſci, ad maleficia declinant, vt ſic expleant diabolicè in proximo ſuo occultè, quod palam illis negatur per vires. quare, Eccleſ. loco citato, ſic ſcribit. Draconi, & Leoni commorari magis placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Quarta, & vltima eſt, quia, vt ait Terentius, mulieres inſtar puerorum in ſentẽtia ſunt leues, igitur mala fœmina, cum naturaliter in fide ceſpitet, etiam fidem facilius abnegat, & hoc eſt in Maleficis fundamẽtum quare, non eſt mirum, ſi plures inueniuntur fœminæ maleficæ, diabolum inſequentes, quàm viri. quo nam verò modo ſtudeat diabolus, tam mares, quàm fœminas ad ſe trahere, non eſt ſubticendum.

Sciendum eſt igitur, diabolum à minoribus incipere ſemper, vt paulatim incautos ad maiora deducat. Solet ergò aliquando huiuſmodi ad ſe trahere per tædium, ideſt damnificando illos tam ſæpe in bonis temporalibus, vt damnificati à Maleficis arte dæmonis, cogantur quodammodo accedere ad Maleficas auxilij, & conſilij gratia; hoc patuit in homine vectore in Auguſtienſi diœceſi, cui, per quadraginta quatuor continuos annos, fuerunt illi maleficio affecti equi, quo facto vxor eius tanti damni affecta tædio conſuluit Maleficam, quæ in poſterum equos præſeruauit. Fue-

runt

ſunt, & aliæ mulières, vt ipſemet teſtatæ ſunt iudicialiter, quæ, cũ multa damna ſentirent ex amiſſione lactis Vaccarum ſuarum tú propter alia etiam damna alijs iumentis illata, conſultis Maleficis, illæ promiſſerunt remedium, dummodo earum Magiſtellis, nõ nulla promitterent minimi ponderis, ſuper quaſdam obſeruãtias, certis temporibus in Ecclcſia ad tempus ordinatis, videlicet, aliqua ſubticendo, & alia dicendo; vt quando Chriſti corpus in Miſſa eleuaretur, in terram ſpuerent, vel oculos in terram figerent, vel aliqua verba inutilia proferrent; vel in Confeſſione ſubticerent mortalia peccata, & ita paulatim diabolus trahit incautas ad fidei ſantæ deteſtationem. Trahit, etiam, & allicit, per actum carnalem, & per paupertatem, quia, cũ Iuuenis corrupta eſt ab Amaſio, & poſtea ab illo deſpicitur, cui ſe credebat matrimonio iungi, hac ſpe fruſtrata, ad quæcunq; tunc diabolica præſidia ſe conuertit, vt vlciſcatur iniuriam, vt euenit Papiæ de ſerua quadam quę ſtuprata ab Amaſio, & poſtmodum neglecta, diabolo ſe ſubmiſit Incubo, ſed re cognita, fuit abiurata, & fidelis facta eſt, quoniam verò talium Adoleſcentularum, ſatis copioſus eſt numerus, experientia teſte; ſic nec minor eſt numerus Maleficarum ex eis insurgentium. Alia faſſa eſt, ſic fuiſſe se à diabolo deceptam. Cum ait, viæ me commiſiſſem, viſitandi gratia Amaſium meum, fornicationi ſtudens, diabolum humana ſpecie obuium habui, à quo Incubo cognita fui; ille poſtea petens a me, num illum agnoſcerem, Reſp. non noui, at ille ſobiungens ait, diabolus ſum, & ſi volueris, ad tuum beneplacitum ſemper ero paratus, & in omnibus te neceſſitatibus iuuabo, cui cum annuiſſem, decem & octo annis, ideſt, vſq; ad vitæ meæ conſumationem, immunditijs illis diabolicis inſeruini: facta tamen fidei abnegatione. Quare, ex his facile eſt colligere quãtis calliditatibus ſtudeat humani generis hoſtis animarum perditioni, ſed redeamus, vnde digreſſi ſumus.



g Serræ 13. Cal. Septemb. 1586.
h Serræ 14. Calen. Februar. 1587.
i Rogauillæ in agro tentreo anno 1583.
l Coſmographiæ Tom. 2. c. 6.
m In agro Stiucſi. 4. nonas Iunij. 1590.

Ibi habent menſas appoſitas,& inſtructas,accumbunt, & incipiunt conuiuari de cibis,quos Dæmon ſuppeditat, vel ijs,quos ſinguli attulere:Omnibus in confeſſo eſt,quos ſic ſua dignatur menſa,adeò omnes eius epulas ſordere, ſiue earum apparatus oculis, ſiue odor naribus percipiatur,ut vel famelico,ac latranti ſtomaco facilè nauſeam parere poſſint, Barbellina proximè citata, *g* & Sybilla Morelia, aiunt, cibos illic apponi omnium generum, ſed adeò viles,illiberales,ac malè conditos,ut uix ſint comeſtione digni. Nicolaus Morelius, *h* ita triſtem,aſtrictum,amarumq; eſſe guſtum illis,vt ſumptos confeſtim prę moleſtia ſibi neceſſe fuerit expuere; quod Dæmon videns,adeò indignè ferebat,ut uix manus abſtineret. Vinum eorum prætereà inſtar atri,atque inſinceri ſanguinis in ſordido aliquo ſcipho epulonibus ſolitum propinari. Nullam ferè copiam rerum illic deeſſe aſſerunt, præterquã panis,& ſalis. Addit Dominica *i* Iſabella, apponi etiam humanas carnes, quod, & apud Scitharum Sortilegos in uſu frequenti fuiſſe prodidit Beloforeſtus *l* Pleriq; eorum Conuiuarum aſſeruerunt huiuſmodi cibis non expleri famem, nec ſitim ſedari, ſed cibi, potuſq; auiditatem,atq; appetentiam tantam ſupereſſe quãta antea fuerat maxima. Addidit Ioanna *t* Michaelis,quòd illis, qui huiuſmodi conuentibus interſunt, non ſunt certi, integriq; oculorum ſenſus,ſed omnia perturbata,confuſa, atq; incerta illis apparere,ut ijs,quibus ex ebrietate,metu,ſomno, alioq; uitio natant, ac caligant oculi, aut arte aliqua perſtringuntur. Sic uerè

ali-

aliquando ibi Sagæ præſentes exiſtunt: ſępe etiam, cum ab ijs abſint, ac arctiore ſomno domi detineantur, uidentur tantum ſibi adeſſe, ludificante nimirum ſenſus Dæmone, cuius faſcinationibus multæ imagines in dormientium animos ſolent irrepere, quæ deinde uigilantibus ueritatis opinionem inſitam relinquant, quaſi iam non id fuerit ſomnium, ſed potius quędam certa atq; indubitata corporis actio, ſic enim uerſipellis Dęmon geſtit res ſuas plerunque.



Sequuntur his choree, quas in girum agitant, ſemper tamen ad leuam progrediendo, & ſicut choreæ noſtræ ſolent eſſe voluptati, ita iſtæ choreæ, ac tripudia, labores, tædia, atque ærumnas grauiſſimas nuſquam non pariunt, ſiquidem ab ijs adeo feſſas ſe domum reuerti, Barbellina iam dicta, ac plereq; omnes Sagæ, quibus contigit intereſſe, memorauerunt, vt ſæpe integrum biduum præ laſſitudine ſibi fuerit decumbendum, & quod miſerrimum eſt, atque iniquiſſimum, excuſationem contra, nemini affer re licet, ſed ſi quis eum laborem, ætatis, aut valetudinis occaſione detrectat, ac fugit, huic præſto ſunt verbera; pugnis, & calcibus, non aliter contunditur, quàm quę exoſſantur malleis ſalſamenta.

Cum



Cum accedunt ad Dæmones eos veneraturi, terga obuertunt, & ceſſim eum cancrorum more, ſupplicaturi, manus inuerſas retrò applicant: colloquturi, in terram figunt obtutum, & id genus alia ab omni conſuetudine reliquorum hominum alieniſſima; Vtcumq; res ſit, ipſa nos experientia ſatis commonefacit, id ſaltandi ſtudium inter homines fere ſemper malo exemplo inualuiſſe ad luxuriam, ac nequitiam, quod ſuo tempore conquerebatur Scipio Aemilianus, *a* & Macrobius lib. 3. Saturnalium cap. 4.

a In oratione contra legem iudiciariã Tiberij Grachi.



Interdum tripudiant ante comeſtiones, interdum poſt illas; ibi ſolent diuerſæ parari menſæ, ſiue tres, ſiue quatuor, in quibus pro dignitate, aut opibus ſinguli locantur, aliquando ſuus cuique Dæmon aſſidet, aliquando Malefici ex vna parte, & ſuus cuique Dæmon ex aduerſo. Nec menſæ ſua deeſt benedictio, hoc cætu digna, conſtans verbis blaſphemis, quibus ipſum Beelzebub & Creatorem, & Datorem, & Conſeruatorem omnium profitentur. Eadem ſententia eſt actionis gratiarum, quam ſubdunt menſis ſublatis. Poſt conuiuium, apprehendit vnuſquiſque Dæmon ſuam, quam cuſtodit, diſcipulam manu, & vt omnia fiant ritu quàm poſſunt abſurdiſſimo, dorſis inuicem obuerſis, & in orbem iunctis manibus, iactantes capita farneticorum more ſaltant, nonnunquam candelas manu tenentes, quibus Dæmonem prius adorantes vſi fuerant.



Cantant in Dæmonis honorem obſcæniſſimos cantus, ad cantum, vel ſonum tympani, & fiſtulæ alicuius in biſulcata arbore, tũ ſuis amatoribus Dæmonibus fœdiſſimè commiſcentur.

Sed quid mirum ſi cæteris ſceleribus hoc vnum ad iungatur, cũ hoc vitium adeo ſit tenax, & improbum, quod, vt ait D. Pater Ambroſius, vbi ſemel irrepſerit, tantæ improbitatis eſt, vt referet palatia Principum: penetret Prælatorum domos: poſsideat Clericorum aulas: ſubuertat Contemplatiuorum currus: & abrumpat Religioſorum cellulas? In ſenibus fumigat: in Iuuenibus militat: mulieribus imperat: totum fœdat: totum inficit, & S. Hiero- *mala quæ facit luxuria.*

Hieronimus, ait, luxuria eſt ignis infernalis cuius materia gula, cuius, flamma ſuperbia cuius ſcintillæ praua colloquia, cuius fumus infamia: cuius cinis immundicia: cuius finis gehenna. Idcirco, horum pręſertim maleficorum luxuria eſt tenax, quia nunq; eos dimittit: eſt procax, quia ſunt inſolentes, & inuerecundi: eſt turpis, quia in hac inuoluuntur deliciosè, inſtar ſuuium in volutabro cœni: eſt grauis, quia iniuriantur Deo, fœdans eius imaginem, & propria corpora contumelijs afficere non veretur: eſt caliginoſa, quia hanc exercent præcipuè de nocte, vel in locis ab ditis, & obſcuris, propter turpitudinem ſuam, vt imitentur Vrſos, qui, quando volunt coire, quærunt profundiſſima, & abdita loca: eſt tandem monſtruoſa, quia habent rem cum diabolo, & cum ipſo fœdiſſimè commiſcentur, tamquam hirci foetentes per luxuriam; tamquam Vituli ſalientes per ſuperbiam, & tamquam arietes lanam portantes per auaritiam, & hæc omnia ſcelera committunt, quia non curant Domino placere, cum ſint in vitijs obſtinati: nolunt alijs indulgere, quia nunquam parcuntijs à quibus ſunt offenſi: permittunt pauperes indigere, quia ipſis nolunt miſericorditer condolore: iracundiæ ſtudent, pſal. extendes iram tuam à generatione ingenerationem: amant in ſani apparere, cum neſciant habere modum, nec in lætitia, nec in ira: ſapien. 14. dum Lętantur, inſaniunt, ant certè vaticinantur falsa: tentant contra Deum valere, quia ſemper repugnant Diuinæ voluntati. Eſai. 10. Exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur: neſciunt furore abſtinere. Abacuch. 3. nunquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus furor tuus, aut in mari indignatio tua? Solent conſilio care. Miche. 4. nunquid Rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus perijt? Neſciunt in tempore tacere, cum ſint loquaces. Iob. 13. voca me, et ego reſpondebo tibi, aut certè loquar, & tu reſponde mihi. Student alienum habere, cum ſint auari, & raptores, ideo Paulus. 1. Corint. 5. docet ſocietatem talium fugiendam; dicens; ſi is, qui frater interuos nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut Idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumite: quærunt ſemper in peccatis iacere quia nunquam volunt poenitere. Hierem 13. ſi mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, ſic, & vos poteritis bonũ facere, cum didiceritis malum, & quoniam tales ſunt, ideò cogentur in Infernum perpetuo dolere, & lugere. Ioel. 7. nunquid mare ſum ego, aut Cætus, quia concluſiſti me carcere, ſcilicet, infernali,

ad

Ad hos conuentus, vt diximus, ſolent cnnuenire noctis mediæ ſilentio, cum viget poteſtas tenebrarum, interdum etiam conueniunt, in meridie, quo refertur illud, de Dæmonio meridiano. Solent præterea habere ſtatutos dies diuerſos iuxta diuerſas regiones. In Italia frequentant noctem diei Iouis circa noctis mediū, vt ait Sebaſtianus *o* Michael. Lotharingicæ Striges conueniunt nocte diei Mercurij, & nocte Sabbati, ſuccedente Dominica, teſte Remigio, *p* & apud alios legi, obſeruare noctem diei Martis.

Dies ſtatuti conuentus Maleficarum.

Pſal. 90.

o Scolia y.

p Lib. 1. cap. 4.

Ex his igitur, quę hucusq; deſcripſimus, & quæ Sagæ ipſæ confeſſæ ſunt iudicialiter, patet luce clarius, & exemplis ipſis confirmabitur, Sagas circumferri à Dæmonibus corporaliter per aera ad conuentus, & non ſolum circumferuntur ipſæ, ſed Dæmonis auxilio poſſunt ipſæmet alios proprijs humeris deferre, vt docebunt exempla; imò nonnunquam conuentu ſubitò diſſoluto, repertæ ſunt menſæ aliqua ſupellectilia argentea, poſtea à Dominis cognita, & confeſſæ Vxores ſe illa ſecum ad conuentus detuliſſe.

Hoc vnum ſubdam, quòd, qui aſſerunt iſthæc non eſſe vera, ſed ſomnia eſſe, & ludibria, certè peccant contra reuerentiam Eccleſiæ Matri debitam, quia Eccleſia Catholica non punit crimina niſi certa, & manifeſta, nec habet pro hæreticis, niſi qui in hæreſi manifeſtè ſunt deprehenſi; *q* Striges autem iam à plurimis annis pro hæreticis habet, & iubet per Inquiſitores puniri, & brachio ſæculari tradi, vt patet ex Sprengerio, Niderio. Iaquerio, Michaele, & docet experientia, ergo vel Eccleſia errat, vel iſti, qui talia dicunt. Eccleſiam errare in re ad fidem pertinente, qui dicat, Anathema, Maranatha ſit; Concludo igitur verè illas transferri à Dęmone ſæpius, aliquando etiam vadunt ſuis pedibus; *r* Quando volunt corporaliter transferri, inungunt ſe, vt iam dixi, vnguento ex infantulis corpuſculi adipe, Quando verò conuentibus volunt tantum intereſſe per inſomnium, tunc in ſiniſtrum latus cubant. Qnando autem malunt vigilantes cernere quæcunque fiunt in cōuentu, vt coram ſe geri, tum opera Dæmonis, ex ore vaporem quēdam craſſum euomunt, in quo geſtorum imagines, vt in ſpeculo intuentur.

q Conſuluiſti 2. q. 5.

r Remig. lib. 1. c. 14

Certis authoribus *ſ* compertum habemus extitiſſe quaſdam, quæ cum domi in eodem lecto cum marito manifeſtè pernoctaſſent, recenſerent tamen poſtero mane, ac confidenter dicerent multa ad eiuſmodi conuentus pertinentia, quibus ſe ſuperiore nocte interfuiſſe affirmarent. Alias etiam viſas inter dormiendum

ſ Frā tuscella. & Ioan Bodin.

à ſuis propinquis,& neceſſarijs,quibus iniecta erat ſuſpicio, commoueri vehementiùs,quaſi,qui ingenti aliquo dolore conflictantur, *t* vel etiam in ſedili, aut alia quapiam re equitare, vti, qui viam,admotis calcaribus accelerant; cæterum non egredi domo, ſed tantum experrectas, laſſitudinem præſeferre, veluti qui peregrè redeunt,ac miranda, quæ ſibi feciſſe videbantur narrare; & quod magis eſt,illis iraſci, ac ſuccenſere,qui fidem ijs non adhiberent: quæ res multos impulit, vt crederent,hæc mera eſſe ſomniorum viſa, quæ dæmon in eorum animos immitteret, quos laqueis ſuis irretiuiſſet.

t Olaus magnus in hiſt. de gẽte Septentrionali.

Exempla.

IN Prouincia Deirorum res mirabilis contigit,quam refert Martinus Delrio *u* Societatis Ieſu, qui à puero adhuc eam cognouit (parum enim diſtabat à loco ſuæ natiuitatis.) Eſt Vicus aliquot à Mari orientali miliaribus diſtans,iuxta quem famoſæ illæ aquæ ſunt,quas vulgo vocant,Vipſę. Ex hoc vico Ruſticus quidam ad ſalutandum amicum, in proximo Vico commorantem profectus, multa iam nocte minus ſobrius remeabat, & ecce de proximo tumulo,qui duobus vel tribus ſtadijs à Vico abeſt voces cantantium,& quaſi feſtiuè conuiuantium audiuit, miratus, quinam in illo loco ſolemnibus gaudijs intempeſtæ noctis ſilentium rumperet,hoc ipſum curioſiùs inſpicere voluit,videnſque in latere tumuli ianuam patentem,acceſſit, & introſpexit, viditque domum amplam,& luminoſam, plenamq; diſcumbentibus tam viris quam fœminis,tamquam ad ſolemnes epulas, vnus autem miniſtrantium cernens ſtantem ad oſtium,obtulit illi poculum,quo ipſe accepto,conſulto noluit bibere,ſed effuſo contento,& continente retento,ſtatim abijt, factoque tumultu in conuiuio pro ſublatione vaſculi,& perſequentibus eum Conuiuis,alacritate equi, quo vehebatur,euaſit,& in Vicum cum inſigni ſe præda recepit. Denique hoc vaſculum materiæ incognitæ,coloris inſoliti, & formæ inuſitatæ,Henrico Seniori Anglorum Regi pro munere oblatum eſt, ac deinde Dauidi fratri Reginæ, Scotorum Regi traditum, annis plurimis in Theſauris Scotiæ ſeruatum eſt, vt eſt videre *x*

u Lib. 2. diſquiſitionũ magicarũ q. 16.

Inter Striges Auinionenſes, vt narrat Michael *y* puer captus fuit, qui iudicibus narrabat, ſe à patre in Sinagogam (ſic enim conuentum vocant) deductum,& ibi vidiſſe patrari multa nefaria,& horrenda,itaque exterritum muniuiſſe ſe ſignaculo Crucis,

x In lib. rerũ Anglicarum. cap. 38.
y Scholia 6. pneum.

&

& dixiſſe, Ieſu,quid iſthuc rei eſt? ſimulque cum dicto turbam totam diſparuiſſe,& ipſum ſe ſolum ibi deprehendiſſe ,poſtridiè domum redijſſe,quæ tribus à Sinagoga miliaribus germanicis diſtabat,& patrem ad iudices detulit,vnde & puero in vicinia nomen inditum eſt,Maſquillon,hoc eſt,paruus Sortiarius , & hunc puerũ cum ipſe Michael iſta ſcriberet anno 1582.Auinioni adhuc captiuum fuiſſe .

Bartholomæus ſpineus , z narrat ſequentia,his verbis. Quidã egregius Medicus Ferrarienſis,& in eadem Ciuitate publicè curis infirmorum intendens Magiſter Sozinus Bencius nuncupatus,mihi fideliſſimo teſtimonio ſuperioribus diebus narrauit , quòd cum ſuperioribus annis, quaſi tribus elapſis , ruri eſſet , inuiſendarum poſſeſſionum ſuarum gratia, contigit cum ſuo Villico ſermonem de Strigibus eum habere,cumque Medicus deliramenta eſſe diceret,quæ referuntur de Strigibus , & hoc præ cæteris , quòd ſcilicet corporaliter ferantur ad opinatum curſum; è contra ſtatim Villicus ille, qui adhuc ſupereſt,& vocatur Thomaſinus Pol aſtros , de territorio quidem Mirandulæ , ſed modo habitans in confinibus illis in loco,qui vocatur Clauica Malaguzi, aſſeruit quendam aliũ ibi propè morari Ruſticum,qui narrat ſe mulieres, & viros in maxima multitudine nocte chorizantes,& voluptatibus vacantes vidiſſe ; ſuper quo ſtupens Medicus,rogauit Villicum ſuum, vt Ruſticum illum ad ſe vocaret , qui vocatus , & de his interrogatus, ita reſpondit . Quadam nocte, dum per tres horas ante diluculũ ſurrexiſſem,vt cum bobus , & plauſtro veniens villico huic veſtro in quodam negotio auxilium darem , perueniſſemq; ad hanc planitiem,quam manu oſtendo , (prope enim erat) vidi à longe tamen ignem copioſum in diuerſis locis , quaſi luminaria magna, inter quæ multitudinem magnam quoque conſpexi virorum, ac mulierum , veluti ad inuicem decertantium , ſeu etiam chorizantium .

z quæſt. de Strigibus Tom. 11.pa. 1 cap.19.

Propiùs autem accedens pluſquam ſex millia hominum , clara per ignes cauſata luce intuitus ſum . & menſas paratas,& eorum nonnullos comedere , ac bibere , plurimos chorizare , diuerſique generis ibi ludorum exerceri , plures etiam laſciuire licentiùs , quàm fas ſit loqui. Inter eoſdem autem aliquos mihi notos , vidi viros , ac milieres , & nonnullos eorum tunc etiam ſum alloquutus, ſed poſt horam quodam ſigno facto, velociſſimè , vt videbatur curſu , omnes inde fugerunt , ac velut aſportati nebula nuſquam comparuerunt; hoc igitur accepto teſtimonio Medicus mu tauit ſententiam, & ne dum poſſibile ; ſed etiam de facto contin-

gere iam credidit, quæ prius deliramenta putabat.

Accipe adhuc ex Grillando ſequentia eius verbis, facto nempe homagio. ſtatim Princeps Dœmonum, dæmonem vnum ad cuſtodiam ipſius mulieris conſtituit, quam nunquam relinquere debeat, ſed illi inſeruire in omnibus, quæ ipſa cupiet, & quotieſcunq; contigerit ad ludos accedere, hoc ipſe intimabit mulieri, & illam defferet, & inſtruet, qui quidem dæmō aſſociatur ei tamquam maritus vxori: ſæpe ad Congregationes illas accedunt maleficæ, vbi maxima mulierum numeroſitas congregatur, & non vident illa in mente, aut intellectu, aut in apparentia, ſed in vera, & naturali forma accedunt ad loca prædicta, hoc modo, & ordine, quia primum per vnum, vel duos dies antequam fiat congregatio intimatur ſibi per dæmonem illum, qui eſt ad ipſarum cuſtodiam conſtitutus, qualiter nocte tali, & tali hora ſe præparet ad veniendum ad ludum, quæ mulier ſi haberet iuſtam cauſam impedimenti, adducit, & auditur, dummodo ſit cauſa verâ, & excuſabilis, quæ legitimè excuſare poſſit, alioquin ſi fingeret habere cauſam, quæ nulla eſſet, vt non accederet, non defertur inuita, ſed remanet in domo ſua, nihilominus pro pœna ſui mendacij adeò fortirer cruciatur à Dæmone, & in mente, & in corpore maximis, & continuis doloribus, & ægritudine intrinſeca, vel extrinſeca, tam fortiter vexatur, quod diu, noctuq; nihil penitus quietis habet, ſed ſemper tribulatur, & omnia, quæ ipſa agit euaneſcunt, & pereunt in fieri, adeo quòd neceſſe eſt, vt tot mala ceſſent, quòd peccatum ſuum fateatur, & promittat etiam medio iureiurando, quôd amplius non recuſabit accedere: cum verò promittit acceſſuram, ſtatim adueniente nocte, & hora vocatur voce quadam velut humana ab ipſo Dæmone, quem non vocant Dæmonem, ſed Magiſterulum, vel Magiſtrum martinetum, vel Martinellum, quæ ſic vocata exit domo, & inuenit ſemper Magiſterulum ſuum in forma hirci illam expectantem ad oſtium, ſuper quo mulier ipſa dixit, quòd equitabat, & applicare ſolebat fortiter manus ad crines, & ſtatim hircus ille aſcendebat per aerem, & breuiſſimo tempore deferebat ipſam vſque ad Nucem Beneuentanam, & ibi ſuauiter deponebat,

a lib. 2. de ſortileg. q. 7. Narrat Paulus Grillandus, *a* ſibi, Anno 1524. vt Inquiſitori oblatam quandam Lucretiam, quę dum ex congregatione ludorum domum deportaretur, & ſub auroram matutinos campanæ pulſus, quo ad orandum populus vocatur, fuiſſet auditus, ſubito illam à Dæmone vectore prope fluuium in agro ſpinis obſito derelictam. Iuuenis fortè ei bene notus illac tranſibat, eum ergo

miſera

miſera nomine proprio vocat; Iuuenis videns eam nudam totam, præter verenda femoralibus tecta, & ſparſis crinibus accedere formidabat. illa alliciebat blanditijs, tandem appropinquauit, & quæſiuit cauſam moræ eo loci, in eo ſtatu illa primum multa finxit mendacia, ſed iuuenis incrudelus negauit ſe illi opem allaturum, niſi verum diceret, illa fidem ſecreti ſtipulata, cõfitetur quid ſibi acciderit, & qua ex cauſa; Iuuenis eam ſecreto domum ſuam perduxit, & illa ei donauit plurima dona, ſed tandem datæ fidei immemor, rem vni, atque alteri narrauit, & ſic paulatim ſparſa fama mala, mulier capta, & iuuenis teſtimonium veritati perhibere coactus, hæc omnia Grillando narrauit.

Mulier quædam Sabinenſis Diœcẽſis, hanc profitebatur Diabolicam artem, de qua cum maritus ſuſpicionem haberet, interrogauit eam multoties, quæ ſemper negauit; Maritus verò in ſua ſuſpicione perſiſtens, anxiè veritatem inquirebat, qui adeò aſtutè ſe geſſit, quòd vidit illam quadam nocte ſe vnguento quodam vngentem, qua vnctione peracta, vidit illam celerrimè quaſi auem recedentem, illam Maritus ſequens, vt videret, quo tenderet, amplius eam non vidit, & accedens ad portam domus inuenit eam clauſam, quæ res magnam illi præbuit admirationem. Die verò ſequenti iterum Maritus vxorem interrogat quod anxiè ſcire cupiebat, & illa conſtanter ſe neſcire dixit, Maritus verò, vt amplius negare non poſſet mulier, aperte ei dicit omnia, quæ nocte præterita illam feciſſe viderat, deinde fuſtibus percuſſit illam grauiter, quia iuxta ſapientem; Cor durum baculo frangitur, durioraq; minatur verbera, niſi veritatem dixerit, quam ſi apertè expoſuerit, veniam omnium promittit. Mulier igitur videns ſe iam celare non poſſe, veritatem aperuit, & veniam à Marito petijt, quam illi Maritus hac conditione indulſit; vt illum ad tales Congregationes adduceret. Illa, vt veniam impetraret, facile petita promiſit, & promiſſum ex licentia Sathanæ impleuit. Adductus igitur ille ad locum, vbi ludi fiebant, ludum, & choreas, & cætera omnia contemplatus eſt, & tandem ad menſam cum reliquis, vt veſceretur ſedens, cum cibos inſipidos iudicaret, petijt ſibi dari ſal, quod deerat in menſa, & quamuis iterum atque iterum petijſſet, nunquam illi dabatur, tandem poſt eius importunitatem, & prolixam expectationẽ, ſal illi datur, & ipſe ait, nunc laudetur Deus, quoniam iam venit ſal, quibus verbis prolatis Dæmones ſtatim receſſerunt, & reliqui oẽs diſparuerunt, luminaribusq; extinctis ille ſolus manſit nudus. Mane facto vidit quoſdam Paſtores, quos interrogauit, quę nam eſſet illa patria, in qua erat, illi verò reſponderunt,

derunt, agrum eſſe Beneuentanum in Regno Neapolitano, qui locus diſtabat à patria Viri centum miliaribus, quare licet eſſet diues, vt domum rediret, per viam mendicare opportuit. Vbi domũ peruenit, ſtatim vxorem ſuam de lamiarum crimine accuſauit, & totam rem, & eius exitum Iudicibus narrauit, qui omnia bene, vt oportebat, examinantes, vera eſſe, quæ diximus inuenerunt, & mulieris illius confeſſione confirmata ſunt.

b qõn. de ſtrigibus. cap. 17. & ſeq.

Bartholomæus Spineus ſacri Palatij Apoſtolici Magiſter, *b* nõ minus certa protulit, ex quibus hoc vnum eſt. Quædam Puella, quæ cum matre Bergomi morabatur, inuenta fuit nocte Venetijs in lecto ſui affinis, quam mane repertam nudam recognitamque, quia conſobrina erat, cum interrogaſſent, quomodo illuc veniſſet aut ibi eſſet, & quare? plorans illa poſtquam veſtita ab eis fuit, hac ſequentia narrauit dicens: Hac nocte cum in lecto vigilarem, vidi matrem meam, quę me dormire putabat, ſurgentem de lecto, & exuta camiſia, ſe quodam vnguento, quod ex vaſculo ſumpſit de ſub laterib. extracto, perunxit corpus, & ſtatim in aſſumpto baculo quodam ibi præparato, in modum equitantis aſcendens extra feneſtram deportata eſt, & à me nequaquam eſt amplius viſa, tunc & ipſa quoq; de lecto ſurgens meum perunxi corpus, vt fecerat mater, & extra feneſtram ſtatim educta, in hunc locum ſui deportata, vbi matrem puero huic lecto decumbenti inſidiantem vidi, ex quo ego territa, cum matrem quoq; ob meum aduentum perturbatam vidiſſem, & mihi comminantem, nomen Domini Ieſu, & matrem eius inuocaui, & ex tunc matrem non vidi, egoq; hic nuda, & ſola remanſi. His auditis à puella, ſcribſit omnia hæc affinis ille narrantis, Patri Inquiſitori Bergomenſi, à quo capta mulier, & tormentis expoſita, omnia confirmauit per confeſſionem, & addidit ſe à Dæmone pluſquam quinquagies deportatam, vt puerum illum prædicti affinis occideret, non tamen vnquam præualuiſſe, eò quòd ſemper illum inuenſſiet ſigno crucis, & ſanctis orationibus à parentibus benè munitum.

Quidam Antonius Leo Carbonarius Ferrarię habitator de Valle Tellina, narrauit hoc anno ſe in patria ſua, ab eo, cui infraſcripta contigerunt cognouiſſe, quod cum ſuſpectam haberet ille vxorem ſuam ex relatione multorum, quòd iret ad Conuentum Sagarum, quando ipſe nocte dormiret. Finxit ſe quadam nocte profunde nimis dormire, quod vbi animaduertiſſet vxor, ſurgens de lecto, inunxit ſe vnguento ex vaſculo prius abſcondito, & ſtatim diſparuit. Stupens aũt vir eius, & quadam curioſitate ductus, de lecto ſurgens idem fecit, quod vxor, & ſtatim per caminum, vt ſibi

vide-

videbatur, per quem etiam ſibi viſum fuerat aſcendiſſe vxorem, delatus in quandam cuiuſdam Nobilis Comitis cellam vinariam deportatus eſt, quo loci etiam vxorem ſuam cum alijs pluribus inuenit. Eo autem viſo, vxor eius ſtatim cum alijs quodam ſigno facto diſceſſit, viro ſuo in illo loco relicto, qui mane à ſeruis illius domus inuentus, & cum clamoribus quaſi latro captus, & ante Comitem conſtitutus, accepto loquendi ſpacio, cum rubore factũ narrauit, & ex eo accuſata vxor illius apud Inquiſitorem, & tandẽ confeſſa, pœnas dedit ſuorum ſcelerum dignas.

Nicolaus Remigius ſequentia exempla refert, ſic ſcribens. Luthzei (locus in radicibus montis Vogeſi) Menſe Maio, anno 1589. à Vicarijs celebrabãtur paganalia: ex eo Vico Claudius Cotheius in vicinum cuius nomẽ eſt Vuiſembach aduesperaſcente redibat, iamque eius Montis, qui inter vtrunq; Vicum aſſurgit bonam partem conſcenderat, cum ſubito correptus turbine ſtetit circumſpectanter attonitus, num alicubi rei inſolentis cauſa aliqua appareret, nam aer alibi tranquilliſſimus, quietiſſimusq; erat, aduertit in receſſu quodã laruatas mulieres ſex, inſtructatas multo auro, atq; argento, menſam quandam ſaltando circumeuntes, & ſua iactantes capita, ad inſtar eorum, qui intemperijs agitantur, tum ijs aſtãtem in nigro Tauro hominem, qui eas, vti otioſus aliquis in triuio, ſpectabat, ibi igitur conſtitit tantiſper, dumſe colligit, ac rem totam certius oculis agnoſcit, quòd dum facit, momento turba illa diſparuit, ac ſe ab eius aſpectu ſubduxit. Amoto igitur eo metu, ſe denuo viæ committit ac iam montis verticem ſuperauerat, tum ecce mulieres illę à tergo inſequuntur, capita ſua, vt antea iactantes, atq; altum ſilentium tenentes, prçibat homo atra facie, manibus in harpaginis ſpeciem incuruis, quas etiam parabat illi in frontem immittere, niſi obſtitiſſet diſtricto, atq; oppoſito enſe, ſiquidem hoc facto inſultare deſtitit, quaſi de vita metuens, & euanuit. Oſtendunt ſe iterum mulieres illę, vnaq; cum ijs homo, quem modo dixi Tauri aſſeſſorem chorearumq; ſpectatorem, ad quem iam factus confidentior Cotheius acceſſit propiùs, & infert, item tu ne is es mi Deſideri Gazete? (ſic.n. vocabatur) obſecro ſi quid potes ſerua me, nam tibi fidem meam polliceor me nihil eorum, quæ vidi relaturum nemini, vixque hæc dixerat, cum turbo illum ſeu nebula inuoluit denuo, eo demum euoluto quàm feſtinatiſſimè potuit, domum ſe recepit. Triduo poſt id teſtimonium ad aliud poſtea à Iudice quæſtionis rurſum vocatus, hoc ex abundanti ſuperioribus addidit, recordari ſe, cum propiùs ad menſam acceſſiſſet, viſurus ex quibus epulis eſſet inſtructa, Dæmonem ſibi

Lib. 1. demonol. ca. 14.

è ve-

è veſtigio vnguibus in os inuolaſſe, ac dum ſe contra ferro defenderet, inter hæc vehementiori vento iterum ſublatum, atq; ad Côbri Montis cataractus, qui locus à priore, non minus ducentos paſſus aberat, fuiſſe deportatum. Quod, ne quis deliramentum eſſe putet hominis non ſobrij, & noctis lociq; ſolitudine tum forte exterriti, id etiam Sandeodati vndecimo calen. Iunij 1589. Barbelina Gaxeta ex mulieribus illis vna, ſuperiore menſe totidem ferè verbis apud Inquiſitorem recitauerat, hoc adijciens, tritici menſuras duas, caſeosque bubulcos totidem Cotheio illi à Deſiderio Gaxeto eius coniuge dono datos, quo celatum haberet, quod ſic viderat, qua de re coram compoſiti conuenerunt per omnia præter hoc vnum, quòd Barbellina diceret, non eſſe in Cotheium à Dæmone intentatas manus, quia ſic ſe menſæ propinquum intuliſſet, vt is in elogio ſuo fuerat mentitus, ſed quòd aureum craterem ab ea furto parauerat tollere.

Ioannem ab Hembach, vix ab Ephebis egreſſum, Venefica mater ſecum ad nocturnos Dæmonum conuentus deduxerat, & quia fidibus ſciebat, illum canere iuſſerat, atq; in proximam arborem, quo rectiùs audiretur iuſſit aſcendere, quod dum facit, ac ſaltantium choreas otioſus oculis colluſtrat, fortè inſolentiam admiratus (quia ibi præpoſtera, & ridicula erant omnia) Deus bone inquit, vnde iſthæc vobis tam ſtulta, amensque turba? vixq; hoc dixerat, cum in terram prolapſus, altero humero debilitatum, ſe ſenſit, & cum aſtantium opem imploraret, ſolus inuentus eſt, quod dum palam prædicaſſet, & variè de eo ſentiretur, alijs viſum, alijs rem geſtam eſſe contendentibus, ſequuta eſt poſtmodum, quæ eã dubitationem tolleret occaſio. Nam Catharina Præuotia, *c* earũ vna, quæ choros illos duxerat, ob ſortilegij ſuſpicionem non multo poſt comprehenſa, rem omnem, vt ſupra memorata eſt, eius rumoris, quem Hembachius ſeminauerat ignara, & nulla interrogatione præeunte hæc confeſſa ẽſt.

c In Freisẽ 4. non. Septemb. 1589.

Rediens Nicolea Langbernard è Moletrina Guermingenſi Aſſenuncuriam, ante 8. Cal. Auguſti anuo 1590. ac iter ſecundum ſepé ſilueſtrem aperto meridie faciens, aduertit in aruo finitimo chorũ in orbem ſaltantium, tum virorum, tum mulierũ, verùm quòd præter ſolitum aliorum hominum morem auerſi tergaq; oſtendentes id faciebant, attentiùs eos aſpiciens, vidit præterea, qui caprinis bubuliſq; pedibus deformes una intermixti, ſaltatorium illum robem uerſarent; tum penè metu emortua, Ieſu ſalutare nomen inuocare cæpit, ac rogare ſuppliciter, ut ad ſuos modo ſalua incolumiſq; redire poſſet, Illico euanuere omnes, qui tripudiabãt præter

unum,

Vnum, qui vocabatur, Petrus, cui ocius in aerem ſublato, elabi in terram, atq; excidere viſum eſt penicillum, vt fornarij conſueuerunt furni ſui aream priusquam panem in eam condant, extergere; inter hæc vehementiori quoq; illa correpta vento, vix anhelitum ducere, ac ſpiritum trahere poterat, tum etiam domum reuerſa, triduum integrum ex valetudine decubuit, cuius rei fama, cum ipſa eiuſq; propinquis ſpargente, iam, vniuerſum pagum peragraſſet: Petrus ille, ne videretur eius diſſimulatione tantum crimen agnoſcere, ac fateri, primum quidem apud Iudicem iniuriam ferocius agere cœpit, ſed tandem veritus, ne non ſuccedente lite, maius ipſe ſibi periculum pareret, eam conſulto deſeruit, quę res multo etiam magis eius facti ſuſpicionem auxit, æſtimantibus multis malè mentis conſcientia, illum eam quàmprimum in animum adeo auidè reuocauerat, iniuriam muſitare. Ergo Iudex cum in eius vitam, moreſq; tanto diligentius inquireret, ac certis indicijs rem non eſſe vanam comperiſſet, comprehendit, tum ad criminis, non adeo inuitam confeſſionem adducere, tandem & alios, qui cum illi eius ſceleris ſocietas fuerat, coarguere, ac iam manifeſtos facere, inter quos fuere Barbelia Ioannis Latomi vxor, *d* & Mayeta Laurentij *e* ſupermaioris item vxor Duſæ, quæ diuerſæ totidem tamen verbis, illud de ſaltato à ſe auerſis vnà cum intermedijs cornupedibus Choro proditum à conſcio indicium verum eſſe agnouerunt. Acceſſit & earum confeſſioni tertius, Ioannes *f* Michael armentarius, hoc etiam ad maiorem rei fidem addens, ſe interea dum hæc fierent Tibicinis functo officio, pedum quoddam fortè oblatum ori admouendo, ac micantes ei digitos, vti cum ad numerum verè inflantur tibiæ, adducendo. At cum Nicolea illa Ieſum tremebunda inuocaſſet, ſeque præterea crucis ſigno muniuiſſet, è quercus altiore ramo, cui tum inſidebat, præcipitem decidiſſe, demum turbine inuolutum, ac in pratum nomine, Veiler, in quo paſcentem gregem paulò ante reliquerat deportatum fuiſſe. Eius rei grauiſſimum, fortiſſimumque argumentum denique hoc fuit, quòd locus vbi ſic in orbem agitatæ fuerant choreæ, ille poſtridie quemadmodum Nicolea ante monuerat, apparuit circulo impreſſus, qualem habent hyppodromi, vbi in girum aguntur equi, ſed & ſignatus vngularum caprinarum, bubularumque recentibus veſtigijs, quæ & videri potuerunt, dum aratro denuo reuolutum eſt aruum illud bruma ſequenti.

d Duſæ 6. Cal. Febr. 1591.

e 14. Cal. Martij. eiuſdē anni.

f Duſę Cal. Martij eiuſdē anni.

In Holandia, erat in Pago Ooſtbrouch, non procul à Traiecto mulier vidua, quæ habebat ſeruum ad obeunda onera domus, vt

res poſtulabat. Is cum iam ſæpiùs, vt ſolent eſſe curioſi ſerui, per tranſcenam animaduertiſſet. Heram nocte intempeſta, ſtatim ac ſe quieti tradidiſſent domeſtici, quotidie in ſtabulum ad certum, præfixumque locum venire, atque porrectis manibus præſepi contiguum fœnile apprehendere; admiratus tandem ille, quid nam hoc negotij eſſet, ſtatuit, & ipſe inſcia Hera idem ſemel experiri, atque eandem pertentare aleam. Hera igitur ex conſuetudine ad ſolita veniente, atque ſicuti videbatur digreſſa, ſubſequitur, & ipſe locum contemplatur, atq; exemplo heræ fœnile complectitur; ibi ille ex tempore in aera raptus differtur in Oppidū Vuijch, in abditum, & ſubterraneum ſpecum, vbi cœtum Maleficarum de maleficijs conferentem inter ſe inuenit. Hera admirata propter præſentiam famuli inopinatam, petit, quo geſtu, aut qua tandem ratione momento temporis illuc perueniſſet, Reſpondit ille ordine, vt ſeſe habuerat res, tum illa cœpit indignari plurimum, & excandeſcere, verita, ne nocturni, atq; clandeſtini conuentus illi hac ratione tandem noti fierent: cū conſortibus igitur deliberat quid in hoc ambiguo negotio faciendum ſuadeant, conuenit tandem inter eas, vt amicè exciperetur, ſilentium ſtipularentur, atq; hæc arcana, quæ illi præter meritum atq; opinionem videre contigiſſet, ſe nulli communicaturum, nec relaturum iuraret. Ille interim pollicetur, adblanditur, & vt mitius agant, ſimulat ſe omnibus votis hoc vnum expetere, vt cum illarum gratia liceat poſthac Sortilegarum intereſſe Collegio. Interim dum conſultatur labitur hora, etiam abeundi tempus inſtat, in dubium iterum, inſtigante hera iam vertitur, remittendus ne domum ſit totius cœtus periculo, an publico bono, necandus. Communi tandem omniū conſenſu, mitior placuit ſententia, quæ iuramento adactum, domum deferendum decerneret. Suſcipit eam prouinciam Hera, atque fide data in humeros receptum domum delaturam pollicetur: accinguntur operi, euroque ocius per aera feruntur. Sed ecce tranſacta iam maiori parte itineris, conſpicuum ſeſe dedit lacus arundineto obſitus; ibi Malefica illa Anus occaſionem nacta, verita, ne iuuenis pœnitentia ductus quòd furialibus iſtis feris initiatus eſſet, viſa tandem eliminaret, peruolans à ſe deiecit Adoleſcentem, ſperans, vt ſuſpicio eſt, eundem caſus violentia partim enectum, partim lacus ipſius altitudine abſorptum iri. Verum, vt eſt Deus miſericors, non volens mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat, veſanæ illius menti metas conſtituit, neq; paſſus eſt iuuenem inſontem ſubmergi, ſed aliquanto æquiore conditione permittit, vt in hunc vſq; diem vltra protraheretur: fortè in arun-

dine-

dinetum incidens, læthalem plagam ex caſu non accepit, violentia impetuq; caſus per arundinetum quodammodo refractus, interim miſer ille, qui ſolius linguæ miniſterio iam vtebatur, dum illuceſceret, mille diſtorquebatur cruciatibus, ac ſuſpiria trahens, tantiſper ingemiſcebat, dum prætereuntes inſolita lamentatione attoniti, facta indagagine, cōpererunt hominem prorſus elumbē, & cui vtraq; excidiſſet coxa; rogant vnde ſit, qūo eo calamitatis deuenerit? narrat ille ordine ſingula, defertur tandem curru Vltraiectum; Ibi nobilis vir Ioannes Chulemburgh Vrbis Prætor rei nouitate quodammodo perculſus, admirabundus ſingula perquirit, atque indagine facta faſcinatricem Heram comprehendi iubet, vinculiſque conſtringi; illa ſimul ac in manus Præfecti venisſet, nihil negauit, ſed ſingula confeſſa eſt.

Narrat Cumanus, *g* quòd in Oppido Mendriſij Comenſis Diœceſis contigit iam ferè annis 60. vt cum ibi quidam Inquiſitor nomine Magiſter Bartholomeus de Homate, Dominus Laurentius de Concorretio Prætor, & Ioannes de Foſsato Notarius contra has Striges procederent, vno die ipſe Prætor, quadam curioſitate ductus, volens experiri, an verè, & corporaliter Strigæ irent ad ludum, facta cōuentione acceſſit quodam die Iouis ſero cum Notario ſuo, & quodam alio extra oppidum ad quendam locum, ſicut illi Malefica prædixerat, & dum ibi prope eſſent illi tres, viderunt ibi plures perſonas congregatas, coram quodam, qui erat Diabolus in forma hirci, ad modum cuiuſdam magni Domini ſedente: & ecce ſubito omnes ille perſonæ ibidem congregatę, iuſſu diaboli, adeo illum officialem, & omnes eius ſocios Deo permittente baculis percuſſerunt; quod ex talibus percuſſionibus ille officialis, Notarius, & tertius ille alius, infra quindecim dies mortui ſunt.

g In Lucerna inquiſit. c. 3.

Florimundus Raemundus, *h* Senator Regius in Burdegalenſi curia, Vir pius, catholicus, & eruditus tradidit aliquos ritus Sagarum ſatis nefandos & ſacrilegos, ſcribit igitur ſequentia verba.

h Lib. de Antichriſto cap. 9.

In hâc curia Anno 1594. audita fuit Mulier cula Adoleſcentula Aquitana, non inſcita forma, quæ ſine tormētorum cruciatu ſponte ſua fatebatur, ſe teneriore adhuc ætate cum foret à quodam Italo corrupta, & poſtea, quæ D. Ioannis Præcurſoris diem præcedit nocte media in agrum quendam abducta, illic Italum fagina virgula circulum in terra deſignaſſe; certaq; verba in libro quodam nigro lecta ſubmurmuraſſe, ſubito deinde hircum grandem planè atrum aſtitiſſe, probè cornutum, comitatum fœminis dua-

bus,& mox acceſſiſſe virum veſtitu,ornatuq; Sa cerdotali.Hircum quæſijſſe ab Italo,quæ puella iſthæc foret? Reſpondiſſe hunc,eam à ſe adductam, vt hircus in ſuarum numerum illam referret, quo audito iuſſit hircus,vt illa ſignum crucis manu læua efformaret,& quotquot aderant ſalutatoriè venerationis officio fungentes, accederent propiùs: fecerunt illi & oſculum ſub ipſa cauda labris impreſſere. Inter hirci cornua,nigri coloris candela tetrum lumē præbebat,de hac,quas ſinguli manutenebant, accenderunt, & cū hircum adorabant,ſtipem pecuniariā in peluim, quæ aderat inijciebant,hoc primo factum tempore,poſtea Italus fœminā in eundem iterum locum reduxit; tunc hircus ab ea poſtulauit corollā, ſeu ſertum de capillis ſuis: Italus capillos deſſecuit,& illi obtulit, hoc ſigno deſponſam ſeduxit hircus à turba, & in vicinum nemus deductam,ſolo appreſſam iniuit, quę fæminæ commixtio, vt aiebat, mirè ingrata, & voluptatis planè expers fuit, imò, & cum ſenſu acerbi doloris,& horroris ob ſemen hirci, quod glaciei inſtar frigidum experiebatur. Singulo quoq; menſe, Mercurij, & Veneris diebus ſemel generale capitulum (ſic vocabat) celebrabatur apud puteum de Dome, ad quem conuentum ipſa infinitis vicibus acceſſerat,cum alijs pluſquam ſexaginta, qui ſinguli candelam nigram ſecum adferebant, quam hircus admotam poſtico poſteriore illo ſubcaudino flatu accenderat, quo peracto omnes tripudium orbiculare, obuerſo inuicem tergo, iunctis manibus auſpicabantur. Miſſæ quoq; ſimulacrum exhibebatur, quòd qui peragebat(quem illa nominauit)caſula nigra,cui nulla erat intexta crux, veſtiebatur. Loco ſacrificij incruenti, & ſacræ hoſtiæ, eleuabat reſegmen, ſiue orbem ex rapa tinctum fuligine, & eo eleuante clamabatur à præſentibus vnanimi voce. Magiſter adiuua nos. Calici,loco vini,aqua infundebatur: luſtralem verò aquam ſic conficiebant. Scrobi in terram defoſſæ hircus immingebat,hac vnda pura,ſcilicet ſacrificus, & aſpergillo atro cunctos aſpergebat. In hoc conuentu miniſteria ſortilegij ſingulis diſtribuebantur,& ſinguli rerum à ſe geſtarum rationem reddebāt.Diſceptabatur de venenis,maleficijs,veneficijs,ligaminibus,& remedijs Magicis,de perdendis frugibus,& ſimilibus criminibus.Hactenus Raemundus.

Nunc videamus quomodo Sagæ per aera in nubibus circumferuntur à Dæmonibus, extra tempus nocturni conuentus. In Belgio; Nobilis,& ſpectatæ fidei vir Vanderburchtius Decanus Eccleſiæ Mechlinienſis Municeps ſclopetam deferens, deambulabat extra Municipium,cui ecce obſtrepunt multæ, ac multæ aues ex

obſcænis, corui, & picæ in arbore prope viam: ſclopum ille colimat, & diſplodit: viſus ſibi vnam certo ictu perculiſſe, & decidiſſe de ramo, reperit ſolam ferream clauem de cingulo muliebri delapſam, capit, & domum rediens narrat amico, & num norit clauẽ inquirit, Reſp. alter, ſe noſce clauem vicinæ domus. N. Itur ad domum, reperiunt ianuam clauſam, inſerunt in ſeram clauem, recludunt, ingrediuntur pro familiaritate, quæ erat illis cum patrefamilias; ingreſſi inueniunt matremfamilias glande latus ictam.

Martinus Delrio, *i* ſubdit ſequentia, his verbis. Verſabar ego, Anno 1587. Caleti (quando fœlicibus auſpicijs Sereniſſ. Archiducis Alberti vi expugnatum à Catholici Regis militibus tenebatur) ad pontem Neuleti. Duo ſigna Valonum præſidio poſita limitem contra Bolonienſes, tum hoſtes tuebantur, ſub veſperam ſudo cœlo, procubitores duo vident nubem ſubnigram aduolare, & in ea videntur ſibi audire confuſas voces multorum, quos nulli videbant, tum alter audacior, quid hoc rei eſt? ſumus ne ſat ſecuri? ſi tibi videtur bonum librabo tormentum manuarium meum in ipſam nubem; aſſentitur ſocius: cum tonitru ſclopi decidit de nube ante pedes mulier ebria, nuda, bene obeſo corpore, & media ætate, femur traiecta duplici vulnere: capta, ſe mentis impotem ſimulabat, nec ferè aliud loquentibus referrebat, quidnam? hoſtes ne, an fœderati? quid ad hæc, qui negant transferri? negabunt credere ſeſe, maneant increduli, qnia nec oculatis, quos poſſem plurimos abducere, credent. Cur? quia, nec viderunt, nec audierunt, & quoſdam interrogauerunt, qui ſe nihil ſcire reſponderunt. Hæc ille.

i Lib. 5. diſquiſit. magicarum. ſect. 3.

Cape lector, & alia, quæ alij oculati teſtes, non auriti tantum in actis iudiciarijs, ſacramento veritatis adacti profeſſi fuere, verbis Nicolai Remigij quæſitoris proponam. Eſt Girumcuriæ, ait, in Vogeſorum Prouincia Caſtellum ſatis firmum, è cuius ſumma arce, cum tegularum aliquot ordines fulmine eſſent deiecti, ſe Sebaſtiana Piccarda, non molto poſt, nempe 10. Cal. Nouemb. 1580. in eo pago ſortilegij rea forte, & id apud Iudicem profeſſa eſt, Dęmonis ſuaq; ſimul opera eſſe patratum, cum enim, ait, è nube vna in illum proruiſſemus, eo con ſilio vt funditus eam euerteremus, non fuit tamen in noſtra poteſtate id exequi, ſed tantum pauxillum id ruinę attulimus, vt eſſet quòd eius conatus nos non omnino pœniteret, ſimile eſt quod ſequitur.

Cuninus quidam nomine, Magiſtratum in D. Clementis fanno Roncai vbi commorabatur obtinens, Calen. Decemb. 1586. cum

ruri fœnum inter domeſticos curaret,cęlumq; iam magnis tempeſtatibus commotum cerneret, domum fugam parabat, ſed dum ad eam ſe inſtruit, ſubito fulminis ictu proximè ſe quercus ſex radicitus vidit euerſas,ac eam,quæ ſeptimo loco adhuc ſtabat, totã tamquam vnguibus laceratam, ac diſcerptam, cum iam multo magis properaret,amiſſis etiam præ feſtinatione pileo, ac inſtrumentis ijs,quæ tum manibus geſtabat,ecce de integro audito fulminis fragore illi viſa eſt in ſumma quercu,quæ in propinquo erat hærere mulier,qua (vt credibile eſt) nubes ſe eo impetu exonerarat,eam igitur conſideratius intuens agnouit, è vicinia vetulam eſſe,quam illico ſic cœpit verbis increpare. Tu ne peſſima es Margarita Vuarina,ad quam quantum nunc comperio,non immerito ante hac ſortilegij ſuſpicio apud omnes pertinuit; vnde tu nunc nobis,ades iſto habitu; cui illa,ignoſce mihi hoc quæſo,ac celatum habe,quod nunc vides, faxo ſi hoc de me ita promerueris, vt nunquam à me tibi tuisque vel minima oriatur iniuria, ac ne quis de iſtis dubitet, ſciat, non modo eſſe probata Cunini illius teſtimonio, quod iureiurando apud quæſtorem ſanctiſſimè firmauit, ſed etiam ipſius Vuarinę agnitione,& extra tormenta ſępius repetita, & in ipſo vitæ vltimo momento multis audientibus confirmata.

Huc etiam pertinet, quod ex alijs quæſtionibus capitalibus eorumque, qui exercuerunt eas, fida renunciatione compertum habeo. Coorta enim magno fragore,tonitribusque tempeſtate,qui armenta reliquosq; pecorum greges in collis Alemani iugo cuſtodiebant (is ad vicinos huecariæ campos, quæ eſt in Vogeſorum præfectura pertinet) ſe,vt in operto eſſent in proximas ſyluas abdiderant ecce verò illis ex improuiſo, viſi ſunt duo Ruſtici ſummis arborum,quæ proximè ſtabant ramis inhærentes,ac velut implicati,adeoq; animis conſternati, vt facilè iudicarent illuc non conſilio,ſed caſu, atque inauſpicato aliquo impetu eò deueniſſe. Tum autem veſtitus fœditas, atq; deprauatio quaſi per lutum, ſentesq; omnes fuiſſent raptati ſuſpicionem augebat,eo loci à Magiſtello ſuo eiectos,detruſosq; fuiſſe,poſtquam is eos hac, atque illac more ſuo traxiſſet,confirmabatur;& ideo magis,quod cum illic tanto temporis ſpatio conſediſſent, quantum ſatis eſſet ad probandam, aſſerendamq; oculorum fidem; momento tamen, aduertenteq; nemine dilapſi apparere deſijſſent, tandem & dubitationẽ omnem amouit,quæ nõ longo poſt tempore ſubſequuta eſt illorum ea de re ſpontanea, atque armentariorum verbis confirmata confeſſio,cum ad interrogata ex vinculis reſponderent.

Eſt etiam villa, quæ ſe Bellimonte Vitellium contendentibus ſiniſtrorſum oſtendit, ibi in ſummum tectum, cum forte & ijdem, e procelloſa nube præcipites decidiſſent, magnaq; difficultate, Rotarius (id erat alteri nomen) afficeretur, quemadmodum ex tam arduo loco ſe incolumes poſſent in terram demittere, Amantius, qui a prima pubertate in dæmonis ſeruitutem à parentibus abductus, maturè ſe ijs aſſuefecerat, ridens ſibi, ait, bono eſto animo ſtulte, nam qui nos habet ſua poteſtate àd difficiliora habiles, atque idoneos Magiſter, hoc etiam negotium facile, ac ſine vlla difficultate expediet, nec dictum res diutius morata eſt, nam ſubito turbine vna correpti ſine vlla noxa, in terram ſunt depoſiti, ipſa tota ſic contremiſcente domo, vt à fundamentis diuelli videretur. Hocq; ipſi diuerſi, totidem tamen verbis recenſuerunt; imò, & cũ villaticis commiſſi de die, deque tumultu, ac trepidatione omni, inter eos liberè, ac conſtanter conuenit, ac tandem, quos viuos criminis ſocietas coniunxerat, eoſdem mortuos flamma Iudicis condemnatione abſumpſit: Hęc Remigius.

In Oppido quoddam iuxta Rhenum Conſtantienſis Diœceſis, Malefica oppidanis cum eſſet plurimum odioſa, & ad quaſdam celebrandas nuptias, non fuiſſet inuitata, cum tamen ferè omnes aliæ illius oppidi illis intereſſent, indignata, & vltioni ſtudens, dœmonem vocat, & ſuæ mœſtitiæ cauſam aperit, petens, vt grandinem ſuſcitare, cunctosq; de choreis diſpergere, ac deturbare, velit. Diabolus præſto eſt, & ſtatim illam ſubleuat, & per aerem, ad quendam montem prope Oppidum (paſtoribus quibuſdam cernentibus) tranſportauit ſed, vt ipſa faſſa eſt, aqua ſibi deficiente, quam in foueam ab ipſa defoſsam, infunderet (qui mos ab ipſis obſeruatur ad grandines excitandas) lotium aquæ loco intulit; quod, cum digito, more ſuo, aſtante dœmone mouiſſet, ſtatim diabolus humorem illum ſubleuans, grandinem ſatis copioſam, & vehementem, inſtar lapidum ſuper chorizantes, & ſaltantes oppidanos immiſit, quare illis in diuerſa loca diſperſis, & mutuo de facto conferentibus, Malefica oppidum ingreditur, quo factum eſt, vt ſuſpicio magis augeretur. Sed cum paſtores, quæ viderant patefacerent, ſuſpitio adhuc vehementius in Sagam creuit, quare, capta Malefica, & teſtata cur hoc malum intuliſſet, dixit, quia non inuitata fuerat ad nuptias; & ſic alijs criminibus detectis, igni tradita, quas meruit atroces pœnas, dedit.

An poſſint Magi transformare corpora ex vna ſpecie in aliam? Cap. XIV.

Doctrina.

Commẽt. in Senec. agamen. V.690. a ex cap. Epiſc.26. q.5. b lib.18. de Ciuit. Dei. c. 18. & de ſpiritu ex litter. ca. 28. ſin.

NVlli dubium eſſe poteſt Magorum artes, & Metamorphoſes omnes illuſorias, & deceptrices eſſe, & cum natura pugnare, hominis in beluam degenerationem. Addo contrarium aſſerenti anathematis imminere pœnam, *a* quæ ſententia authoritate S. Auguſtini, *b* fulcitur, idem ratio perſuadet, nequit enim anima humana informare corpus beluinum, vt nec aĩa Leonis equinum corpus, vel anima equi corpus humanũ, quia quælibet forma ſubſtantialis, vt ſuum eſſe tribuat informando, requirit peculiares, ſibiq; conuenientes diſpoſitiones, & organizationem corporis propriam, ideo anima definitur actus organici corporis: vnde fit, vt nec ferina anima humanum corpus, nec humana ferinum queat vt dixi, informare. Iſtiuſmodi prodigioſæ transformationis opinio, non recens ſolum, ſed & fuit veterum

c Pli. lib. 8. cap. 22.

iſta iam à multis ſeculis inueterata perſuaſio. Euantes *c* magni nominis author recitat ex Archadum annalibus gentile fuiſſe in Anthei familia hoc factum, vt vſus ex ea quotannis ſortito ad Stagnum quoddam perductas, poſitis veſtibus tranaret, confeſtimq; belua ex homine fieret, ac nono poſt anno, ſi interim humanum ſanguinem non guſtaſſet, priſtinam formam reciperet. Neuros etiam, qui Borxſthenen accolunt, ſemel quotannis ad aliquot dies lupos effici, ac rurſus exacto ſpatio, quod ei ſorti attributum eſt,

d In Melpomene. e In Polyhiſtore ca. 20. f Sigebert. in Chron. Luith. lib. 3. cap. 8.

in priſtinum habitum redire ſolitos recenſuit Herodotus, *d* & Solinus. *e* Sed non id ſolum ita contigit, illis moribus, & ætate, quibus nulla adhuc fulgebat Chriſtianæ veritatis lux hominibus, ſed & Bulgariam Baianum *f* quendam habuiſſe eius Symeonis, qui aliquando in ea imperauit, filium, qui ſe in lupum, aut quamuis aliam beſtiam, cum vellet, mala arte immutaret. Et Ruſciæ Dux quidam, cum audiuiſſet in ditione ſua eſſe hominem, qui ſe in eam, quam vellet formam mutaret, accerſitum illum, ac prius catenis conſtrictum, iuſſit in hoc artem ſuam properè, vt oſtentaret, quod cum ille dixiſſet, ſe quidem libenter facturum, modo in propinquo conclaui liceret ſe paululum eſſe, idque illi eſſet conceſſum, è ueſtigio egreſſus, lupi quidem natiua ſpecie, ſed iiſdem, quibus antea catenis impeditus, in magnam omnes, qui aderant

ſui admirationem traduxit,ſed in ferociſſimos duos canes, quos Dux inſidijs ad id collocauerat incidens miſer, dilaniatus, atque diſcerptus eſt.



Nulli tamen in mentem cadere debet, vt iam dixi, verè hominem poſſe in beluam commutari, & beluam in hominem verum, ſed hæc magica eſſe portenta, ac præſtigias, quæ habent ſpeciem, & non veritatem earum rerum, quas oſtendunt. Diabolus enim diuerſimodè ſolet decipere ſenſus noſtros, vt alibi docui, quia ſolet aliquando aliud corpus ſubſtituere, & illis abſentibus, vel alicubi in abdito loco ſoporatis ipſe aſſumpto lupi corpore, vel ex aere formato, & ſibi circumdato iſta gerit, quæ putant homines ab illo miſero abſente, & dormiente patrata, quod ſtratagemma à Sancto quodam viro cunctis manifeſtatum, narrat Guglielmus g Pariſienſis. Aliquando ex pacto Magis aeream circundat effigiem beluæ, & memra membris, quoad patitur ſimilitudo circumponens, caput capiti, os ori, ventrem ventri, pedem pedi, brachia brachijs, accommodat, hoc ſolet contingere, quando ad hoc inunctionibus certis, *h* vel ſolis verbis conceptis vtuntur, vt ſuperius adductum exemplum de illo, qui fuit à canibus laceratus, & tunc relinquunt veſtigia lupi terræ impreſſa. Hoc autem vltimo caſu nihil mirum eſt, ſi poſtmodum verè inueniantur ſaucij illis membris humanis, quæ in ferino corpore ritum acceperant, nã leuiter ceſſit circumiectus aer, vulnus vero corpori inhæſit, quando autem verum corpus abſuit, tunc Diabolus in abſentis corpo-

h Plin. lib. 8. cap. 22.

re eam partem conſauciat, quam ſcit in ferino corpore ſauciatam
i lib. 2. cap. 5. fuiſſe; de huiuſmodi affert Exemplum Bartholomæus Spineus i
his verbis.

Exempla.

HVius etiam apparentis conuerſionis Strigum in Cattos, teſtis in hac eadem Ciuitate Ferrariæ Philippus nomine, artificio cerdo, ſub iudiciali iuramento mihi aſſeruati trigem quandam ante tres menſes ei impoſuiſſe, ne prohiberet venire circa puerum (à ſe fortè ſtrigatum) quam curandum aſſumpſerat, ſi quos blandientes, & alludentes videret Cattos. Eadem igitur die dum diſceſſiſſet illa, viderunt poſt horam ipſe, & vxor ſua Cattum magnam, & hactenus ab eis inuiſam, quæ ad puerum accedebat concito gradu, quam cum ex timore parentes ſæpius abegiſſent, poſtremo contra venientis vexationem ad impatientiam exarſerunt, clauſoq; oſtio vir ille grauiſſimè Cattum hinc inde fugientē diutius haſta percuſſit, & demum ex alta feneſtra ſe iactare compulit, vt toto colliſa videretur corpore Cattus. Ex tunc autem, Strix illa vetula toto confracta corpore per plurimos dies lecto decubuit, quo factum eſt, vt leuis, quam prius habebant ſuſpicio, quod Striga eſſet, & puerum ſuum, qui hac infirmitate faſcinatus grauiſſimè laborabat, ipsa Faſcina eſſet, in vehementem tranſijt, imò, & violentam, etenim percuſſiones, & plagæ, quæ in Catto infixæ ſunt, in illa vetula ſunt inuentæ quoad membrorum correſpondentiam.

l Blaville ad aquas Id. Ian. 1581. Refert Remigius, l quòd ferè omnes, qui ſortilegij crimine deprehenſi in manus ſuas peruenere, ſe ex homine in felem toties migraſſe retulerunt, quoties ſe in alienas ædes latenter intromittere volebant; vt ibi noctu ſua venena ſpargerent. Barbellina m Dalhemij. 1581. Rayel, m ſe in felem indutam fuiſſe faſſa eſt, vt in ea ſpecie, ac figura Ioannis Ludouici domum, & faciliùs ingrederetur, & tutiùs peruagaretur, quod cum aliquando faceret, ac eius infantem bimum incuſtoditum reperiſſet, puluere medicato, quem tum in pedis palma concluſum geſtabat, eum conſperſit, ac interemit.

Petronius Armentarius, ſi quando, quod in procliui eſt inter pares, odio, aut inuidia mouebatur, contra vicinorum pecorum cuſtodes, in lupum ſe, conceptis quibuſdam ad eam transformationem verbis, immutabat; demumque tutus eo prætextu ab omni noxæ ſuſpicione obuiam quamq; pecudem dilaniabat, ac diſcerpebat;

Sequens exemplum narrauit clariſſimus comes Paulus à Salm, ſacri cubiculi in Regia Lotharingiæ ſummus præfectus. Heſs. Pittelangij, in quo Oppido ipſe ditionem habebat, iuxta vetus inſtitutum debentur ſibi, familiæ ſuæ ab incolis gratuitæ, & anniuerſariæ operæ. Eas cum fortè ij præſtitiſſent, facta cum curribus ſuis lignatione, ac viciſim pro remuneratione cibum caperent, in caſtelli atrio orta, vt fit inter canes rixa, quos ſecum habebant, ex ijs vna in proximum hypocauſti furnulum ſe condidit, ac cum huic cæteri vehementius latrarent, incolarum vnus introſpiciens, ac præ cæteris aſpectu horridam intuens, ſuſpicatus id quod erat (nam ea regio ſtrigibus vulgo eſt infamis) telo, quod tunc geſtabat in eius os iniecto, vulnus graue inflixit, quo accepto ſtatim illa ſe foras proripuit, ſaltem deſijt amplius videri. Poſtmodum totam vrbem peruaſit rumor, vetulam eſſe quandam, quæ decumberet ex vulnere, quod vbi accepiſſet neſciretur; ſuſpicari omnes cæperunt quod verum erat, rabidam illam eſſe canem, quæ in atrio telo eſſet percuſſa, atque tum ex hac ſuſpicione, tum ex ea qua pridem laborabat fama, comprehenſa, & in cuſtodiam tradita, tandem etiam de hoc diligenter interrogata, liberè rem omnem, ſicuti hic recenſetur, ſimul & malefica alia quàm plurima patefecit.

Audite, & hoc quòd refert Remigius ſibi narratum à Clariſſimæ Heroide D. Diana Dommartinenſi vxore Illuſtriſs. Principis D. Caroli Philippi Croij Marchionis ab Haurech, his verbis: Non ita pridem Thiecuriæ, qui pagus in eius ditione eſt mulier fuit huiuſmodi malis artib. addicta, cui, & ei induendi alienas formas à Dæmone fuit tributa facultas. Eam igitur, cum eius pagi opilionem odiſſet impendio, ac quoquo pacto malè mulctatum caperet, in eius gregem paſcentem lupi forma, atq; habitu aliquando irruit, ſed ab illo accurrente iniecta, atque impacta ſecuri, vulnus in femore accepit, quo debilitata coacta fuit ſe illico in proximũ dumetum inferre, vbi ab aſſequente opilione reperta eſt vulnus ligans veſtis diſciſſæ peniculamentis, quo ſanguinem, qui ex eo magna vi diffluebat, ſiſteret, ſicque eo inditio delata, ac comperta, nem omnem, vti hic recenſetur, agnouit, & tandem ignis ſupplicio pœras luit.

In Flandria, in Oppido quodam parum diſtante à Dizmuda, Ruſticus quidam vnà cum filio adoleſcente in Taberna bibens, hoſpitam ſignantem ceruiſiam, quam propinabat, obſeruabat, & videns quòd notaret duplo plus, quàm propinaret, diſſimulauit nihilominus, vſque ad ſolutionem compotationis. Perfecta po-

tatione,vocat hoſpitam,vt ponat rationem expenſi,petit iſta quantum ſignarat creta:negat ille,& multis vltro,citroque iactis,pecuniam in menſam proijcit,quam ſciebat ſufficere, & diſcedit. Stomachabunda hæc,tu verò,ait,non hinc hodie poteris domum ire, vel non ego,quæ ſum; abijt contemnens mulierculæ minas, vbi peruenit ad fluuiolum,in quo ſcapham reliquerat,non potuit pater vnà cum filio admodum forti, ſumma ope eam à ripa contis depellere, ità vt dixiſſes clauis fixam in ipſo ſolo, ſortè duo, vel tres milites illac iter habebant, vocat, dicens quæſo contubernales boni venite,& opem ferte,vt hanc nauiculam de ripa deducamus,promitto enim pro mercede largum potum,accedunt, & ingreſſi quantum poſſunt protrudunt,diu fruſtra vim fecerunt, anhelans vnus,& ſudãs,ait efferamus ſarcinas,& hęc onera,fortè vacuam commodius deducemus, fit; & ecce mercibus expoſitis, vident in ſentina ingentem luridum buffonem ſcintillantibus oculis illos intuentem,non tulit vnus militum, ſed gladij cuſpide perforatum ad guttur in aquam proijcit,ille quaſi exanimis in tergũ prouoluitur ventre reſupinato, vulnera natanti cæteri imponunt alia, & repente nauis ſoluitur. Lætus Ruſticus auxiliatores ad idem vnde receſſerat hoſpitium reducit; potum petit, præbet ancilla,quærit ille vbi hoſpita? audit,peſſimè ſe habere,& animam in lecto agere, quid,inquit, inepta ebrium me putas? vix media elapſa eſt hora,cum ego illam iſtic ſanam,vt tu es, reliqui, vadã; & videbo, quid iſtuc rei ſit. Intrat cubiculum,inuenit collum, & ventrem vulneribus confoſſam, laceramque expiraſſe, vnde hæc, exclamat,vulnera? neſcire ſe profitetur ancilla,nec domo illam, quòd ſciat pedem extuliſſe, itur ad Magiſtratum, vulnera cæſim, punctimq; illata inueniuntur ijſdem in locis, quibus buffonem, qui nuſquam comparebat,milites occiderant.

An beſtiæ loqui poſſint, & inteligere arte Magorum.
Caput XV.

Doctrina.

BRuta nonnunquam ab egregijs ſcriptoribus dicuntur ratione prædita, non quod verè habeant rationem, ſed quia multa tam ſolerter faciunt,quàm homines ſolent, qui ſunt ratione præditi; dicuntur etiam prudentiam habere, quia ſic operantur, ac ſi prudentia duce operarentur. Hoc benè explicat Fracaſtorius.

a In hanc ſententiam videlicet, Quoſdam, actiones animalium omnes ad inſtinctus naturales referre, ſed an hi inſtinctus, cum cognitione coniuncti ſint, vel ne, debuit explicari. Alij dicunt hos dirrigi ab intellectu, qui fines cognoſcit, & errare non poteſt, hoc totum igitur eruditè, & ingenioſè explicat, ſic dicens. Quando Deus hanc vniuerſitatem creauit, eadem virtute, & potentia, qua omnia fecit, facultatem etiam ſingulis naturis propriam dedit, qua peruenire poſſent ad fines rerum vniuerſitati debitos, & congruentes. Inde contingit, vt multa à particularibus fiant, quæ alium finem intendunt per ſe, & alium finem intendit natura, & ordo vniuerſi. Nam, quod calor ille genitiuus tam mirabilia operetur, calefaciat, attrahat, propulſet, figuras det membris vias, receptacula, ſitus, ordines, iuncturas, ac tandem animal producat, ac ſi ſingulorum fines cognoſceret. Arbores etiam, ac plantæ, folias, gemmas, flores, fructus, ſemina, mira ſolertia faciant (vt videntur) cuſtodiant, muniant, certum eſt hæc à non cognoſcentibus fieri; ſed dicendum eſt, hęc fieri ab illis, partim per accidens, partim per ſe: per accidens quidem quatenus eſt particularis quædam vna natura, per ſe verò, quatenus eſt pars vniuerſalis naturę, quàm ordinauit Deus ad finem illum quem ipſe cognoſcit. Sic, ait, & quædam bruta faciunt, non cognoſcendo fines, & quaſi per accidens, quatenus ſunt naturæ particulares, quatenus verò ſunt partes vniuerſalis naturæ à Deo ordinatæ per ſe faciunt, & intendunt fines, non ſibi, ſed Deo cognitos. Verbi gratia, dum oua ſunt matura, auis vult illa deponere, pondere grauata, & moleſtia ouorum: hic finis aui eſt notus. Alius eſt finis ratione vniuerſi ſcilicet, conſeruatio ſpeciei, qui eſt aui incognitus, ſed Deo cognitus; Deponit itaq; auis ouum per ſe, propter ſtimulum, per accidens reſpectu prolis: reſpectu ſui quatenus eſt hæc auis; ſed reſpectu vniuerſi, quatenus eſt pars eius, excludit prolem per ſe; ſic etiam aui inſurgit apetitus deponendi oua loco tuto per accidens ratione prolis conſeruanda, ſed per ſe, quia ouum amat, vt partem ſui. Quare (ait Fracaſtorius) magna prouidentia, & ſapientia Dei videri poteſt, qui totum vniuerſum ordinaturus, modum naturis omnibus dedit, quæ neſcientes fines, omnia tamen faciunt, perquæ fines conſequuntur, quos ipſe ſolus cognoſcit. Ex his hactenus deductis videre eſt, illam, quæ in brutis apparet prudentiam, non eſſe, ſed ſolum inſtinctum naturalem, & ordinem vniuerſi à Deo præſtitutum; Nunc videamus an bruta poſſint loqui.

a lib. 2. de intellectione.

Fit aliquando Diuina virtute, vt cui nulla ineſt naturalis virtus

b Nu.22. loquendi, illud tamen loquatur teſtante Scriptura ſacrà, *b* de aſina Balaam. quo autem modo Deus efficiat, hoc ipſe nouit, qui eſt fabricator omnis loquutionis: puto tamen, vt plurimum vti Angelorum opera, qui per illas inanimatas res vel per bruta loquantur. Per bruta in ipſiſmet formata loquela corporibus,& talis loquutio eſt vitalis actio ipſius animalis,non tamen eſt actio intellectualis,ſed dicitur intellectualis tantùm reſpectu Angeli;hoc fit in illis,quæ habent organa apta ad loquendum,vt Picca, Pſitacus,Coruus, & ſimilia; in brutis autem non habentibus apta organa ad loquẽdum,vt Aſini,boues &c.putarim id facere,eo quòd ipſemet Angelus,iuxta ea ſermone in aere formato loquitur. Ita dicendum de inſenſibillibus, igne,aqua,Terra,aere,cadaueribus, quibus ſic ſtantibus, facile erit iudicium facere, & reſpondere quærenti. An verò beſtiarum voces Magi intelligant, ſcribit Porphyrius, *c* quod ſua ętate de Apollonio Tianeo dici ſolitum: illũ, cum,audiſſet paſſerem cum multis vociferantem,expoſuiſſe ſodalibus ſuis,quos ſecum habebat,quòd paſſer indicabat cæteris, aſinum onuſtum frumento ante Vrbis portam cecidiſſe, frumentũq; humi fuſum. eſſe. Volebat enim Apollonius hoc facto fingere, ſe garritus auium intelligere,ſed hæc ſunt incredibilia. Quòd autem beluæ inter ſe intelligant,ſaltem eiuſdem ſpeciei, per eorum effectus corporis,vel vocis, hoc quotidiana docet experientia, & hoc conatus eſt probare Porphyrius: piſcis enim,qui confractum laqueum euaſit,alijs periculum indicat, vnde fit, vt eo die huius generis nulli piſces compareant, Vide Petrum Gregorium, *d* hæc ipſa memorantem, prudenterq; monentem, intelligentiam veram,& diſcurſum animantibus deeſſe.

c lib. 3.

d lib. 15 de repub. cap.5.

Exempla.

e hiſtor. lib.3. REfert Antonius Bonfinius, *e* quod anno circiter tertio poſt cladem ad Nicopolim, Sigiſmundo Imperatore à Turcis acceptam,cùm multi in eum campum deſcenderent, emiſſam inter oſſa ſubinde vocem audierunt, Ieſu Chriſti Saluatoris, & Mariæ Virginis nomina inuocantem, loquaxque inter cadauera caput inuentum, quod vbi homines ſibi adeſſe nouit, quid nam,ait, ſtupidi hic ſtatis viri? Chriſtianus ego ſum, inconfeſſus in hoc bello occubui. Maria Mater me æterni ſupplicij reum eſſe non patitur,hic me adhuc linguæ compotem ſeruauit, vt delicta fateri,& animum ſacris apoſtolicis luſtrare queam, proinde Sacerdotem,qui confeſſionem audiat, & me expiatum reddat, accerſite

quæ-

quæſo; Rogatus, cur tantum à Virgine beneficium promeruiſſet, reſpondit, ſibi peculiarem in eam fuiſſe in vita deuotionem, & ſeptena eius feſta quotannis reuerentiſſimè celebraſſe, religioſisq; ieiunijs, pane ſolum, & aqua decoraſſe. Quare accerſito è Pago proximo ſacerdote, Confeſſionem ritè tranſegit, & impetrata erratorum omnium remiſſione, & abſolutione, repente conticuit, perpetuoque quieuit.

Simia Dei Diabolus, conatus multa ſimilia, ſed pſeudo miracula, interdum Deo permittente facere, ad Diuinam vindictam demonſtrandam, & eius iuſtitiam facit. Flegon Tralianus, ait, *f* Policritus, poſt Locridem vxorem ductam, & poſtquam tres noctes cum ea obdormiſſet, tertio die vita functus eam reliquit grauidam, quę monſtrum ex duplici ſexu peperit, quod cum in mediā concionem populi ductum fuiſſet ad conſultandum, quid id præſagiret, quid ve de eo faciendum eſſet, comparuit in medio populi Spectrum Policritus, & futuram Aetolis, & Locrenſibus prædixit cladem, & impotente ad reſiſtendum populo, filium ſuum monſtruoſum dempto capite deuorauit, & euanuit, mox & caput eandem cladem eloquutum eſt. *f Lib. r. de mirab.*

Addidit idem Auctor ex Antiſtene Philoſopho Peripatetico. Quo tempore Acilius Glabrio Conſul vicit Antiochum Regem Aſiæ, deterritos Romanos oraculis, ne amplius inuaderent Aſiā, & Publij Ducis Romanorum caput relictum à lupo, qui corpus deuorauerat, vt ipſe prædixerat furore Diuino, vt putatur percitus, ceciniſſe longo ſermone aduenturam Cladem Romanis.

Facillimè Magus poteſt per Dæmonem efficere, vitiatis organis corporeis, vt homo latrare, vlulare, crocitare, hinnire audiatur, conans loqui, videmus enim artificio id nonnullos fœliciter conſequi.

Legitur, quòd Anno 1546. Margarita Eſſingenſis ex ventris doloribus ita intumuit, vt ventris moles totam faciem obtegeret, ac in circumferentia decem palmos excedere videretur, audiebantur à circumſtantibus lectum, gallorum cantus, gallinarum crocitationes, anſerum ſtrepitus, latratus canum, balatus ouium, porcorum grugnitus, boum mugitus, hinnitus equorum. Eduxit mirè magnitudinis vermes, atque ſerpentes ex latere circiter. 150. quo miraculo fidem faceret, cum tamen nil niſi præſtigiæ Dæmonum à matre puellæ lucri cauſa confictæ forent. *N. in lib. de prodigijs.*

An Dæmon poſſit facere, vt quis tormenta non ſentiat, & inediam longo tempore perferat. Cap. XVI.

Doctrina.

AN Dæmon poſſit facere, ne actu ſentiat, quod natura ſenſibile eſt, V. g. ne crucietur quæſtioni ſubditum; Iamblichus *a* ſcribit multos prophetarum admoto igne non vri, vel ſi vrantur, vſtionem non ſentire, nec alia vlla tormenta: loquens de vatibus gentilium, & ait, id fieri Deo intus adflante, qui repellit ignem, illaq; cætera hebetat. Quis eſt iſte Deus Iamblici Magi, niſi cacodæmon quiſpiam Eurycles? qui ſunt iſti prophetæ, niſi malefici? *b* Hodie quidam impij milites ſe fore inuulnerabiles putant, ſi arma certo ritu incantent, vel ſacrilego auſu crucifixi imaginem compungant, vel comminuant, aut confringant, *c* ita Codronchus, *d* vel ſi ferant interulam horrendis imaginibus deſcriptam, quam vocant, Inferni camiſiã, vel ſi periapta quædam ferant varijs caracteribus Magicis inſignita, aut orationes, quas blaſpheme admodum, & mendaciter tribuunt D. Leoni, vel Carolo Magno, inſignitas magnis, (vt dicunt Magi) Dei nominibus; ſic deludit Diabolus ſuos, vt eſt videre in Exemplis.

✠ Nunc ad inediam redeamus. Non eſt dubitandum poſſe diabolum efficere, ut quis multorum menſium ferat inediam, nam poteſt & hoc naturaliter fieri. Indi enim ferunt habere ſe herbam vnam nomine, Coca, quæ ore geſtata famem depellit. Dioscorides ſcribit Scythas adinueniſſe herbam circa Boeriam creſcẽtem, magnæ quidem commendationis, quod in ore habentes eam, famem, ſitimq; non ſentiant, & apud eoſdem, Hippice, herba ſic dicta eundem effectum præſtat, ſcythaſq; his herbis, ait, per duodecim dies durare in fame, & ſiti. Gemma *f* fatetur inediã naturalem multorum annorum. Si ſic in corpore humor flagmaticus, crudus, lentus, atq; viſcoſus; tunc calor naturalis illo vtitur pro alimento, donec totus abſumatur humor. Idem fit, ſi ex ſumma cerebri humectatione; materia quædam ſubtilis, & pituitoſa à capite in corpus deſcenderit quia tunc corpori in alimentum illa cedit, nec homini cibus opus eſt donec hic humor penitus

con-

a lib. de. miſter. Aegyp. paulo ante medium.

b Vide Ioſerh. Angler. in 2. q. de dæmonib ar. 4 diffic. 5. dub. 1.

c Sprenger. ĩ mal. p. 2. q. 1. c. 16.

d lib. 3. de morbis vẽneſi. c. 12.

f lib. 1. coſmocri. Cap. 6.

conſumatur. Huiuſmodi cenſetur fuiſſe inedia in puella Anglicana Rogerij Bacconi filia, quam ferunt viginti annis nihil comediſſe: Et tempore Nicolai V. pontificis, Gallus Sacerdos biennio toto, cibo, potuq; abſtinuit, quod ſi hæc fieri naturaliter poſſunt, multo melius diabolus efficere poteſt, ea induſtria, qua prauas corpori alias affectationes immittit.

Exempla.

REfert Martinus Delrio *e* ſe nouiſſe ſtudioſum quendam iuris, nomine Quirinum Baccalaureum, qui, cum tali membranula fretus, audacter ſe iurgijs, & pugnis immiſcuiſſet, ſæpe ictus, nunquam tamen ſaucius; tandem Romæ anno 1572. vel 1573. in Sympoſio minimo vulnere fuit interemptus, huic ſimile eſt ſequens.

e lib. 1. diſquiſit. magic. q. 11.

Niderius in ſuo formicario ſcribit, quòd in territorio Bernenſium, primus auctor maleficiorum fuit quidam Scafius dictus; qui publicè de hoc gloriari audebat, quòd quandocunque vellet, ipſe ſe omnium ſuorum in æmulorum oculis velut murem facere valeret, & dilabi à manibus inimicorum ſuorum lethalium, & ita capitalium ſuorum inimicorum manibus ſæpe, vt dicitur euaſit: Sed cum terminum ſuæ malitiæ Diuina iuſtitia facere voluit, tandem per hoſtes ſuos in Stuffa quadam, prope feneſtram quandam ſedere explorabatur cautè, quo in loco, cum nullum de ſibi inſidiantibus ſuſpectum haberet, per feneſtram gladijs, & haſtis inopinatè transfixus eſt, & ob ſua facinora ibi mortuus miſerabiliter.

Tormentorum ſæuitiam quotidiè Malefici in eculeo eludunt, omnem enim cruciatum, vel riſu, vel ſomno, vel ſilentio ſuperant. quo in genere Stupenda eſt narratio Charondæ, *f* quæ talis eſt. Quandam fœminam quinquagenariam ſibi notam ſic eluſiſſe infuſionem laridi liquati toto corpore factam, & omnium membrorum diram diſtractionem, vt nihil ſentiret prorſus: ex Equleo ſublatam omni ſenſu doloris vacuam, integram, & illæſam fuiſſe, niſi quòd pollex pedis euulſus in quæſtione, redditus non ſit, cuius tamen illi iactura noxæ vlli, vel impedimento nō fuerit, quam omnia tormenta eludentem, & pertinaciter omnia negantem, eliſa in carcere gula, Diabolus necauit, qui eam malefici j per energumenam accuſarat.

f libr. de Antichriſto reuelato uota. f.

Prope Samarobrinam anno 1599. capta fuit puella Strigatrix, quæ nec pedum exuſtionem ſæuiſſimam, nec flagra validiſſima

O ſen

ſentiebat, donec Sacerdotis cuiuſdam monitu, illi Agni benedicti ceram in collum iniecerunt, tum enim vi ſacrati amuleti, Dæmonis præſtigioſa ludibria depulſa, illam vim doloris cœpit ſentire, vnde patet hanc indolentiam, quam agnoſcit etiam Toſtatus, *g* minime naſci ex vlla phyſica cauſa, ſed opera Dæmonis induci.

g q.254. in Genſ. cap.13.

Remigius *h* refert hæc ſequentia. Cum Iſabella Pardea ob ſortilegij crimen comprehenſa, vrbis præfecto partem corporis à Dæmone ſignatam indicaſſet, ſubijt ei in animum experiri, verum ne id eſſet, quod de huiuſmodi ſtupore ferebatur: ergo iuſſit in eam aciculam penitiſſimè infigi, atque inculcari, quod cum in ſatis magna hominum frequentia eſſet factum, & incruentum omnino vulnus apparuit, & nullum Saga doloris, vel minimi indicium aſpicientibus dedit.

h lib.1. c. 5. Spinalij pridie nonas Mai?. 1588.

Claudia *i* Bogarta tormentis iā exhibenda, cute, vt moris eſt detonſa fuerat, ob idque cicatricem in ſumma fronte nuda oſtendebat. Suſpicatus igitur inquiſitor, quod verè erat, ſcilicet à Dæmone impreſſi vnguis veſtigium, quod ante capillis tegeretur, in id iubet aciculam altiſſimè infigi, quod cum eſſet factum, nec illa doloris vllo ſenſu affici, nec vulnus vel tantillum cruore manare viſum eſt: perſtitit tamen, verum negare, ac dicere eum olim ex iactu lapidis torporem eſſe obductum, ſed poſtmodum tormentis admota, non tantum agnouit id ſibi à Dæmone inflictum fuiſſe, ſed & plurima alia, quæ indigniſſimè ab eo paſſa fuerat, enumerauit.

i Brinduſij 3. Calē. Nouemb. 1590.

Eſſei, qui pagus à ſupradicto loco miliario ab eſt, cum hoc loci Dynaſta præſens in Mugeta ſortilegij rea lictorem periclitari iuſſiſſet, ac is illam idcirco nudam ſtatuiſſet, inueſtigaturus ſicubi ſignum illud inueniret, tandem in ſiniſtro femore macula verucæ inſtar apparuit; in quam, cum ferrum vel quantum poterat adegiſſet, nec à Mugeta vocem, nec ab ipſo vulnere ſanguinis guttam vllam elicere, & exprimere potuit, cum rurſus locum maculæ proximum leuiter etiam vulneraſſet, ingentem ex eo dolore clamorem edidit, largusque cruor ſeſe inde effudit.

l 18. Cal. Iulij 1591.

An Magicis Artibus, & opera Dæmonum Sexus immutari poſſit. Cap. XVII.

Doctrinæ.

DE ſexu mulieris in maſculinum, vel maſculini in fœmininum commutatione, quam naturalem ex Medicis huius ſeculi fatetur

retur Coſmocrit. 1. Gemma. quæritur. Factos ex mulieribus viros multos legimus. Hippocrates *a* ſcribit, Abderis Phætuſam vxorem Pithei, partui vicinam, miſſo in exilium marito, aliquot menſibus, ceſſante fluxu menſtruorum, cunctis in membris magnos perpeſſam dolores, corporis habitu in virum mutatam, idemque apud Thaſios accidiſſe Anamiſiæ vxori Gorgippi. Titus Liuius, *b* idem refert. Plinius, *c* ex fœminis, ait, mutari in mares, non eſt fabuloſum. Martinus Delrio, *d* refert ſequentia, his verbis: Ipſe in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Coſſitiũ Ciuem Tiſdritanum, viuebatque cum hæc proderem.

a lib. 6. Epidem. p. 8.

b lib. 24. de Spoletana mulier e.

c lib. 7. cap. 4.

d lib. 2. q. 22.

Notant Medici aliqui huius mutationis eſſe naturalem rationẽ, qua id natura det effectum, & conari illam ſemper in id, quod eſt perfectius. Mulier enim eſt quaſi imperfectus vir quidam, nec in aliud à viro diſtat, quàm, vt quæ ſunt intus vaſa ſeminaria, fori appareant, ſumpto incremento, & pingui velamine, cui inuoluitur fracto, protrudatur in virgam, cui ſimilis eſt, ſed abſcondita, & inuoluta fuerat prius, & expellitur caloris naturalis vrgentis impetu. Si autem id poteſt natura, quod multi authores confirmant, putarem, Deo permittente, diabolum etiam cauſis naturalibus inherendo, idem efficere poſſe. De viro verò fœminam fieri, crediderim id eſſe impoſſibile, non ſolum naturę, ſed etiam diabolo, quia hic opus eſt nimia retractione partium perfectarum in locos fœmineos. Hic conatus, in Nerone Mago perfecto irritus fuit, quando ſexum maſculinum in fœmininum mutare tentauit. Verũ eſt Auſonium Epigr. lib. 1 de virili ſexu in fœmineum degenerante locutum fuiſſe, his verbis.

Fœmineam in ſpeciem conuertit maſculus ales,
Pauaq; de Pauo conſtitit ante oculos:
Nec ſatis antiquum, quod Campano in Beneuento
Vnus epheborum Virgo repente fuit.

vbi ait, ex puello, puellam, & ex pauo pauam factam, quod difficillimè crediderim, niſi forte vterq; eis ſexus fuerit, occultatus vnus, manifeſtus alter, vt accidit in leporibus, de quibus Ouidius.

Alternare vices, & quæ modo fœmina tergo
Paſſa marem, nunc eſſe marem miremur hyænam.

quia Plinius lib. 8. ſi bene memini tradidit illam vtroq; ſexu præditam eſſe.

Auguſtinus *e* memorat ex Gentilium ſcriptis, & mulieres homines, & gallinas in maſculinum ſexum fuiſſe conuerſas, non tamen arte Magica, ſed naturaliter, quia magi hoc efficere non

e vlt. cap. lib. 3. de ciu it. Dei.

 poſſunt

poſſunt verè, ſed apparenter, vt decipiant, faſcinando per Dæmo nem ſenſus noſtros, vt alibi docuimus, ad.

Exempla.

f In hiſt. Neapolis.

IOuianus Pontanus, *f* narrat Caietæ mulierem piſcatori cuidam annis quatuordecim nuptam, in virum migraſſe: & aliã, cui nomen Emilia, nuptam Antonio Spenſæ Ciui Ebulano poſt annum nuptiarum duodecimum in virum mutatam: ſoluto matrimonio vxorem duxiſſe, & liberos procreaſſe. Addit idem aliam fœminam, cum marito filium vnum peperiſſet, ſubito exorta virilitate, marito relicto, alteram duxiſſe, & ex ea liberos generaſſe.

g lib. 9. exempl.
h libr. 9. exẽplorũ. Dial. 1.

Nonnulla narrauit conſimilia Cocceius Sabellicus, *g* quibus omiſſis duo ponam, quæ noſtris temporibus Hiſpania dedit, & fuerunt deſcripta fideliſſimè ab Antonio Torquemada. *h*

Vixit in Oppido Ezgueira Luſitaniæ diſtante à conimbrica nouem leucis vir quidam nobilis, cui filia erat nomine, Maria, Pacheco, quæ cum eſſet iam eius ætatis, qua fœminis menſtrui flores inchoantur, loco liquidi humoris, erupit ei è locis, vel aliter natum foras prodijt virile membrum; ſicque ex puella ſubito Adoleſcens Ephebus apparuit, cum ſexu virilem veſtitum, nomen quoque aſſumpſit, Manuelis Pacheci, Nauim conſcendit, in Indiam profectus, rebus fortiter geſtis ſtrenui militis exiſtimationẽ, opeſque magnas comparauit. In Patriam rediens vxorem nobilem duxit, de liberis mentionem ſubdit nullam Amatus Luſitanus, *i* ſed ait illum imberbem permanſiſſe, facie in fœmineam declinante, quæ ſunt indicia non perfectæ virilitatis. Vltimo loco ſubdit Torquemada, ſe ab amico viro magnæ authoritatis, & fidei pleno accepiſſe.

i Sabellicus libr. 9. exẽplorum

Non procul ab vrbe Beneuentana Hiſpaniæ Vxorem cuiuſdam ruſtici fortunæ mediæ, quæ, quòd ſterilis eſſet, minus à marito benignè habebatur; pertæſam malæ tractationis, quadam nocte aufugiſſe, ſumpto veſtitu famuli domeſtici, ſic ornata, virumque mentita, varijs in locis opera ſeruili vitam ſuſtentauit, poſt aliquod tempus, ſiue quòd calor in ea naturalis tam efficàx foret, ſiue quòd imaginatio nata, & confirmata continuo habitu, & miniſterio virili eam efficacitatem nacta ſit, certe ipſa ſe in virum mutatam deprehendit, ſtatuit ergo quæ diu fuerat vxor, agere maritum, fœminam ſibi matrimonio copulat, diu res latuit, illo non audente cuiquam rem narrare, donec quidam, ei prius optimè no

tus

tus cernens tam ſimilem eſſe facie vxori profugæ Ruſtici illius, interrogauit, num fortè frater eſſet talis mulieris, huic rem omnem, vti contigerat narrauit, ſic res in lucem venit.

Fulgoſus ſcribit *l* Neapoli Regnante Ferdinando Primo, cum Ludouicus Guarna Salernitanus Ciuis quinque filias ſuſcepiſſet, quarum natu maioribus duabus, alteri Franciſcæ, Carolæ alteri nomen erat, poſtquam ad decimum quintum annum peruenerunt ambabus genitalia membra in marium morem eruperunt, mutatoque habitu, pro maribus habiti ſunt, Franciſcus, & Carolus nun cupati.

l lib.1. exēplor. & cap.6.

Item Ebuli, ſub eodem Rege, Puellæ, quæ iam quatuor annis viro promiſſa ſponſæ nomen habuerat, qua nocte Primum viro tradita cum eo cubauit, ſiue ex confricatione, ſiue ob aliam causam, quæ ignota ſit, effractis membranis, quæ vt mulier videretur efficiebant, virilia membra prodierunt, domumque reuerſa in iudicio dotem repetiuit, in virorum numero poſtea habita.

Phlegon *m* ſcribit. Virgo quædam Smirnæ nata Philotis nomine, cum matura Viro nuptui à parentibus eſſet tradita, maſculino enato membro, in virum abijt, quin & Laodiceæ, quæ eſt in Syria mulier Aeteta nomine etiamnum cum marito degens, è fœmina vir extitit, cui Aetetus nomen præſide Athenis Macrino, Romæ Conſulibus Lucio Lamia, & Aeliano vetere.

m li.1. de mirabil. & longeu.

Michael *n* Montanus teſtatur ſuo tempore Vitriaci fuiſſe puellam nomine Mariam, quæ cum ſaltaret violentius. Subito virilibus erumpentibus in virum mutata eſt, & ab Epiſcopo Sueſſionenſi confirmationis ſacramento mutato nomine Germanus vocari cœperit, eius poſtea mento barbam natam, diu vixiſſe ad decrepitam vſq; ætatem, vxorem tamen duxiſſe nunquam. Sed ſi illud natura potuit, quod tot aſſerunt authores, putarem Deo permittente cauſis naturalibus fretum etiam poſſe Dæmonem ipſum.

n lib.1. experimentorum. c.21.

An animæ Defunctorum Mortalibus poſſint apparere. Cap. XVIII.

Doctrina.

MORTVORVM animas poſſe, ac ſolere nonnunquam Diuina potentia, atq; virtute viuentibus apparere omnibus Chriſti fidelibus conſentaneum eſt. Legimus enim primo Chriſtum B. Petro Apoſtolo apparuiſſe perſequutionem vitanti, & dixiſſe ſe Romam contendere, vt iterum crucifigeretur.

De apparitionibus animarum teſtatur D. Pater noſter Ambro-

ſius

ſius contra Auxentium de Baſil. noua tradenda. Auctor eſt D. *a* Dionyſius Areopagita, Ieſum multis Angelis comitatum apparuiſſe, & inclementiæ nomine repræhendiſſe, quòd lapſi fratris, & ſeductoris pœnam expeteret.

Iuſtinus Martyr *b* teſtatur redire animas mortuorum, & apparere aliquando, aſſerens Samuelis animam uerè fuiſſe euocatam. Idem affirmat Tertullianus his uerbis; Sed ſi quorundam reuocauit animas in corpora Dei uirtus in documenta iuris ſui, non idcirco communicabitur fidei, & audaciæ Magorum, & fallaciæ ſomniorum, & licentiæ poetarum. Origenes *c* Celſum impugnans utitur his uerbis. Improba uerò anima & prauis facinoribus in terram retracta, ita ut adſpirare ad ſuperiora nequeat, uagabunda in terra uolutatur, nunc circa ſepulcra oberrando, ubi etiam umbratilium animarum phantaſmata ſunt ſæpius uiſa, nunc terras has obeundo, cuiuſmodi hos ſpiritus eſſe credendum eſt, qui omnibus ſeculis, & coerciti ſunt, & præpediti ueneficijs &c. Et Origenis tempore B. Potamiæna Baſilidi carnefici apparens, eum ad fidem conuertit, ut docet Euſebius, *d* & ipſemet Origenes contra eundem Celſum lib. 1.

B. Gregorio Taumaturgo Beatam Virginem Mariam, cum B. Ioanne Euangeliſta apparuiſſe narrat Gregorius Niſſenus ſcriptor eius uitæ grauiſſimus. Vide D. Cyprianum, *e* & arguit eos, qui huiuſmodi uiſiones contemnunt. Sanctus Ambroſius *f* de B. Agnete ait, parentibus ad eius ſepulcrum uigilantibus, quadam nocte cum apparuiſſet, ſic ad eos loquuta dicitur, ne me parentes mortuam lugeatis, &c.

Poſt annum Chriſti. 300. Apparuit Chriſtus B. Petro Alexandrino *g* in forma pueri quærentis ueſtem ſuam ab Ario diſciſſam. Adrianus tom. 2. Epiſ. decret. & Synod. 7. ſiue Concil. Nizen. 2. act. 2. Gregorius Turonenſis *e* Surius tommo 6. die 12. Decembris Gregorius Cæſarienſis apud lipom. tom. 6. in oratione de Nicena Synodo. Nicephorus lib. 8. cap. 23. B. Baſilius lib. de uera Virginitate paulò ante medium. Et Gregorius Nazianzenus in oratione in laudem Cæſarij.

Anno Chriſti 400. B. Martini tranſitus, B. Seuerino, & B. Ambroſio abſentibus oſtenſus eſt, quod etiam narrat Gregor. Turonen. libr. de miraculis Sancti Martini, & lib. de gloria Confeſſorū. Sanctus Ambroſius didicit, ubi nam iacerent corpora SS. Geruaſij, & Protaſij per uiſionem eorum, teſte D. Auguſtino.

Circa annum 429. B. Virgo Maria, cum B. Ioanne Baptiſta, & B. Ioanne Euangeliſta apparuit Abbati Ciriaco, & negauit ſe in eius cellam ingredi uelle, quia ipſo ignaro erant repoſiti duo libri

a F iſto. 8. ad Demoph. l.

b Apolog. II. ad Imperatorē.

c lib. 7.

d li. 6. c. 4.

e de viſionibus nocturnis. epi. 12. & 69.

f Serm. 90.

g Surius tom. 6. die 15. Nouēbris.

h De gloria martyrū cap. 8.

Lib. 22. de Ciuit. Dei c. 8. & lib. 9. confeſſ. cap. 7.

libri Neſtorij hæretici contra Beatam Virginem Mariam.

Extat inſignis authoritas D. Hieronymi, *i* per quam uno ictu iugulãtur omnes hæretici, qui dicunt animas teneri in carcere ubicunq; ſint, uſq; ad diem Iudicij. Hęc ſunt propria uerba S. Hieronymi. Ais, uel in ſinu Abrahæ, uel in loco refrigerij, uel ſubter aram Dei animas Apoſtolorum, & Martyrum conſediſſe, nec poſſe ſuis tumulis, & ubi uoluerint adeſſe præſentes: Senatoriæ uidelicet dignitatis ſunt, & non inter homicidas teterrimo carcere, ſed in libera, honeſtaq; cuſtodia infortunatorum inſulis, & in campis Eliſijs recluduntur. Tu Deo leges pones? Tu Apoſtolis uincula inijcies? ut uſq; ad diem Iudicij teneantur cuſtodia, ne ſint cum Domino ſuo, de quibus ſcriptum eſt, ſequuntur Agnum quocunq; vadit; ſi Agnus ubiq; ergo & hi, qui cum Agno ſunt ubiq; eſſe credendi ſunt, & cum Diabolus, & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia ubiq; pręſentes ſint; Martyres poſt effuſionem sãguinis ſui arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt? hactenus Hieronymus.

i libr aduerſus Vigilan.

Vt autem intelligeremus, hoc non accidere lege ordinaria; ſed ſpeciali Dei priuilegio, & permiſſione ſingulari. Auguſtin *l* hæc ſequentia uerba de matre ſua ſcripſit, quæ aduerſarij calumniosè in nos detorquent, audite. Si rebus uiuentium intereſſent animæ defunctorum, ut de alijs taceam, me ipſum pia mater nulla nocte deſereret. De ſingulari enim permiſſione illa, alias apertè aſſeruit, quòd de continua, & ordinaria lege hic negauit capit. 15. ait, mitti ad uiuos aliquos ex mortuis diuina ſcriptura teſtatur, & Samuelis, atque Moyſis apparitionibus id confirmat.

l libr. de cura pro mortuis agenda. c. 13.

Infinitæ, vt vno verbo concludam, ſunt authoritates ad hanc materiam pertinentes, ideo ne ſim tædio afferam tantum quaſdam author. quorundam Theologorum, ſicuti Thomæ de Media uilla. *m* Petri de Palude *n* Scoti ibidem quæſt. 1. art. 4. Dioniſij Cartuſiani, & in opere de quatuor nouiſſimis, & in lib. de Nouitijs ordinis ſui. Sotr. *o* Et Peltani libr. de Purgatorio capit. 5, Petri Caniſij, *p* & Ioannis Gregorij de Valentia in tertia parte diſtinctione 6. 9. & vndecima punc. 1. diſpoſit. 11. quæſt. 1. parte 1. ac aliorum quam plurimorum nunc ad Exempla veniamus.

m In 4. diſtinct. 45. q. 3.
n Eodem loco.
p In 4. diſtinct. 45. q. 1.
p In 4. diſtinct. 45. c. 1. art. 4.
q Lib. 5. c. 20. c 21.
r Lib. 1. c. 8.
Lib. 1. c. 5.

Exempla.

REferunt Socrates, & Ruffinus, *q* quòd Sanctus Spiridion filiam habuit Irenem nomine, quæ cum ei bene miniſtraſſet, Virgo defuncta eſt. Poſt eius obitum venit quidam dicens, ſe ei

quod-

quoddam depoſitum commendaſſe; rem geſtam ignorauerat pa-ter,perquiſitum in tota domo, nuſquam quod poſcebatur inuentum eſt,perſiſtebat tamen ille,qui commendauerat,& fletu,ac lacrimis perurgebat,vitæ quoque ſuæ ſe illaturum exitium, niſi commendata reciperet,teſtabatur. Permottus lacrimis eius ſenex,ad ſepulcrum filiæ properat,atque eam ex nomine yocat; Tum illa de ſepulcro, quid uis, ait, Pater? Commendatum, inquit, illius ubi poſuiſti? at illa locum deſignans, illic ait,defoſſum inuenies, regreſſus domum,rem ſicuti filia de ſepulcro reſponderat, repertam,tradidit repoſcenti. Quæ potuit reſpondere, non ne potuit apparere? ſanè; ſicut & illi,qui mortui ſunt Nicenæ Synodo ſubſcripſere,audi ſequentia.

Hiſtoriam admirandam prodidit Gregorius Cæſarienſis præſbiter apud lipom.in oratione de Nicena Synodo, ſic ſcribens.

Duo Sancti Epiſcopi Chriſantus, & Muſonius, cum nondum deciſioni ſuas adieciſſent deſcriptiones, accidit, vt Diuina prouidentia morerentur. Diuini ergo Patres, cum veniſſent ad communem locum,in quo dormiebant, cumque ſimul cum eis eſſent, & quæ dicebantur audirent O fratres,dixerunt,& patres,pręclarè nobiſcum certamen certaſtis, curſum perfeciſtis, fidem ſeruaſtis: Si ergo quod factum Deo gratum iudicatis(hunc enim purius cernitis) ne quid ſit impedimento quominus vos quoque deciſionem ſubſignetis,hæc ſimul,& dixerunt, & ſignata deciſione Sanctorum Patrum loculo impoſita, totam illam noctem inſomnem peragunt in oratione,die autem ſequenti, cum veniſſent ad loculum, ſolutis quæ erant impoſita ſignaculis, cum ſanctam reuoluiſſent deciſionem, inuenerunt SS. Patrum ad eos adiectas ſupſcriptiones. His proprijs verbis. Chriſantus, & Muſonius, qui cum patribus omnibus in Sancta prima Oecumenica Synodo conſenſimus, quamuis corpore tranſlati, manu tamen propria nos quoque libello ſubſcripſimus. Ex quo patet, animas Diuina permiſſione ad nos redire poſſe.

B. Paulinus Diaconus (non tamen Nolanus ille) In vita Sancti Ambroſij, ait, Eodem quo die obijt, ſicut textus Epiſt. loquitur,quæ à Simpliciano ſucceſſore eius venerabili viro,ſuſcepta eſt de partibus orientis ad ipſum, tamq̃ adhuc viuentem nobiſcum directa,quæ nunc vſq; Mediolani habetur in Monaſterio; quibuſdam ſanctis uiris apparuit, orans cum illis, & imponens illis manus,habet enim diem epiſtola, quo directa eſt, qua lecta inuenimus diem eſſe,quo ille obijt. Intra Tuſciam uerò,in Ciuitate Florentia,ubi nunc uir Sanctus Zenobius Epiſcopus eſt, quia promi-

ferat ſe illos ſæpius viſitaturum frequenter ad altare, quod eſt in Baſilica Ambroſiana, quæ ibidem ab ipſo conſtituta eſt, viſus eſt orare, ſicut ipſo ſancto viro Sacerdote Zenobio referente didicimus. In eadem etiam domo, in qua declinans Eugenius manſit; tempore quo Radaguiſus ſupraſcriptam Ciuitatem obſidebat, cum iam penitus deſperaſſent viri Ciuitatis, per viſum cuidam apparuit, & promiſit alio die ſalutem illis affuturam, quo referente Ciuium animi ſunt erecti, nam altero die aduueniente Stilicono Comite cum exercitu, facta eſt de hoſte victoria. Hec Panſofia Religioſa fœmina; matre pueri Panſofij referente cognouimus. Mazcezeli etiam deſperanti de ſalute ſua, vel exercitus, quem ducebat contra Gildonem, baculum tenens manu in viſu noctis apparuit, atque cum prouolueretur ad pedes viri ſancti Mazcezel, percutiens terram ſenex baculo, quo regebatur (tertio hac enim ſpecie illi apparuerat) ait, hic, hic, hic ſignans locum deditque intellectum viro, quem viſitare dignum fuerat arbitratus, vt agnoſceret ſe in ipſo loco, in quo ſanctum Domini viderat Sacerdotem, die tertio victoriam adepturum, atque ita ſecurus bellum inchoauit, & conſummauit.

Nos tamen ea Mediolani poſiti ipſo Mazcezele referente cognouimus, nam & in hac prouintia, in qua nunc poſiti hæc deſcribimus, plurimis hoc ipſum retulit Sacerdotibus, quibus etiam referentibus ſecurius ante nobis cognita huic libro adiungere arbitrati ſumus.

Siſinij etiam, atque Alexandrini Martyrum, qui noſtris temporibus poſt obitum Sancti Ambroſij in Agauniæ partibus perſequentibus gentilibus, martyrij coronam adepti ſunt, cum Reliquias Mediolani ſumma cum deuotione ſuſciperemus, adueniente quodam Cœco, & referente cognouimus, qui eodem die tacto loculo, in quo Sanctorum Reliquiæ portabantur, lumen recepit, quòd per viſum noctis vidiſſet nauim appropinquare littori, in qua multitudo erat albatorum virorum, quibus deſcendentibus ad terram, cum vnum de turba precaretur, vt ſciret qui eſſent viri illi, audierit, Ambroſium, eiuſque conſortes; quo audito nomine, cum deprecaretur, vt lumen reciperet, audiuit ab eo, perge Mediolanum, & occurre fratribus meis, qui illò venturi ſunt (deſignans diem) & recipies lumen; Erat enim vir, (vt aiebat ipſe) de littore Dalmatico, nec ſe ante veniſſe in ciuitatem aſſerebat, priuſquam recto itinere reliquijs ſanctorum occurriſſet, nondum videns, ſed tacto loculo videre cæpiſſe.

Conſtantinus presbiter in vita Sancti Germani Antiſiodorenſis Cap. [illegible]

ſcribit. Cum vir Sanctus in loco quodam ſpectris infeſto moraretur intrepidus, ſubito ante os legentis aſtitit vmbra terribilis, & paulatim ſub oculis intuentis erigitur; parietes etiam ſaxorum imbribus colliduntur; tunc verò deterritus lector, præſidium ſacerdotis implorauit, qui ſtatim proſiliens effigiem terribilis imaginis intuetur, & præmiſſa obſecratione nominis Chriſti, imperat, vt quis eſſet, quidq; illic ageret fateretur; qui protinus terrifica vanitate depoſita, voce humili, more ſupplicantis eloquitur; ſe, comparemq, ſuum authores fuiſſe multorum criminum, inſepultos iacere, & ob hoc inquietare homines, quia ipſi quieti eſſe nō poſſent, rogat, vt pro eis Dominum præcetur, quatenus recepti requiem mererentur. Ad hæc vir ſanctus indoluit, imperatq; vt locum oſtenderet, quo iacerent, tum verò cereo pręcedente dux vmbra prægreditur, & inter difficultates maximas ruinarum intempeſta nocte locum, in quo proiecti fuerunt, indicauit. Vt verò mundo redditus eſt dies circumiectos incolas inuitat, hortatur ipſe operis maturator inſiſtens. rudera tumultuariè ſuperiecta ad tempus raſtris auulſa purgantur. inueniuntur corpora fuſa ſine ordine, oſſa ferreis adhuc nexibus illigata, ad legem ſepulturæ foſſa dirigitur; membra exuta vinculis, linteis induuntur, humus ſuperiecta componitur, oratio interceſſionis impenditur, requies defunctis obtinetur: ita vt poſt eandem diem, ſine vllo terroris indicio, domicilium frequentato habitatore floruerit.

Apud Surium menſe Iulio. Pratt. ſpiritual. ca. 195.

Omni fide digna eſt hiſtoria, quam de Sineſio Cirenes Epiſcopo, & Euagrio philoſopho Sophronius memorię mandauit ex Leontio. Cum aſſiduè Sineſius Euagrium conaretur ad Religionem traducere, iſq; obijceret doctrinam Chriſtianorū de reſurrectione corporum, deq; mercede bonorum operum, maximè centuplo pro eleemoſina poſt hanc vitam recipiendo, ſibi non poſſe non fabuloſum videri, tandem tamen Epiſcopus nihil diligentiæ prætermittens ei perſuaſit Chriſtianum fieri, & cum liberis baptizari. Cæterum non multo poſtquam baptizatus, dedit Epiſcopo auri tria centenaria in vſum pauperum, dicens, accipe aurum iſtud, & diſtribue illud pauperibus, & fac mihi cautionem manu tua, quòd Chriſtus mihi ipſum reddet in futuro ſeculo: qui ſuſcepto auro promptè illi cautionem fecit, vt petebat, Vixit itaque poſt baptiſmum annos aliquot philoſophus ac tandē infirmatus eſt ad mortem; cum verò morti proximus eſſet dixit filijs ſuis; quando curabitis funus meum cartam iſtam in manibus meis ponite, & me cū illa ſepelite. Mortuo autem illo, fecerunt filij ſicut eis ipſe præceperat, ſepelieruntque eum cum chirographo. Tertia poſt ſepultu-

ram

ram die, apparuit Epiſcopo Sineſio nocte quieſcenti, dicens, veni ad Sepulcrum vbi iaceo, & accipe chirographum tuum, accepi enim debitum, & ſatisfactum mihi eſt, atque vt certior rei fias propria mea ſubſcripſi manu, ignorabat enim Epiſcopus quòd chirographum illud conſepeliſſent: Mane facto, accerſitis filijs eius dixit, num aliquid cum patre veſtro in monumento poſuiſtis? illi putantes quòd eos de pecunijs interrogaret, dixerunt ei, nihil domine præter pannos conſuetos, quid igitur, nunquid vel cartam conſepeliſtis ei aliquam? tunc recordati filij dixerunt ei, ita ſanè Domine, cartam enim quandam moriens dedit nobis, & ait, quando ſepelietis me, cartam iſtam in manibus meis date, nullo penitus ſciente. Tunc dixit illis Epiſcopus ſomnium, quod nocte illa viderat, ſumenſque illos cum Clericis, ac primarijs Ciuitatis acceſſit ad Philoſophi tumulum, quo aperto inuenerunt iacentem Philoſophum, cartamque manu Epiſcopi ſcriptam ſuis manibus tenentem: accipientes autem cartam ex eius manibus aperuerunt, inueneruntq; in ea nouiter manu Philoſophi ſubſcriptum ita. Ego Euagrius Philoſophus tibi Santiſs. D. Sineſio Epiſcopo Salutem. accepi debitum in his litteris manu tua conſcriptũ, ſatisfactumq; mihi eſt & nullum contra te habeo ius propter aurum, quod dedi tibi, & per te Chriſto Deo, & Saluatori noſtro. Idem narrat Hugo Eterianus.

Abbas Menas narrabat, audiſſe ſe Elogium Alexandrinum Patriarcham dicentem. Cum profectus eſſem Conſtantinopolim, fui in contubernio apud Dominum Gregorium Romanum Archidiaconum ſingularem virum, qui narrauit mihi de Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Leone Romano Pontifice, dicens, haberi ſcriptum in Eccleſia Romana, quod cum ſcripſiſſet Epiſtolam ad Sanctum Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum contra impios Eutichem, & Neſtorium poſuerit eam ſuper tumulum Principis Apoſtolorum Petri, & orationibus, ac vigilijs, & ieiunijs vacans orauit ipſum ſummum Apoſtolum, dicens, ſi quid, vt homo, vel minus caute poſui, tu cui à Domino Saluatore Noſtro Ieſu Chriſto, & Eccleſia, & hæc ſedes commiſſa eſt, emenda. Poſt quatuor verò dies apparuit ei Apoſtolus, & dixit, legi, & emendaui, ſumenſq; Epiſtolam de Sepulcro B. Petri, aperuit eam, & inuenit Apoſtolica manu emendatam. Idem cap. 148. Lib. de regreſſu animarum ab inferis. ca. 16.

Theodorus Sanctiſſimus Epiſcopus Dornæ, quæ eſt in Lybia narrauit nobis dicens. Cum eſſem cubiculatius Sancti Papæ Eulogij vidi in ſomnis virum Religioſi habitus, ſtatura procerum dicentem mihi, nuntia Eulogio aduentum meum, ad quem ego, quis es

tu,qui iubes,vt nuntiem? Reſp.ille,Ego ſum Leo Romanus Pontifex: ingreſſus ergo,ego nuntiaui dicens,Sanctiſſimus,& Beatiſſimus Papa Leo Romanæ ſedis Antiſtes conuenire vos vult,cum retuliſſet hoc,Papa Eulogius exurgens concitus occurrit illi ſalutāteſq; ſe inuicem,oratione facta conſederunt;tunc verò Dominus, & Eximius Leo dixit Sancto Eulogio: Scitis quare huc venerim ad vos? Reſp.ille,non; ait ipſe:veni,vt vobis gratias agerem,quia ritè, & magnificè pro mea Epiſtola Reſpondiſtis, quam ſcriptam miſi ad fratrem meum Flauianum Conſtantinopolitanum Patriarcham,ſenſum quidem, & ſententiam meam aperientem, hæreticorum autem ora obſtruentem: Scito autem frater, quia non mihi tantum veſtrum diuinum laborem,ſtudiumq; contuliſtis,ſed etiam ſupremo culminis Apoſtolorum Petro,& ipſi præ omnibus, quæ à nobis prædicatur veritati, qui eſt Chriſtus Deus noſter, iſta non ſemel tantum, ſed bis terq; conſpiciens trina apparitione firmatus enarraui Sancto Papæ Eulogio.

Circa Annum 587. Guntrammo Regi de Chilperico peſſimo Francorum Tyranno viſio huiuſmodi fuit oſtenſa, quam ipſemet Rex apud Gregorium Turonenſem ſic narrat. Vidi,& ego aliam uiſionem, quæ huius interitum nuntiauit: Adducebatur enim in conſpectu meo à tribus Epiſcopis vinctus catenis, quorum vnus Tetricus,alius Agricola, tertius vero Nicetius Lugdunenſis erat, ex quibus dicebant duo ſoluite quæſo eum, & caſtigatum abire permittite, quibus è contrario cum amaritudine tertius Epiſcopus reſpondebat: non fiet ita, ſed igne cremabitur pro ſceleribus ſuis,& cum diu,multumq; quaſi altercantes hæc inter ſe verba facerent, conſpicio eminus Aeneum ſuper ignem poſitum feruere vehementer. Tunc me flente, apprehenſum infælicem Chilpericum confractis membris proijciunt in Aeneum,nec mora inter vndarum vapores ita diſſolutus, ac liquefactus eſt, vt nullum ex eo penitus indicium remaneret.

Lib.8. hiſt. Frāc.ca.5.

Anno 600.Beatiſſimus Gregor.I.Romanus Pontifex,& Eccleſiæ doctor refert ſequentia de B. Muſa, quòd quadam nocte ei per viſionem Beata Dei Genitrix Virgo Maria apparuit, atque coæuas ei in albis veſtibus puellas oſtendit,quibus illa cum admiſceri appeteret, ſed ſe illis iungere non auderet, Beatæ Mariæ Virginis eſt voce requiſita, an velit cum eis eſſe, atque in eius obſequio viuere, cui cum puella eadem diceret, volo, ab ea protinus mandatum accepit,vt nihil vltra leue,& puellare ageret,& à riſu,& iocis ſe abſtineret,ſciens per omnia,quòd inter eaſdem Virgines,quas viderat,ad eius obſequium die trigeſimo veniret, quibus viſis in cunctis

Lib.4. dialogorum. cap. 17.

ſuis

ſuis moribus puella mutata eſt, omnemq; a ſe leuitatem puellaris vitæ magna grauitatis deterſit manu: cumque eam parentes eius mutatam eſſe mirarentur, requiſita, rem retulit, quid ſibi Beata Dei Genitrix iuſſerit, vel qua die itura eſſet ad obſequium eius indicauit. Tunc poſt vigeſimum quintum diem febre correpta eſt, die autem trigeſimo, cum hora eius exitus appropinquaſſet, eandẽ B. Dei Genitricem cum puellis, quas per viſionem viderat ad ſe venire conſpexit, cui etiam ſe vocanti reſpondere cœpit, & depræſſis reuerenter oculis aperta voce clamare. Ecce Domina venio, in qua etiam voce ſpiritum reddidit.

Hugo Aeterianus narrat de anima Domini vnius balnei, qui pro ſuis culpis poſt mortem Thermarum caloribus deputatus, eodem in loco iuſſus lauaturis ſedulo miniſtrare, quam operam cum Centumcellenſi Præsbytero non ſemel præſtitiſſet, Presbyter ei charitatis cauſa duas oblationum coronas detulit, ſed ille mærens, afflictusque reſpondit, mihi iſta quare das pater? iſte panis ſanctus eſt, ego hunc manducare non poſſum, ego etenim, quem vides huius loci Dominus aliquando fui, ſed pro culpis meis hic poſt mortem deputatus ſum, ſi autem mihi præſtare vis opem, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis meis interuenias, & tunc te exauditum eſſe cognoſce, cum huc ad lauandum veneris, & me minime repereris; quibus dictis diſparuit, & is qui homo eſſe videbatur, euaneſcendo innotuit, quia ſpiritus fuit. lib. de regreſſu animarum ca. 14.

Anno 1139. Alphonſus Luſitaniæ Rex, commiſſurus prælium contra quinque Saracenorum Reges, iuſſus eſt in ſomnis à Chriſto, bono eſſe animo, & ſigno vti in prælio, cui quinque vulnerum imago inſcripta eſt. obtinuit victoriam memorabilem, & hinc fluxit Luſitaniæ Regnum inſigne. Decimoquarto poſt anno Alphonſus Rex Caſtellæ Baezam obſidebat, ei apparens B. Iſidorus author fuit prælij committendi, nec ferè alia victoria contigit illuſtrior. Marian. lib. 10. cap. 17. apud Lipſ. tom. 6.

Admiratione digniſſimũ eſt quod narrat Conſtantinus Epiſcopus oculatus teſtis de tranſlatione Reliquiarum ſanctæ Euphemiæ Martyris, præſtrictum ſplendorem miraculorum Leonem Iſauricum clam ſuſtuliſſe Martyris Reliquias, & earum loco oſſa arida impoſuiſſe, veras autem Reliquias cum loculo in mare proieciſſe, Incidere Nautæ quidam in loculum rei ignari, ac putantes Theſaurum aliquem in eo repoſitum, ſuſcepere, & aperuere, & mirifice, qui inde exhalabat odore perfuſi, cognouere ſacras eſſe Reliquias; Cumque hærerent ignari cuiuſnam forent, eadem noctẽ

vide-

viderunt lumina,& cereos,viroſq; mire candicantes,Deumq; laudantes. Cumq; appuliſſent Leunum,& Somno ſe dediſſent, viderunt inquiete Glyceriam Martyrem occurrere Euphemię Virgini, amplecti illam, & oſculari, & aduentum gratulari, ex eo cognouerunt cuius eſſent Reliquiæ illę. Ter inde ſoluentes. Ter ventis reflantibus eodem reiecti ſunt. Denique Euphemia aſtitit illis in ſomnis,& quæ foret edocuit, ac ſe ibi velle ſubſiſtere dixit, ex quo fuerat ab impio Leone in mare proiecta.

Anno 800. eò Raymirus Rex Hiſpaniæ fortiſſimè totum diem cum Saracenorum maxima multitudine pugnauit. Sub nocte cũ exigua ſuorum manu in collem quendam ſe recepit. Regi vigilanti,& Deum precanti B.Iacobus adſtitit, iuſſitque omnes confeſſione luſtrari,& ſumpta Euchariſtia prælium conſerere. Mane, cum omnes obtemperaſſent ad vnum monitis Diui, ſigna contulere, hoſtium ſexaginta millia trucidauere. Viſus in eo prælio Apoſtolus albo vectus equo vexillum geſtans niueum, quod rubra crux tranſuerſa diſtinguebat. Authores ſunt Rodericus *a* Epiſcopus,& Mariana. *b*

Anno 1117. Cum plurimis prodigijs inter cætera trepidaret Italia. Cremonæ quidam infantulus in cunis iacens, pannis obſitus, in primam loquendi vocem contra naturam os aperuit, matremque ſuam fratri ſuo maiori eſcas parantem, qui plorando panem petierat,à corporis curis compeſcuit, aſſerens ſibi uiſam Dei Genitricem Mariam ante Tribunal Chriſti ſtantem,inſtantiſſimisque precibus pro iudicio,quod mundo propter peccata ſua intẽderat, ipſi ſupplicantem, ac poſt hæc depoſuit eloquium vſque ad tempus humanæ conditionis congruum: verba ſunt Dodechini in hiſtoria.

Narrat hæc ſequentia Fulgoſius *c* Cum Vdo Magdeburgenſis Epiſcopus, ne ſignis quidem, ac Diuinis vocibus commonitus ab impudicitia ſe temperaret,viri Religioſi Deum, vt Epiſcopum aut corrigeret, aut tolleret rogauerunt. Inter eos, cum nocte in Cathedrali Eccleſia Sancti Mauritij Fridericus Canonicus huiuſmodi precibus operam daret,vehementioris venti afflatu,omnia, quæ in Templo erant lumina extingui perſpexit, nec multo poſt duos Iuuenes venire, duo candelabra accenſis cereis ferentes, & Chriſtum cum Matre eius,& Apoſtolis ſubſequi, à quibus cum eſſent vocati Sancti homines, quorum corpora in Templo quieſcebant,viſus eſt inter eos Mauritius venire, qui longa, atque graui oratione Vdonem Epiſcopum accuſauit, quem haud multo poſt Chriſtus nudum adferri à duobus iuſſit,atque damnauit. Is, cum pu-

a Cronicũ generale Alphonſi Regis.
b lib.7.c.25.
c lib.9.exẽplorũ. c.p.12.& Ioan. Naucler.2.p.ſ gener. 34.

pugno ab ipſorum altero, qui eum portauerunt grauiter in medijs renibus percuſſus eſſet, Chriſtianā hoſtiam, quam in communione eius diei pridie ſumpſerat, reuomuit in calicem, qui altari impoſitus fuit, atque ſecuri percuſſo Vdone, rerum illarum omnium viſio euanuit: quare vehementer territus Fridericus, cum ad altare acceſſiſſet, calicemque in eo eſſe cum Chriſtiana hoſtia inſpexiſſet, & ſimul Epiſcopum mortuum humi iacentem, alios Religioſos viros excitauit, qui ablatum inde Epiſcopi corpus in agro ſepelierunt.

Cnm duo locupletes Mercatores non ignobiles, per Taurinos ſaltus in Galiam proficiſcerentur, ampliorem humana ſpecie virum obuium habuernnt, & ab illo mandatum in hæc verba ſuſceperunt. Ludouicum Sfortiam fratrem meum alloquimini, & has litteras illi nomine meo date; obſtupentibus illis, & percunctantibus quiſnam eſſet: ſe Galeatium Sfortiam eſſe reſpondit, & mox ab oculis eorum euanuit. Illi Mediolanum properè redierunt, inde Vigleuanum vbi Maurus degebat. Litteras Ducis offerunt, quarum hoc argumentum erat.

O', ò, ò Ludouice caue tibi, quoniam Veneti, Gallique tuam in perniciem coituri ſunt, tuamq; à ſtirpe rem euerſuri, verùm ſi mihi tria millia aureorum dederis, dabo operam, vt conciliatis ſpiritibus, ſiniſtra fata auertantur, idque conſequuturum ſpero, ſi mihi aduerſatus non fueris. Vale. Subſcriptio hæc erat. Galeatij fratris tui ſpiritus.

Illud ipſum licèt alij, vt commentum irriderent, non tamē multo poſt Princeps à Ludouico XII. Gallorum Rege Principatu deiectus, & captiuus abductus eſt. Hoc teſtatur oculatus teſtis Barnardus Arlunus.

Ludouici Alodiſij pater Imolæ Dominus haud diu poſtquā deceſſerat, homini à ſecretis, quem filius Ludouicus Ferrariam mittebat, in itinere venanti ſimilis equo inſidens cū accipitre apparuit, huicque, vt filium in hunc locum ipſum poſtera die venire iuberet, præcepit, quoniam magni momenti res ei prædicturus erat. Ea re audita Ludouicus, tum quia non credebat, tum quòd inſidias vere batur, alium pro ſe miſſit, ei illa ipſa vmbra, quæ ante apparuerat obuiam facta, vehementer indoluit, quòd filius non veniſſet, longè enim plura ei dicturum ſe fuiſſe affirmabat, ſed tunc illud tantum referri iuſſit, quòd tranſacto 22. anno, ac præterea vno menſe, die quoque ſpecificè addito, vrbis imperium, quod obtinebat, eſſet amiſſurus, cum tempus, quod vmbra prædixit aduenit, adhibita magna cura, ea ipſa nocte, quam patris manes ſuſpectā facerant, Hiſt. Mediol.

Du-

Ducis Philippi Mediolanenſis confæderati milites ad muros pene trarunt,adhibitisque.ſcalis,glacie magna conſtrictis foſſis,vrbem cum ipſo Principe cæperunt. Hæc Sabellicus.

Franciſcus Guicciardinus narrat fama vulgatum ſpiritum Ferdinandi Regis Neapolitani Iacobo Chirurgo filij Alphonſi Regis ter diuerſis noctibus apparuiſſe, & prima vice manſuetis, ac mitibus verbis,poſteris verò minabundè,& increpanter imperaſſe;ſuis Alphonſo verbis denuntiaret,non eſſe, cur vana ſpe ſeipſum lactaret, vires Francorum ſuſtinendi. Statutum enim, ac definitum fatali lege,ſtirpem Aragoniam infinitis caſibus iactari,& tandem regno priuari.

Cæſar Baronius, de Michaele Mercato ſeniore teſtatur, ei cum Marſilio Ficino ſummam interceſſiſſe amicitiam ſtudiorum conſuetudine,& Platonicæ Sectæ vinculis ſtrictius colligatam:accidiſſe autem aliquando,vt ex more, quidnam poſt obitum ſuperſit homini ex eiuſdem Platonis ſententia, ſed non ſine tamen trepidatione deducerent,quæ labantia,fidei Chriſtianæ Sacramentis fulcienda eſſent, eo enim argumento extat eiuſdem Marſilij ad ipſum Michaelem Mercatum erudita quidem epiſtola, de animi, & Dei immortalitate; cum verò inter differendum eorum progreſſa longius fuiſſet diſputatio, eam ad calcem perductam, eo clauſerunt corollario,vt iuncta ſimul dextra pacti fuerint,vter eorum ex hac vita prior decederet (ſi liceret) alterum dealterius vitæ ſtatu redderet certiorem,quibus inter ſe conuentis,ambo iurati abinuicem diſceſſere. Interlapſo autem haud breui temporis ſpatio, euenit,vt cum ſummo mane idem Michael ſenior in philoſophicis ſpeculationibus vigilaret,ex inopinato ſtrepitum velociter currẽtis equi,eiuſdemque ad oſtium domus curſum ſiſtentis audiret,vocemq; ſimul Marſilij clamantis,O Michael, ò Michael vera, vera ſunt illa,ad vocẽ animi Michael admiratus, ſurgens, feneſtramq; aperiens, quem audierat vidit poſt terga ad curſum iterum acto equo candido,candidatum proſequutus eſt eum voce, Marſilium, Marſilium inuocans,proſequutus eſt oculis,ſed ab eis euanuit, ſic ipſe noui actus ſtupore affectus, quid de Marſilio eſſet ſollicitus perquirendum curauit (degebat ille Florentiæ, vbi obijt) inuenitq; eundem illa ipſa hora defunctum, qua eo modo auditus, & viſus eſt ſibi. ſic ſcribit Bartholomæus.

Annal. Tom.5.anno 412. Cum annis ab hinc paucis, admirando illo opere Alexander Farneſius Antuerpiam obſideret,Batáui,Angliq; vt obſeſſis opem ferent, & obſeſſi eodem tempore, vt hoſtem arcerent à ſe, facta eruptione acerrimè pugnabant, aggeremq; iam Regio militi

erep-

ereptum poſſidebant ſecuri, vt ſibi videbantur, tum à Regijs militibus primo paucioribus conſpectus eſt prope aggerem Petrus de Paz hiſpanus Tribunus vir, & militaribus, & pietatis ornamentis laudatiſſimus, qui iam menſibus aliquot ante erat defunctus: viſus hic armatus, vt ſolebat legionem præcedere, & ſuis quondam militibus manu aduocatis, imperabat, vt ſe ſequerentur. Inclinant primi ſecundis, hi tertijs, hi ſequentibus, vident omnes idem, mirantur, animiſque reſumptis, notum ſequuntur ducem: præit ille, & recta in hoſtem ducit, fit pugna, ſed Batauí in naues compulſi, aggerem regijs reliquere. Hoc momento oppidum munitiſſimum ſpe victoriæ, & ſeſe tuendi decidit. Hoc teſtimonio confirmatum eſt multorum militum oculatorum illius temporis.

Horrendum planè, quod legitur accidiſſe non longe Papia menſe Aprili anno 1601. in Diœceſis Ticinenſis oppidulo, quod Corretum uocatur. Cum iuſta in templo cuidam Notario perſoluerentur funeralia repente è ſandapila ſe cadauer erexit, & conuerſum ad quendam cognatum ſuum, qui funeri intererat, ait illi, propera domum meam, & tibi ſcripta quædam inſtrumenta cape, eaque loco tali pio reſtitue, propter quæ ſuppreſſa ego defunctus, iuxta Dei ſententia incendijs inferni ſum adiudicatus, quo dicto caput vti prius reclinauit. Hoc à Deo permiſſum eſt, vt diſcant mortales, quam graues pœnæ ſcribas huiuſmodi perfidos, piorum legatorum interceptores, maneant,

Anno 1590. ex litteris Peruanis, ſiue Franciſci Bencij, ſiue ſecundum alios Gaſparis Spitilli verbis commemoratur ſequens hiſtoria, præ cæteris ſcitu digna. Agebat in domo præcipuè cuiuſdam Dominæ Adoleſcentula ſexdecim annorum circiter, quæ bello capta, ac baptiſmo tincta, Catharina vocabatur. In ea cum ætate creſcebat libertas, & mores diſſoluti, etiam ſi non raro ab hera reprehenſa caſtigaretur, quæ eò peruenit malitiæ, vt cum perditis quibuſdam clam conſueſceret, nec tamen propterea à confeſſione abſtineret, ſed hoc peccatum labris premeret, ne meretricula perditis moribus haberetur; Hæc igitur Cal. Auguſti 1590. morbo depreſſa ſacerdotem vocauit, cui animi noxas aperiret: ſed id fecit non integrè, vt in eadem ægritudine nouem alijs vicibus recedente ſacerdote præſentibus alijs famulabus contemptim ridebat, hac fermè oratione, aliud quod agerem non erat, quàm vt peccata faterer, adiectis etiam turpibus, & inhoneſtis verbis, quibus offenſæ cæteræ ſingula ad heram referebant, quæ merito Catharinam increpans, tãdem vultu, & voce mutatis amicè rogauit,

quæ nam illa eſſent, quæ patri aperire non vellet. Narrauit illa non difficulter, adiunxitque quoties patrem in morbo vocaſſet, vt ſe purgaret confeſſione, ſtetiſſe ad læuam quendam Aethiopi ſimilem, qui monebat, ne fateretur, quòd ea peccata leuiſſima eſſent, & nullius momenti, & ex illorum confeſſione à patre diſſolutior haberi poſſet, à dextra verò manu apparuiſſe Sanctam Mariam Magdalenam exhortantem, vt quidquid eſſet liberè euomeret: accerſitum itaque rurſum Patrem, Domina de omni eo, quod acciderat inſtruxit, qui modis omnibus tentauit, vt ad integram animæ expiationem induceret, ſed fruſtra, quo enim exhortabatur magis, eò reddebatur obſtinatior, ita vt, nec nomen Ieſu enuntiare vellet. Alio etiam tempore, cum illi ſacram Crucifixi imaginem offerret, vt in eum intueretur, & aio reuolueret Chriſtum pro nobis crucifixum, & in cruce mortuum, ſumma cum indignatione, & animi commotione reſpondit. Iam ſcio, ſed quid vultis faciam? ad quod Domina, vt ad Chriſtum te conuertas, qui commiſſa peccata remittet, ſi fatendo recognoſcas, cui Catharina; obſecro, vt deſinatis iā mihi eſſe moleſtæ, cumq; hera diſceſſiſſet, cœpit amores ſuos, & turpitudinem cantare, durauitq; ad plures dies hæc agendi, & dicendi ratio, donec quadam nocte accerſita cum ancillis hera, hæc in verba prorupit, torqueor, & aio angor plurimum ob violatam confeſſionem, & ab ea hora vſq; ad mediam noctem toto corpore obriguit, vt crederetur mortua, & de humatione, & ſepultura eſſet cogitatio, ſed ad ſe reuerſa, vocatoque Sacerdote, nihil de antiqua fatendi conſuetudine remiſit, tres poſt horas paulò antequā expiraret exhortata aſſeruit, vt apprehenſa manu cruce, & cereo ſacro nomen Ieſu inuocaret, reſpondit, quis eſt ille Ieſus? eum non noui, ac in vltimam partem lecti reflexa, ſedensq; audiebatur cum alio quodam, qui tamen non videbatur, colloqui: ac alia ſerua, quæ eodem in loco ægra decumbebat vehementer Dominam rogauit, vt in diſtinctum cubiculum transferretur, quod vt aiebat, laruas quaſdam atras videbat, quibus admodū terrebatur. Nocte ea, qua Catharina mortua eſt, domus tota tam fœtido, ac putri odore perfuſa eſt, vt neceſſarium fuerit cadauer loco patente exponere. Dominæ etiam frater è cubili brachio extractus eſt. Ancilla quædam in humeris veluti calce percuſſa eſt, pertulitque aliquot dies eius læſionis ſigna: equus manſuetiſſimus alioquin actis in murum calcibus, huc, & illuc diſcurrens tota nocte inſanijt. idē fecerunt & canes multa diſcurſione, & latratu. Humato iam corpore, cum ex Ancillis quædam locum intraſſet, in quo Catharina decubuerat, nemine conſpecto ſenſit in ſe vas quoddam, quod tabula-

bulatis impoſitum erat, iaci, maior præterea pars illius vrbis vidit multo ſtrepitu, & ſonitu huc, & illuc plurimos lateres, & tegulas, etiam ad duo millia paſſuum proijci, non quòd in Palatio vllus ſit later vel tegula, cum vt pleraque huius vrbis ædificia omnia palma tegantur. Ancilla alia ſpectantibus multis pede protracta fuit longiſſimè, etiam ſi quæ traheret, non videretur;

Septimò Octobris, cum quædam ſerua veſtiarium eſſet ingreſſa vt inde veſtem aliquam ſibi ſumeret, vidit Catharinam erigētem ſe ſe in pedes, vt vas quoddam arriperet, fugiente illa tanto impetu vas in murum impulit, vt in mille partes frangeretur. Die ſequenti, veſtiario annexa fuit crucis imago cartacea, quæ vno impetu à muro euulſa, in conſpectu omnium tres in partes diſciſſa eſt. Eodem die cum in horto Domina cænaret, medius later lanci iniectus totam cœnam euertit, cuius filius annorum quatuor eo ipſo tempore clamare cœpit Matercula, Matercula Catharina me præfocat, appenſiſque ad collum SS. Reliquijs, ab ea pœna liberatus fuit. Hæc Dominam coegerunt, vt ædes mutaret, & in conſobrinæ domum ſe reciperet, relictis ancillis quibuſdam ædium cuſtodibus. Decimo dicti menſis, cum ex ancillis aliqua in officinam diſpenſatoris iuiſſet, ſenſit ſe ter à Catharina vocari, quam timore nimio dilapſam cohortatæ ſunt cæteræ, ut inuocato Domini noſtri auxilio, cereoque ſacro accenſo regrederetur aſſumptis duabus, quæ cæteris animoſiores uidebantur ſecurè rediijt, quam defuncta monuit, ut dimiſſis alijs, & cereo abiecto, quòd pœnam inferret, ſola perſiſteret. Emittebat Catharina ex omnibus corporis iuncturis flammas, incredibili cum fœtore, caput cum pedibus ardebat, cincta erat veluti ignita faſcia octo, aut decem digitos lata, quæ in terram vſque protendebatur, videbaturque libidinis, & admiſſæ turpitudinis pœna, & caſtigatio quædam. Viſo hoc ſpectro tremere, ac albeſcere cœpit ſerua, ad quam infœlix defuncta, accede huc, quoties ego te vocaui? reſpondit ſerua penè exanimis, Bone Ieſu, quis non horreat te viſa? quæ cum diceret, in eundem locum deſcendit formoſiſſimus puer albis veſtibus, qui ſeruam hortatus eſt, vt depoſito timore forti eſſet animo, notaretque diligēter, quæ à Catharina acciperet, & in alios diſſeminaret, ac ſimul atque ab hoc loco abſceſſiſſet, confeſſione maculas omnes expiaret. Tum in hæc verba Catharina. Scias inferno me mancipatam, & grauiſſimis me ſubiectam pœnis, quòd cum Sacerdoti aduoluerer, ut peccata faterer, leuiſſima tantum referrem, cuiuſmodi ſunt, quòd garrula eſſem, & loquax, in iram procliuis, & id generis alia, ſilentio uero inuoluerem libidines, & conſuetos cum adoleſcentibus

congreſſus. Tu igitur diſce bene confiteri,& nullum crimen tacere,horumque,vos commoneo,quod ita mihi imperatum eſt cogorque in aliorum exemplum hæc uerbis aperire. Iam pulſus ad ſalutandam Virginem Mariam audiebatur, defuncta mox in angulum quendam ſecedit,& euaneſcit. Angelus uerò(is enim erat Iuuenis ille pulcherrimus)abire ad ſuos famulam iubet,quod & fecit. Placuit hanc omni fide dignam hiſtoriam conteſtatam hic ponere,quia in ea omnes apparitionum ſpecies concurrunt. Angeli; Beatæ Mariæ Magdalenæ: Dæmonis in ſpecie æthiopis; animę dãnatæ in aſſumpto corpore, ut arbitror non ſuo, ſed aereo ad ſui corporis ſpeciem formato.

In Chron. fratrum prædicatorũ in commu fol. 199.

Neapoli circa annum 1370. in conuentu Sancti Dominici,accidit,ut poſt Completorium (ſic refert Fr. Antonius Senenſis) refectionis locum ingrederetur,cui erat illius commiſſa cura,qui mox in ingreſſu uidet illum fratribus circumquaque refertum, & illi erant induti Cappis,& tamquam hora foret collationis faciendę, illum expectarent, ſedebant. Accurrit ille ſine mora ad Priorem, & illud aperit ei. Prior fratrem delirum putat,uel ſomnia narrãtem,attamen dum urgetur,uadit, uidet, & credit: & ille quoque turbatur; rem mox confert cum Monaſterij grauioribus patribus, & prudentioribus,de quorum conſilio ſacras ueſtes ſumit,& ſacrũ Chriſti corpus deferendo,toto conuentu commitante,ſe illuc confert,& ad illum ſermone directo, qui honoratiore loco ſedebat, eos adiurat,ut aperiant,qui nam ſint, & ad quid uenerint, & quid uelint,& ut ad hæc reſpondeant illis præcipit in nomine illius Domini, quem geſtat in manibus. Vt autem, Prior coram eis comparuit cum Venerabili Sacramento, illi omnes aſſurrexerunt quidem,& capita inclinarunt, capucia tamen taliter demittentes, ut eum minime uiderent, & hoc facto iterũ ſederunt, ita iuſſi à Priore,ut reſponderent ad propoſita inclinarunt. Tandem, qui inter eos uidebatur præcipuus reſpondens dixit. Nos fuimus eiuſdem ordinis Religioſi,& pro maiori parte Magiſtri,Priores ſuperiores, Bacalaurei,Lectores,& alijs officijs donati; & quòd omnes damnationis ſententiam acceperant, quoniam ambitio multa, ſuperbia, inuidia, & alia huius generis uitia eos fecerant damnatione dignos,ſed quòd Diuina permittente Clementia iuſſi fuerant illuc uenire,ut eos,& uniuerſos ordinis cultores commonefacerent, ut ſuæ uocationi facerent ſatis. Nam illi, quia id minimè præſtiterant,omnes damnati erãt, & flammis cremabantur æternis, & in ſignum huius ueritatis, cuncti in eos aſpicerent, & hoc dicto omnes illi Cappas aperuerunt, & ſinguli eorum flammis circũcincti,

&

& incenſi viſi fuere; & tunc idem præcipuus manu in menſa ſignũ dedit, & ſic illa viſio euanuit, & totus Conuentus manſit timore conſternatus.

Huic rei probandæ aliud teſtimonium, non minoris fidei obiter adſcribam. Anno 1599. Neapoli Frater Tiberius homo Sanctimoniæ laude præſtantiſſimus, qui ſæpius hoc ſanctitatis titulo fuit ſuperior, ſibi coram rem ita narrauit accidiſſe. Cum quadam die ſub noctem Frater Tiberius inuiſeret Fratres, an in lecto de more accubuiſſent, tranſiuit per Refectorium, vbi uidit pleraque lumina, & vocem audiuit hominis de ſuperiore loco legentis: Vidit plerosque miniſtrantes: tandem, qui ſuperioris locum tenebat, facto ſuper mẽſam ſigno, ſic loquutus eſt. Ambitio, & crapula duxerunt nos ad Tartara; & nunc etiam ſupereſt uelut cicatrix in menſa, perinde ac ſi igne tacta eſſet.

Petrus Cluniacenſis hęc refert. Tempore, quo Rex Aragonenſis Alphonſus Regnum maioris Alphonſi Hiſpaniarum Regis iam mortui obtinebat, contigit, vt contra quoſdam, qui in regione, quæ Caſtella dicitur ei repugnabant, exercitum commoueret, & vt de ſingulis Regni ſui domibus, ſinguli illuc pedites, vel equites dirigerentur, edicto ſanciret. Ego edicto coactus vnum ex mercenarijs mercede mihi ſeruientibus, Sancium nomine, ad exercitũ deſtinaui; paucis poſt diebus decurſis, omnibusq; qui expeditioni interfuerunt ad propria redeuntibus, ipſe quoque domum reuerſus eſt; non longo deinde tempore elapſo more humano, morbo correptus nec diu cum morbo luctatus, defunctus eſt, inde poſt quatuor ferè menſes, ex quo è vita deceſſit, dum apud Stellam in domo mea hyemali tempore iuxta ignem in lecto iacerem, ſubito iam dictus Sancius circa mediam noctem mihi adhuc vigilanti apparuit, qui igni aſſidens, & carbones quaſi ad calefaciendum, vel ad clarificandum huc illucque reuerſans, multo magis ſe mihi demonſtrabat cognoſcibilem, erat autem nudus, & abſque omni veſtitu, excepto paruo, viliq; tegumento, quo velut inhoneſtiora corporis obuelabat, quem cum vidiſſem; quis inquam, es tu? at ille humili voce, Ego ſum, ait, Sancius famulus tuus. Quid, inquã, hic agis? vado, ait, Caſtellam, iterque meum multus exercitus comitatur, vt vbi deliquimus, ibi, & delicti debitas pœnas exoluamus: & cur, inquam, huc diuertiſti; eſt, ait, mihi ſpes veniæ, & ſi miſereri volueris, celeriorem mihi requiem comparare poteris. Quo modo? quando, ait, nuper expeditioni, quam noſti, interfui, hoſtili inuitatus licentia, Eccleſiam quandam cum quibuſdam ſocijs inuaſi, quę intus ſunt inuenta diripui, veſtimenta inſuper Sacerdo-

Lib. 1. miracul. cap. 28.

talia mecum rediens aſportaui,pro quo ſpecialiter diris pœnis ſubactus affligor,& remedium à te,ſicut à Domino meo quantis poſſum precibus,expoſtulo,nam poteris mihi ſubuenire, ſi beneficijs ſpiritualibus me ſtudueris adiuuare, rogo inſuper, vt Dominam meam vxorem tuam ex parte mea,vice functus mea depręceris,ne octo ſolidos,quos pro ſeruitio meo mercenario iure mihi debebat, reddere iam moretur,& quod neceſſitatibus carnis, ſi adhuc viuerem reddidiſſet, animæ meæ longè amplius his egenti, erogando eos pauperibus,largiatur. Iam ego tali colloqutione magis animatus, quid, inquam, de Conciue noſtro Petro Deioca nuper defuncto actum eſt?rogo,ſi quid de illo noſti,aperias.Illum,ait,opera miſericordiæ frequenter quidem, ſed maximè præteritæ famis tempore impenſa pauperibus beatorum requiei adiunxerunt, & vitæ æternæ participem effecerunt. Cumque eum tam promptè, & facilè mihi reſpondere audiſſem,ſubiunxi. Et de Bernecio alio Ciue noſtro ante paruum tempus ſimiliter,vt noſti,defuncto, aliquid ne tibi notum eſt? Illum,reſpon. Infernus poſſidet, quia ad terminandas huius villæ lites,& iudicio dirimendas prælatus,multa ſæpe muneribus,aut gratia illectus iniuſtè iudicauit: & quia cuidam pauperi Viduæ quodam tempore baconem vnum qualecunque vitæ eius ſubſidium crudeliter auferre,non timuit. Tunc longè amplius ad maiora quærenda animi feruore ſuccenſus adiunxi. De Rege noſtro Alphonſo ante paucos annos defuncto, tibi ne aliquid notum eſſe potuit? ad hæc quidam alius in feneſtra capiti meo proximè ſuppoſita reſidens;noli ait,hoc ab iſto quærere, quod ignorat,quoniam recens eius ad partes noſtras aduẽtus hoc notum fieri nondum permiſit: mihi verò,cui à die obitus mei quinquennalis cum huiuſmodi ſpiritibus mora, plura quam iſti nouiter nota fecit. Quod de Rege quæris ignotum eſſe non potuit; ac ego rurſus nouæ vocis auditu attonitus, ac videre cupiens authorem,conuerti oculos ad feneſtram,adiutuſque lunę ſplendore,quę lumine ſuo omne tunc domus ſpatium clarè illuſtrabat, conſpicio hominem in inferiori feneſtrę margine reſidentem, quem in eodẽ habitu, quo alium videram, cernens; & tu inquam,quis es? Ego, ait,eius,quem aſpicis ſocius ſum,& Caſtellam cum iſto, & multis alijs proficiſcor; Et tu,inquam de Rege Alphonſo vti dicebas aliquid noſti? noui,ait,vbi fuerit,ſed verò vbi modo ſit neſcio. Nam aliquandiu tormentis acribus inter reos cruciatus, poſtmodum à Cluniaceſibus Monachis inde ſublatus eſt, exinde verò de eo quid factum ſit prorſus ignoro. His dictis, ad Socium, qui igni aſſidebat verba conuertens,ait,Surge,& iam iter inceptum peragere incipia-

cipiamus, ecce enim iam omnes vias, quę intra, vel extra Caſtellā ſunt ſubſequens nos exercitus ſociorum impleuit, & iam multis velociſſimè prætergreſſis, vt feſtinanter eos ſequi debeamus vrgemur. Ad hanc vocem Sancius ſurrexit, & flebili voce quod prius rogauerat ingeminans; rogo ait Domine, ne mei obliuiſcaris, & vt Dominam meam coniugem tuam, quatenus quod corpori debebat miſeræ animæ meæ reſtituat, oro ſollicitè exhorteris. His dictis ſtatim vterque diſparuit. At ego mox Coniugem iuxta me in lecto dormientem citata voce exſuſcitans, priuſquam ei, quod videram, vel audieram narrarem, interrogaui vtrum aliquid Sancio communi noſtro mercenario pro mercede deberet, qua reſpōdente, quod ego nondum ab aliquo niſi à mortuo audieram, ſe videlicet, eidem Sancio adhuc octo ſolidos debere, nequaquam vltra dubitare potui, cui fidem, & mortui relatio, & mulieris confirmatio conferebant. Facto mane, octo illos ſolidos à Coniuge accipiens, & de meo quod congruum viſum eſt addens, pro eius, qui apparuerat ſalute pauperibus diſtribui, & ſacrarum miſſarum adiutoria ei à Sacerdotibus mea prece, ac ſtudio impenſa ad pleniorem peccatorum eius remiſſionem adiunxi.

In hac tam clara, tam certa, & commendabili viſione, docemur, quod mortuos opera ſua ſequantur.

De Dæmonum apparitionibus, ſiue ſpectris. Cap. XIX.

Doctrina.

BOnorum, malorumq; ſpiritum apparitio non eſt difficilis cognitu, nam ſi in apparitione poſt timorē ſuccedit gaudium, boni ſpiritus eſt apparitio: ſi autem incuſſus timor perſeuerat, ſpiritus malus eſt qui videtur; de hac autem cognitione paulo diffuſius agetur in ſecundo lib. cap. de reuelationibus, &c. Apparitiones Angelorum à beatorum hominum apparitionibus aliquibus cognoſcuntur, iuxta ſententiam quorundam eruditorum aſſerentium humanas animas, quæ iam beatæ ſunt lœtiore vultu apparere, quę verò adhuc igne purgatorij expiantur, nubilo, ac triſtiore vultu uideri, hoc uidetur ſatis probabile. Addunt, ſic, Angelicas apparitiones ab humanis diſcerni, dicentes tunc humanas eſſe animas, ſi ſe barbatos, ſenes, uel pueros, uel fœminas exhibeant, aut mœſto habitū, quia nihil horum Angelos decet; Inſuper,

per,ſi quæ humanam cognitionem ſuperant, prædicant, aut docent,ſi preces,uel quid aliud ſubſidij poſtulant,animæ ſunt: Verũ hæ ſunt incertæ notæ,nam in uitis patrum habetur ſcriptum, Angelum Anachoretæ iudiciorum Dei inſcrutabilem abyſſum intelligere deſideranti,ſenili facie,& uultu apparuiſſe. Notiſſimum eſt etiam illud,quod de Sancto Auguſtino cogitanti de Trinitate refertur,puerum illi apparuiſſe, qui irrito conatu, concludere nitebatur cochleari omnia maria intra paruam ſcrobem, & hunc Angelum fuiſſe,non eſt dubitandum. D. Laurentius Iuſtinianus affirmat,in faſciculo amoris,ſibi virginem quandam ſole candidiorem apparuiſſe,quæ ſe, ſapientiam Dei eſſe dicebat, quæ propter hominum reformationem,humanam formam ſuſceperat & ab eo in ſponſam recepta,dato pacis oſculo,receſſit, atq; hunc fuiſſe D. Noſtrum Ieſum Chriſtum illi hac forma apparuiſſe volunt illius vitæ ſcriptores; melius tamen cenſerem dicendum fuiſſe Angelum,quia ſi Chriſtus ipſe fœminea in forma apparuit, cur non Angelos eadem in forma conſpiciendos nonnunq; credamus? Hæc igitur,& alia permulta,quæ poſſent adduci ſimilia, ne notis ab illis aſſignatis indubitanter aſſentiar, me retardant, Verum, quia hæc definire affirmatiuè temeritatis eſſet, ſatius eſt cum B. Auguſtino lib. de cura pro mor. cap. 16. vt meam ignorantiam hic fatear, quam temerariè quidquàm iudicem, & definiam, res enim hæc eſt altior, quàm ut à me poſsit attingi, redeamus ad Angelos malos.

cap.5. li.1. cap.16. Peltanus, & Thyreus nobis tradiderunt certiora ſigna ad cognoſcendos malos ſpiritus.Primo, ſi ſignum crucis, nomen Ieſu, Mariæ,vel aliorum ſanctorum,eorumq; reliquias: Agni Dei cereã effigiem,luſtralem aquam, panem, ſalem, cereumuè benedictum, aut alia huiuſmodi ſacramentalia fugiant,aut deteſtẽtur. Si quod ſemel exegerunt præſtitum, ad huc fruſtra rurſus appareant, & ſint importuniores (nam animæ,cum ſatisfeceris, vel nõ redeunt, vel ſemel tantum, vt agant gratias, contra dœmones, cauſas ex cauſis nectunt,inſtar funiculi,vt uel obſideant,aut ſaltem grauiter decipiant) his ergo concurrentibus,diabolus eſt. Secundo, ſi, ſe dicat animam eſſe alicuius damnati, mentitur, & diabolus eſt, vt plurimum,quia ferè nunquam damnatorum animæ permittuntur egredi. Tertio,ſi appoſuit apparitioni cauſam falſam,vel malã, V. g. ſi dicit, ſe apparere coactum vi coniurationis Magicæ, vel vt reuelet curioſa parum neceſſaria,aut quæ neſciri expediret diabolus eſt. Quarto,ſi aliter eius oratio ſit falſa,ſuperſtitioſa,malè ſuadens, deſperati, ſuperbi, libidinoſi, vindictæ appetentis, aut

aliter

aliter perturbati præferens animi oſtentationem, diabolus eſt. Quinto, ſi appareat forma humana, non formoſa, & benè formata, ſed tetra, deformi, aut vili, vt puta, canis, ſerpentis, ſuis, draconis, aranei, bufonis, vel ſimilium, vel nigri Aetiopis, diabolus eſt; ſi verò forma humana bona, Angeli, vel beati, vel Dei, tunc conſideranda eſt operatio, ſi ex genere ſuo eſt improba, vt blaſphemiæ, ſuperſtitionis, mendacij, homicidij, luxuriæ &c. vel doloſa ex modo operationis, vt ſi primo congreſſu lætitiam adferat animo, & tranquilitatem, poſtea horrorem, & turbationem, vel deſolationé, vel etiam magno cum fœtore, ſtrepitu, vel clade abeat, diabolus eſt. His ita ſe habentibus, reliquum eſt, vt videamus quotnam ſint genera horum malorum ſpirituum.

Sciendum eſt multa eſſe Dæmonum genera inter ſe certis gradibus diſtantia, Primum Dœmonum genus appellatur igneum, quod circa ſuperiorem ſuperuagatur aerem, nec vnquam ante Iudicij diem ad inferiora demergitur, nec vllum habet cum hominibus in terra commercium.

Secundum genus dicitur aereum, quod in aere errans nobis propinquo commoratur. Hi poſſunt ad Inferiora deſcendere, & aſſumptis corporibus de craſſiore aere quandoque hominibus apparere. Deo permittente ſæpius aera turbant: tonitrua, & tempeſtates concitant, & omnes ſimul in perniciem humani generis cóſpirant.

Tertium genus dicitur terreſtre, & hos de cœlo in terram prolapſos, pro ſuis demeritis minimè dubitamus; ex his autem dæmonibus alij verſantur in ſyluis, atque nemoribus, qui venatoribus ponunt inſidias: alij verò degunt in campis, qui nocte aberrare faciunt itinerantes, nonnulli morantur in locis abditis, & cauernis, reliqui cum hominibus in obſcuro demorari delectantur.

Quartum genus dicitur aquaticum, quoniam ſe humoribus immergens circa fluuios, & lacus inhabitat, ira plenum, turbatum, inquietum; & fraudulentum, quod in mari tempeſtates concitat, nauigia demergit in profundum, & vitam aufert in aquis. Iſti dæmones quando videntur, in ſexu fœmineo frequentius apparent, quam maſculino, eò quòd in locis verſentur humidis, & moliorem vitæ ductum ſequantur, qui verò habitant in locis ſiccioribus, & ſubaridis, vt plurimum in viros ſe transformant.

Quintum genus ſubterraneum dicitur, quod in ſpeluucis, & cauernis montium remotis concauitatibus demoratur. Iſti dæmo-

nes affectione ſunt peſſimi, eoſque inuadunt maximè, qui puteos, & metalla fodiunt, & qui theſauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratiſſimi. Hiatus efficiunt terræ, ventosq; flammiuomos ſuſcitant, & fundamenta ædificiorum cōcutiunt.

Sextum genus appellatur lucifugum, propterea quod lucem maximè horrent, & deteſtantur, quia nec diebus vnquàm apparent, nec alio modo corpus, quàm de nocte poſſunt aſſumere. Hoc genus dæmoniorum imperſcrutabile eſt, ac penitus tenebroſum, paſſionibus frigidis agitatum, malitioſum, inquietum, & perturbatum, quod occurrentes homines violenter comprimit, nocturnis horis, ſæpiusq; Deo permittente aut flatu quoſdam interficit, aut contactu; de hoc genere fuit fortaſſe Aſmodeus, de quo legitur in hiſtoria Tobiæ. Maleficis non conuenit hoc genus dæmonum, neq; carminibus arctari poteſt, quia lucem fugit, & vocem hominum, ſimulque omnem tumultum.

Exempla.

Remig. lib 2. cap. 28.

AVriga quidam Nanceianus, cum forte in Heneo ſaltu eſſet, qui locus parum diſtat ab oppido Nancei, inter lignandum ſæuior inopinata tempeſtas oppreſſit, vt autem ſe ab eius caſu protegeret, tecto alicui feſtinanter ſuccedendum fuit, quod dum facit ſub ea quæ ſe in proximo denſam, latamq; magis oſtendit, arbore, atq; ibi conſiſtit, ex pectans dum ſedatur tempeſtas: ecce ſibi aſtantem ex improuiſo lignatorem alium videt, quem dum attentius conſiderat (vt fit dum in ignotum incidimus) aduertit illi naſum, nunc ſe enormiter in litui morem producentem, nunc in iuſtam priſtinamq; formam momento contrahentem, tum pedes corneos, bifidosq;, ac totam corporis molem extramodum. Primum igitur ingenti pauore deijci, ac pene emori viſus eſt, ac mox, (quod Chriſtiano more in difficultatibus fieri ſolet) ſe ſymbolo, fiduciaq; muniuit, tandem ſe ſolum, vt antea cœpit videre, atq; adeò obſtupefactus extitit, vt quæ illi ante in vrbem Nancei, etiam velatis, vt dici ſolet, oculis, errari non potuiſſet via, tunc ab attentiſſimo etiam, ac diligentiſſimo ignoraretur, in quam quoq; vrbē, ſic lingua hærens, oculis ſtupens, totoq; corpore trepidans appulit, vt quæ acciderant narranti facile fuerit credere, cuius rei fidē non parum auxerunt, quæ lignatores alij eminus à ſe viſa prædicauerunt. Eo enim loci infuſcatus aer, ac denſiore fumo auolutus illis apparuerat.

Huic

Huic ſimile eſt quod idem author refert loco citato, anno 1588 Deſiderij maioris Scutellani dolaria vaſa Nicolaus Stephanus ex conducto emerat, pactamq; mercedem per Iacobetam vxorem (hæc inſignis erat Venefica) ſæpius atq; incaſſum ſibi reddi popoſcerat. Hanc Iacobeta interpellandi prouinciam tandem pertæſa, ac præterea fruſtrari tandiu laboris indignitate non parum commota, hoc ſedulo agebat; quomodo eam tergiuerſationem in deſiderium noxa aliqna animaduerteret, quærebat quam tantū ad id latens aliqua occaſio. Commodum inter hæc iuſſus eſt deſiderius in ſolas terras excedere, quòd eius domum peſtilentia forte inuaſiſſet, habebatq; is ſub agreſti domo ſeorſum familiam, ibi eū ſera iam nocte, cum ſolo filio degentem, dæmon (ſic poſtulante Iacobeta) adoritur ſtrepitu, fremituque adeo horribili, vt cœlum ipſum ſolutis compaginibus in eius domum ruiſſe videretur: neque falſum fuiſſe hunc terrorem, aut à Deſiderio malitioſè excogitatum, dum ſibi placet vanos in vulgus rumores diſſeminare, indicio poſtea fuit quod ipſe cum filio ex eo in talem morbum inciderunt, qui omnium, qui viderunt opinione pro deſperato haberetur.

Colomberij, qui pagus ſex miliaribus à Leucis abeſt, noſtra memoria accidit; in eius extremo vico, qua iter eſt Salſuriam, Ruſticus caſam habebat humilem quidem illam, ſed ſatis pro fortuna lautam, ac nunquàm quòd eſſet auditum ſpectris vllis infamem: occupauit tamen illam dæmon, ſolis primum contentus lapillis domeſticos citra noxam de nocte impetere, ſed vt id ex aſſuetudine ab illis negligi, ac etiam ludibrio haberi vidit, hunc contemptum non ferens, ignem Caſæ profunda iam nocte immiſit, quo ſic momento exarſit, vt fere ſolo tota æquaretur, quę cum illac aliquot poſt dies iter faciens ab accolis audiuiſſem, locum adhuc ruinis deformem ipſe præſens videre volui, quo rem omnem clariorem, teſtatioremque apud alios relinquerem.

Torquemadius vir hiſpanus vernaculum vernacula lingua refert. Salamancæ inquit, Matrona fuit, cuius ædes importunis eiuſmodi lapidationibus infeſtæ vulgo habebantur, eo rumore excitatus vrbis Præfectus periclitari ipſe voluit, vera ne eſſent, quæ de ea re adeò conſtanter prædicabantur, an potius à domeſticis regendæ alicui nequitiæ effingerentur, nam in ijs erant duæ, non illiberalis formæ adoleſcentulæ, cum quibus amatores liberiùs per eam occaſionem congredi velle, atque in hoc omnem iſtam fabulam adornare erat ſuſpicio. Ad illas igitur ædes ea ſe hora Præfectus confert, qua ferebatur frequentiſſima eſſe lapidatio; accur- In Hexamer. Dia. 3.

runt vna populates,non minus viginti, è quibus aliquot dimittit, qui adhibito lumine inueſtigarent, quis nam in ſuperiore domo eſſet,qui ſic domeſticos ſaxis appeteret. Redeunt, peragratis diligenter omnibus latebris, renunciantque omnino reperiſſe ſe nihil,vnde ea timeri deberent. Placuit tamen ad imos ædium,quorum è Cænaculo deuenerant gradus conſiſtere, atque aliqua mora hoc quidquid eſſet amplius probare, & experiri. Ecce autem, vix dum eò loci conſtiterant,cum ingenti tumultu lapides cæpere in agmem deuolui,qui tamen ſingulorum crura innocui præterlaberentur. Denuo igitur mittuntur, qui viderent vnde hic lapidū imber ſeſe tam creber effunderet,ſed & vbique ſolitudo, vt antea reperta eſt,iam à multis conceptam ea de re opinionem non parū confirmauit,videlicet,hæc dæmonum arte,ac præſtigijs omnia fieri,auxitque adeò,quæ non ceſſauit grando eorum capitibus allabi,qui ſe etiam ex illis ædibus præ metu foras eiccerant,ex quibus tandem vnus loci ſecuritate factus iam ferocior,ſublatum, ac diligenter oculis notatum lapidem in aduerſum tectum hoc præfatus proiecit:ſi is à te eſt ò dæmon, eundem mox in me reijce,quod cum illico eſſet factum,licet caſu irrito deſitum eſt amplius dubitari, quomodo res ita ſeſe haberet,vt illam prius in vulgus Matrona ediderat.

Memini anno circiter. 1563.me,cum graſſante Toloſę Peſtilentia in Auſcorum Auguſta eſſem, ac forte apud D. Abelium in eius vrbis Metropolitana Eccleſia ſodalem ludo noctem ducerem, vti tunc ætas erat,atque otium,ab eiuſmodi petulanti Dæmone, omnibus qui tum vnà in eodem atrio inçluſi eramus, exhibitā ſæpius inter ludendum non leuem moleſtiam fuiſſe hinc, illinc temere iactis lapidibus,qui tamen ſine cuiuſquam noxa, atque iniuria, in terram decidebant. Eius atrij foribus peſſulus intus obductus erat,nulla in eo pręter abacum menſam, atque ſedilia ſuppellex, vnde techna vlla oriri,atque inſtrui poſſe crederetur,& hæ quidem ſic ſunt bonorum,malorumque dæmonum in aggrediendis hominibus rationes,odij,terroris,noxæ, & iniuriæ, hactenus Remigius loco ſuperiùs citato.

Io. Nider. lib. vltim. Formicar. Cum propter hæreſes Regnum Bohemiæ tumultu, ac cædibus concuteretur, circa metas Regni præfati, nocturno tempore verſus vallem quandam auditos clamores,& congreſſiones equeſtriū virorum, qui & coloribus varijs induti ſæpius ſunt viſi. Fuerunt tunc duo armigeri audaces ſatis in caſtro non multum diſtanti à loco Spectrorum,qui omnino ſcire volentes,quid veritatis ſibi viſa portenderent; nocte quadam verſus vallem, vbi ſolita videri

con-

conſpexerant,iter arripiunt,antequam autem ijs appropinquare auderent,conpunctus vnus dixit alteri, ſufficiat nobis iſta vidiſſe, ego ijs non approximabo, dictum eſt veterum, cum talibus nullũ debere iocari,quem alter velut pauidum increpans,equum pupugit,& cum eo congreſſu omnibus antedictis exercitibus appropinquauit,de quibus vnus egrediens,caput illi amputauit, & ad ſuos redijt,quo viſo ille,qui timidus ſubſtiterat,fugam inijt, & funeſta noua nunciauit. In craſtino autem truncatus reperitur, & caput quidem in valle vbi acies viſę fuerant, nullius autem hominis, vel equi veſtigium repertum eſt,ſed tãtummodo in lutoſis locis ſigna quædam,& veſtigia auium viſa ſunt.

Addit aliud fide dignum ſibi narratum ab Epiſcopo Maguntino. Nominauit nobis quendam Rheni ſibi notum militem,cuius pro tunc filius viuebat, qui miles ſuper omnes penè inferioris Alemaniæ Nobiles ſemper extiterat nimis in rebus bellicis imperterritus; gerebat autem, & patiebatur nonnunquam propter ſuam animoſitatem,vel fortitudinem ab alijs graues pugnas, propter quas, non ſemper de die ſed nocturno tempore ad loca ſibi commoda equitare ſolebat. Hic igitur quadam nocte,ſumptis ſecum famulis per ſyluam circa Rhenum equitare voluit, & principium eiuſdem intrauit,antequam verò ad finem ſyluæ peruenirent, vltra quam Campus latus erat,pro vt moris eſt eorum, qui verentur inſidias,præmiſſit famulum, vt in termino ſyluæ videret, num in campo inſidiæ aliquę eſſent. Luna ſplendente, vel aſtris relucentibus hęc videri poterant: famulus igitur cum per arborũ ramos exploraret commiſſum, vidit per campi longitudinem exercitum ſatis mirabilem appropinquare in equis,quo viſo conſiderata nunciauit militi,qui ait, ſtemus ad modicum, quia veriſimile eſt pro huius exercitus cuſtodia ſubſequuturos alios, ad hos properabimus,& an inimici ſint,qui præceſſerunt,an amici percunctabimur, nec paucos timebimus. Morula tranſacta, de ſylua miles cum ſuis recedit,in campum venit,& neminem niſi quendam equeſtrem,in equo ſedentem,& ad manum alium ducentem eminus ſequentem ſuos intuitus eſt. Ad hunc cum miles veniſſet,quis eſſet quæſiuit his verbis: nunquid tu Coquus meus es? ita enim ſibi à longinquo videbatur; paulo etiam ante Coquus eiuſdem militis obierat, qui reſp. Sum Domine, cui Miles, quid hic facis? & qui ſunt hi, qui præceſſerunt, cui defunctus. Domine, hi qui præceſſerunt ſunt nobiles,& armigeri tales, & tales (multos enim expreſſit nomine) quos oportet,& me cum eis nocte iſta eſſe Hieroſolymis, quia hæc pœna noſtra eſt,& miles iterum, quid ſibi vult equus iſte,quem du-

cis nullo inſidente? ad veſtrum, ait, obſequium erit, ſi mecum ad Terram ſanctam venire velitis: ſecurus eſto per fidem Chriſtianã recedendo, & reuertendo viuum reducam ſi meis obtemperabitis monitis. Tunc miles ait, diebus meis mira attentaui, his hoc addam etiam mirabile; diſſuadentibus igitur illud famulis, de equo proprio miles deſilijt, defuncti equum aſcendit, & ab oculis famulorum vterque equeſter ſubtractus eſt. Sequenti autem die, famulis iuxta condictum locum expectantibus, miles, & defunctus redierunt ad locum, vbi primum cõuenerant. tunc defunctus militi ait, Ne phantaſma omnino fictũ iſtud fuiſſe credatis, duo vobis do rara, reſeruate in mei memoriam, inde protulit mappã paruam de Salemandra, & cultellum in vagina. Primum, ait, cum immundum fuerit igne purgate; alterum cautè tractetis, quia ab eo vulneratus intoxicatus erit.

Cromerus diligens ſcriptor refert ſequentia. Naclum Arcem Pomarenorum munitiſſimam Vladiſlauus primus Polonorũ Rex obſidebat, ibi nocte lucente Luna aſpiciebantur crebro ab excubatoribus quaſi armatorum hoſtium acies, & apertis campis ad Pollonorum ſtatiua equitantes, & incurſantes, cum id ſæpius accideret, indignati Poloni inquietabantur, ſeu nec vſquam in apertũ certamen prodibant hoſtes, nocte quadam, cum ibidem hoſtes adeſſe nunciaretur, fremebundi agminatim è caſtris ſeſe proripuere, diffugiẽteſq; caſſo labore longius proſequuti ſunt. Obſeſſi tumultu Polonorum audito, & excurſione è caſtris animaduerſa, erumpunt ſubito, & ignem in opera, atq; tuguria militum, ſtramine, arundineq; contecta, conijciunt, quo celeriter pluribus in locis ſe diffundente, paucis, qui in caſtris remanſerant ſe defendẽtibus, facilè opera cum magna caſtrorum parte incenderunt. Nocturnas vmbras illas fuiſſe autumant, quæ hoſtilis exercitus ſpeciem oſtentantes, Polonos ita Diuino permiſſu exagitarunt, propterea quod ſolemne omnibus Chriſtianis quadraginta dierum ieiunium priore expeditione promiſcuo, ac temerario vſu carnis, ac lactariorum, moribus ac inſtitutis Eccleſiæ Catholicæ cõtemptis temerauerant. Huiuſmodi apparitiones permittit qnandoq; Deus propter peccata, vel ad exercitium bonorum, vel ad denunciandam Peſtilentiam, bella, mutationes Regnorum, & ſimilia, ſicuti docent ſequentia.

Nocte, quæ ſeditionem Antiochenorum præceſſit, viſa eſt mulier ingens, & aſpectu formidabili, aerem ſcutica tam fortiter verberans, vt tota ſonus vrbe audiretur.

Gennadio Patriarchæ Conſtantinopolitano nocturno tempore

accedenti ad altare templi, vt Deum pro ſalute publica deprecaretur, horrendum ſpectrum ſe obtulit quod cum ille ſacro ritu cõiuraſſet. Reſpon. quandiũ Gennadius viueret ſibi non licere damna, quæ imminebant Eccleſiæ illius inferre, ſed eo mortuo, ſæuiſſimè ſe in illam graſſaturum.

Cãbades Rex Perſarum, cum intellexiſſet in Collimitio Perſiæ, & Indiæ in munitiſſima Arcæ Zudaderenſi prętioſiſſimorum lapidum, auri, & argenti theſaurum maximum à Dęmonibus aſſeruari, qui mortales omnes aditu arcerent, eò cum exercitu profectus Caſtrum vi conatus occupare, fortiter propugnantibus Dæmonibus, repulſus fuit, confugit ergo ad Iudæorum, & Magorum artes, quæ & ipſæ irritæ fuerunt. Ergo cum ei perſuaſum fuiſſet, *a* Chriſtianorum ad Deum precibus hoc potiri poſſe, auxilium à quodã Chriſtianorum in Perſide degentium Epiſcopo, petijt. Is indicto Chriſtianis ieiunio, precibus, & Synaxi Diuina peregit myſteria, & ad locum accedens coniuratos Dęmones ibi degentes exegit, Caſtrumque Cambadæ nullo labore potiendum tradidit. Talis erat Dęmon illæ Baſilienſis, de quo ſupra actum eſt.

a Cedrenus in Anaſtaſio

Glicas pagin. 4. annal. & Cedren. vbi ſupra.

Phlegon lib. demirabilibus, & longenis.

Filinium, Demonſtrati hoſpitis, & Charitus matris, filia, Machatem hoſpitem amare cœpit: indignè id ferentibus parentibus, mœrore mortua, & publicè fuit tumulata. Sextò poſt obitum menſe, cum eò reuerſus fuiſſet Machates, ingreſſa ad illum Filiniũ, hoſpiti ſe poſt longa colloquia commiſcuit, non ſemel illo veſperi, quo, & cum eo cœnam ſumpſit, & annulum ferreum, & poculũ inauratum a Machate dono accepit, ipſi viciſſim, annulum aureũ, & faſciam pectoralem dedit. Nutrix, dum pergit ſedula, ne quid hoſpiti deſit, ſatagere, videt cum eo in lecto iacentem alumnam, læta parentibus id annunciat, illi ſtupentes accurrunt, & altero die vtrumque deprehendunt, & cum eiulatu, dormientem cum hoſpite filiam amplectuntur. Sed toruis in eos intuens Filinium oculis; O vos crudeles, ait in filiam parentes, ergo ne vos inuidiſſe mihi meo Machata paterna in domo, vel triduum ſolidum fui? magno vobis dolore hæc, ſiue curioſitas, ſiue duritia ſtabit, renouabitis dolores præteritos, & filiam iterato ſepelietis; his dictis expalluit, & concidit cadauer mortuo iterum ſimile, ſeu potius, vt erat. mortuum. concidere ſimul oppreſſi mœrore parens vterque. Re populus, & Magiſtratus intellecta, iubent ſepulcrum aperiri, vacuum id corpore repertum, erant in eo duntaxat annulus ferreus, & ſciphus auratus, dona Machatæ, ſed in cubiculo & lectulo inuentum cadauer Filinij, & Hili cuiuſdam auguris conſilio, vt prodigium eiectum extra vrbis limites, auibus, ac feris deuorandum.

dum. Ipſe Machates à Spectro videns ſe deluſum, ſibi paulò poſt manus, ignominiam non ferens, conſciuit.

Hinc cernuntur multæ falſæ reſurrectiones gentilium, & conſtat, cum Sagis, vt plurimum induto cadauere Diabolum, ſiue incubum, ſiue ſucculum rem habere, vnde & in hoc genere hominũ cadauèroſus quidam fœtor graueolentiæ cernitur.

Remigius lib. 1. c. 2.

Germanorum ſcriptis vulgata non ita pridem de Aulico quodam extat hiſtoria. Hic accepto de Vxoris obitu nuncio, ac quemadmodnm eius cadauer eſſet ſepulturæ traditum; propere domum reuerſus domeſticis rationibus, vt proſpiceret, ac multa iam nocte eam cum animo ſuo voluens, vt fit, vbi rei alicuius deſiderium penitus inſidet, inter hęc aduertit, illam ſuo more ueſtes deponentem, ac notum cubile inire volentem, ſed cum ne hoc faceret aliquantiſper reſtitiſſet, qui tam conſtanti rumore mortuam intellexiſſet, victus natiua loquentis voce, & conſpicua ſeſe oſtendẽtis corporis imagine paſſus eſt vnà ſecũ concumbere, ac tantiſper in quotidiana vitæ conſuetudine habuit, dum Exorciſtæ cuiuſdã efficacibus verbis Dæmoni, qui refoſſum illud cadauer illudendo, ac ſi poſſet perdendo marito obſederat, abeundi neceſſitas impoſita fuit: quæ certè nulli imponi eo pacto poterat, ſi ſuo ipſa corpore incluſa fuiſſet anima. Sed ſicuti eum, qui iniuſte quid occupat, leges facilè deijci patiuntur, ita & Dæmonem ex inſidioſa huiuſmodi cadaueris obſeſſione exturbari nemo adeo mirabitur, qui ſciet quantæ ſunt adiurationum, atque exorciſmorum in ea re vires.

In Apollonij Tianei vita.

Simile quiddam Philoſtratus refert, Menippo Demetrij Cenici diſcipulo olim accidiſſe. Is inquit, cum Corintho Cenchreas proficiſceretur, obuiam habuit quandam imaginem puellæ peregrinæ lepidæ, ac vt videbatur prædiuitis, quæ diceret ſe illius amore correptam, inuitaretque familiariter, vt vellet in domum ſuam diuertere. Ille igitur viciſſim eius amore captus ſæpe cum ea concubuit, ac iam dę ineundo matrimonio cogitabat; habebat enim ipſa domum regio ornatu apparatam. Sed Apollonius cum in ea domo ſingula conſideraſſet, exclamauit lamiam eſſe, quæ propediem eſſet adoleſcentem ad extremum vel deuoratura, vel inſigni aliquo damno, atque iniuria affectura.

lib. 2. de bono vniuerſali c. 57. pag. 21

Thomas Brabantinus refert ſequentia. Gunerchena Brabantię Villa eſt ſolemnis, & nota: in hanc quidam Iuuenis, Puellam virginem adamauit, cumque pro eius nuptijs parentibus ſuis loqueretur, & illi renuerent, puella medio tempore incidit in febrim acutam, qua in graueſcente omnibus mori viſa eſt. Luctu ergo

facto,

facto, campanæ quaſi pro mortua pulſatæ ſunt, nec mora. Iuuenis amator puellæ, de Villa eadem in crepuſculo noctis tranſibat ad aliam, & cum per dumeta pergeret, audiuit vocem quaſi fœminæ lamentantis. Sollicitè ergo diſcurrens, & quærens auditam, inuenit puellam, quam mortuam exiſtimabat, cui & dixit, mortuam te plangunt tui, & huc vnde veniſti? Ecce ait, vir ante me vadit, qui deduxit me: obſtupeſcens ad hoc Iuuenis, cum neminem alium, niſi puellam videret, audacter rapit eam, & in domum protinus extra Villam occultauit. Hinc regreſſus in Villam amicis ſuis loquitur: ingreditur ad patrem puellæ cum amicis ſuis ſedentem ad funus, petit, ſi filiam ſuam ſibi daret, quam quaſi mortuam plangebat, cui pater admiratus, reſpondit. Nunquid pro Deo mihi es, vt mortuam reſuſcites, & accipias in vxorem? cui Iuuenis, tantum ait, libens ſpondeas, vt filiam tuam habeam in vxorem, ſi viuam reddidero, & ſanatam, cui pater conſentiens, dictum coram omnibus confirmauit, mox Iuuenis reuelato linteo, quo cooperta putabatur, figmentum mirabile, quale à nullo hominum fieri potuit inuenerunt. dicitur autem ab his, qui figmenta huiuſmodi Diabolica inſpexerunt, eſſe interius putrido ligno ſimilia, leuique exterius pellicula circunducta. Hinc reducta puella eſt, redditaq; patri ſana etiam, poſt dies aliquot dictum Iuuenem Maritum accepit, & vſque ad Tempora noſtra incolumis perdurauit.

Narrat vetus ſcriptor, quòd nocte quadam vir ſanctus vidit Malignum Diabolum ad chori aditum conſiſtere, & conari quidem ſæpius ingredi, ſed fruſtra tamen, habebat, formam Ruſtici præcincti, nudis, longisq; tibijs ferentis à tergo ſportulam, & ad pectus lignum funibus innexum, cœpit porrò producto collo circuire chorum, oculos in fratres attentè conijcere, ſi quid poſſet forſitan ſibi gratum in aliquo cernere, At viro Dei inſtantius orante, & fratres à torpore excitante, improbus explorator diu fruſtra expectans, cum nihil ſe proficere videret, ſomnolentos cachinans ſpreuit; ſe noxijs cogitationibus occupatos, mirum in modum tripudians applauſit, tandem inter nouitios reperit Iuuenem quendam animo ad illicita euagantem, nec niſi ſolo corpore illic præſentem, imò etiam clandeſtinam fugam meditantem, animaduertens igitur illum ſuæ ſortis eſſe, fuſcinula apprehenſum in fiſcellã ſuam proijcit, & celeriter inde ſe proripuit, cernens id vir ſanctus, multum pro ſalute illius anxius, & ſollicitus, mane diligenter illũ inquirit, ſed ille ante Auroram vagus, & profugus, excuſſo ſuaui iugo Chriſti, ſequutus erat inimicum; addidit antẽ ſe hominibus

In vita S. Roberti Abbatis

S ſce-

ſceleratis, deditusq; latrocinijs,non diu poſt captus eſt,& capite plexus,miſerrimè interijt.

Lib.6.c.17 Policronici author Ranulphus, narrat Comitem Ricardũ quadam nocte ſolum orationis gratia ingreſſum in templum,inueniſſe ibi mortui capulum, in quo cadauer erat repoſitum; dum autẽ Comes oraret, ſubito mortuus ille magno cum ſtrepitu è feretro exilijt,ac extenſis brachijs quaſi in amplexus eius ruiturus, ad Comitem acceſſit,quem cum Comes ſignum crucis fronti ſuæ imprimens,fruſtra intenſius,vt recederet adiuraret,ſtricto gladio illum diſſecuit,& exinde ſtatuit per totam terram circa funera vigilias celebrari.

Vtroq;admirabilius eſt,quod ex Guaguini deſcriptione Moſcouiæ nunc adijciam. Scribit Populos quoſdam in Lucomoria Regione Ruſſiæ habitantes,quotannis vigeſima ſeptima menſis Nouembris die,vt ſolent hirundines, & ranæ, ſic & ipſos præ frigoris brumalis magnitudine mori.poſtea redeunte vere Vigeſima quarta Aprilis die, denuo reuiuiſcere. Addit hos, cum ſibi mortem imminere ſentiunt,merces ſuas certis in locis deponere,quas Grutenſij, & Serponoutzij vicini populi, ſuis mercibus interim æquiualentibus eodẽ loco relictis,auferunt. illi reuiuiſcentes, eas merces,ſi iuſtæ videantur,pro ſuis accipiunt, ſin minus eaſdem repetunt,vnde lites,& bella ſæpiſſimè inter eos oriri dicuntur. Verùm idem narrans Sigiſmundus lib.Baro habet pro fabula.fol.86.moſcouiæ.

Quid poſſint inter ſe Cacodæmones per Magiam.
Cap. XX.

Doctrina.

DE hoc ſolidè diſputat Toſtatus ſub his verbis. Non eſt aſſerendum hominem poſſe conſtringere, & ligare in loco aliquo particulari Dæmonem, niſi virtute Diuina, videlicet per exorciſmos, & præcepta, ſed cum Magi non intendant ſibi ſubijcere dæmonem,niſi vi ſuorum carminum,& ſignorum, vel factis a Chriſtiana Religione alieniſſimis,idcirco impoſſibile eſt, ai, quòd minor poteſtas, quæ eſt homo,ſubiiciat ſibi maiorem, quæ eſt Dæmon, cum non ſit poteſtas ſuper terram, quæ comparetur

Iob. 40. poteſtati dæmonum. Quare non erit aliquid naturale, vel ceremoniale,per quod Dæmones poſſint ab homine cogi, vt veniant,

aut

aut reſpondeant, aut aliquid operétur, niſi, vt dixi per exorciſmos Eccleſiaſticos; & tunc dicendum eſt, quòd coguntur ad aliquid. ſ. ad recedendum à corporibus obſeſſorum, vel ad non nocendum, & hoc fit per Deum in quantum inſtituit id, quod ab Eccleſia fit, ibique operatur virtus Diuina latens: attamen in operibus maleficiorum, quibus Dęmones cogere volunt, nõ operatur Deus, cum ſint contraria Diuino honori. Sed Dæmones ipſi mentiuntur, & ſimulant ſe cogi, quia in hoc ſtat maximè virtus ſeductionis eorum. Verè tamen non poſſunt demones cogi ab hominibus per maleficia, imò ſi cogi poſſent, nõ docerent ipſi homines modum, quo eos cogerent, quia per hoc dæmones miſeriores efficerentur, ſi verè hominibus ſubijcerentur. Fingunt ergo ſe ſubditos, vt fallant, cũ tamen non ſubdantur, imò ſimulant ſe captos, vt te capiant: ſe vinctos, vt te vinciant: ſe tuo imperio ſubditos, vt te ſibi ſubdant; à te incluſos, vt contra te finaliter concludant: fingunt ſe tua arte, vel imagini, vel lapidi alligatos, vt funibus peccatorum religatũ ad Infernum te perducant. Quare, vt vno verbo concludam; fingunt cogi, cum tamen ſpontè, & voluntariè ad tempus cum placuerit, ſeruiant. Euſeb. li. 5. de præparat. c. 6. Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei. c. 6. Fran. Picus. lib. 2. de prænot. cap. 4.

Exempla.

Concurrerant in Aulam Anglicanæ Reginæ duo Magi iucundum exhibituri ſpectaculum: paciſcuntur una in re ſibi inuicem parendi, neceſſitatem ſingularem. Prior iubet alterum per feneſtram deſpicere, quod cum facit, natis ſubito ceruinis ex capite cornibus, cunctorũ ſanijs, & ludibrijs diu fuit appetitus, quare quam impotens iniuriæ, tam cupiens vindictæ atrocioris: pingit carbone humanam in pariete affigiem, tum priori Mago imperat, ſubire effigiem illam, & parietem ceſſurum ingredi, mortem ſibi cernens præſentem, horrere hic, & deprecari cœpit: vrgebat alter conuenta: ſubit ergo coactus, & viſus corpori paries locum dare ingredienti, ſed ingreſſus nuſquam poſtea comparuit, quia videlicet ſuperior dæmon illum occiderat, & corpus in deſertum, vel ſpeluncam alicubi abdiderat.

Aliud ſcribam, notatum à quodam Iuriſconſulto Germano. Præſtigiator quidam nobilis in diuerſorio publico hoſpitis famulum, ita petentibus reliquis conuiuis decollauit. cum autẽ ei rurſus caput imponere vellet, animaduertit eſſe alium Magum, qui eum in hoc propoſito impediret: Rogat hic eum, ne hoc faceret, verum cum admonitioni repetitæ alter non pareret; preſtigiator

N.ib.1. de almiijs.c. 3.nu.19. in menſæ lilium creſcere fecit, cui cum caput, & flores amputaſſet, concidit ſtatim abſque capite de Menſa Magus ille, qui alterum impediuerat, & præſtigiator abſq; vllo impedimento famulo caput impoſuit è veſtigio, & ex hoſpitio, vrbeque aufugit ne à Magiſtratu propter cōmiſſum homicidium deprehēderetur.

Præſtigium fuit hic in ſimulata capitis abſciſſione, & etiam repoſitione: item in lilij productione, & truncatione. Certamē fuit inter Dæmones Magorum, quorum inferior ſatis fortis erat ad impediendam vim præſtigij, potentiori tamen coactus (non vt reor inuitus) cedere in Clientuli ſui nece, qui verè interemptus eſt.

Rerū Boemicarum lib.23. Ioannes Dubrauius Epiſcopus Olmuziensis hęc narrat. Venceslaus Imperator, & Bohemorum Rex, affinitatem cum Principe Bauariæ Ioanne inijt, ducta in Vxorem filia eius Sophia. Socer, vbi Generum ludicris Spectaculis, & Magicis præſtigijs delectari cognouit, plenum ludionum, & præſtigiatorum plauſtrum ſecum Pragam vehit, ibi dum præſtantiſſimus artificum ludibria artis ad permulcendos oculos explicat, adeſt inter ſpectatores Zito Venceslai Magus, ore vſque ad aures dehiſcente, accedensque propiùs, artificem illum Bauari cum omni apparatu protinus deuorat, ſolos duntaxat calceos, quia luto obſiti videbantur expuens: ſeceſſumque inde petens uentrem inſolita eſca grauem, in ſolium aqua plenum exonerat, præſtigiatoremq; adhuc madidum, ſpectatoribus reſtituit paſſim deridendum, adeo vt cęteri quoque eius ſocij à ludo deſiſterent.

Illud de deuoratione merum fuit præſtigium, ſed verè abreptus miſer, in ſolium aquæ fuit iniectus à Dæmone, non per alui vias emiſſus.

Lib.3.cap.20. Olaus refert, quòd Magus quidam Gilbertus cum Catilla præceptore de artis præſtantia contendens, cum exiguum bacillum, characteribus gotticis, vel Ruthenicis inſcriptum à præceptore proiectum, manibus apprehendiſſet, ſtatim obriguit, & in inſula lacus, dicti, Veter, apud Oſtrogothor in cauerna ſubterranea fertur ligatus.

Finis Libri Primi.

COMPENDII MALEFICARVM

LIBER SECVNDVS.

In quo agitur de diuerſis generibus Maleficiorum, & de quibuſdam alijs ſcitu dignis.



De Maleficio Somnifico. *Cap.* I.

Doctrina.

COnſueuere Sagæ,& Malefici, alios potione,malo carmine,& certis ritibus ſoporare, vt interea illis venenum infundant, vel infantulos rapiant, aut necent,vel furto quid ſubtrahant, vel ſtupro, adulterioue contaminent, & hoc fieri poteſt naturalibus venenis ſoporiferis,vt erit videre per exempla. Et hę non ſunt fabulæ,quia ſi multa ſunt, quæ naturaliter,vel infuſa, vel a d mota, non ſomnium aut ſoporem tantùm,ſed etiam ſtupo-

Binsfeld. de cõfeſſ. malef. p. 1.concl.5. Vita D. Bern.lib. 2.c.6.

rem

rem, torporemque aduerſus vehementiſſimos quoſque crucia tus inducant, quæ chirurgi optimè norunt, ſi quando ab humano corpore membrum aliquod abſque doloris vllo ſenſu reſecturi ſunt: cuius artis facetum quidem, ſed tamen miſeratione dignum exemplum memorant de Narbonenſi adoleſcente à Thracio Pirata in ſeruitutem adducto, cui interea, dum ex medicata potione altior ſomnus obrepit, tam bellè teſtes ſecti ſunt, vt experrectus ſe ipſum miraretur ſic dempta virilitate nouum hominem. Rurſus aliud à Mathiolo recitatum de Hetruriæ Aſinis, quos cicutæ paſtus adeo graui ſomno conſopire ſolet, vt pro mortuis ſæpe efferantur, detracta etiam, ac, direpta iam pellis bona parte, vix tandem excitati ſe in pedes erigant, miſereque redeuntes ad præſepia ſua proripiant: multa igitur ſunt nota, accommodata vſu apud pharmocopolas, vt lolium, ſolanum, iuncus, vulgo Euripice dictus, mãdragora, caſtoreum, papauer. &c. quæ omnia, ſi ſomnum arctum, ac diuturnum conciliandi facultatem habent ſola vi ac potentia à natura illis ad id adminiſtrata; quid quæſo ſuis artibus, ac machinis efficient Dæmones, qui non modo rerum omnium, quas edidit natura latentes, atque arcanas vires perfectiſſimè nouerunt, ſed & ſic Deo permittente, multa poſſunt etiam ſine vllius rei aduentitiæ, atque externæ adiumento?



✠ An verò diabolus poſſit quantitatem corporum ſic mutare vt penetratio partium ſequatur, quo poſſint Maleficæ commodius ſua venena effundere, ſpargere, & diſſeminare, breuiter cenſeo ad hoc

hoc negatiuè reſpondendum, quia maior philoſophorum pars cũ Ariſt. & D. Thoma, partium corporaliumq; dimenſionem naturæ non permittit ideo, non poteſt diabolus ſic mutare quantitatem corporis, vt homo inſtar catti, muris, vel muſtellæ, per tenuem rimulam in cubiculis irruat, & penetret, multo minus per ianuas clauſas ingrediatur. hoc benè docuit Ioa. Beets Carmelita in prima præcepti expoſitione. c. 4. Quare mentiuntur Striges Lotharingicæ, quæ Remigio perſuaſerunt, ſolere diabolum veteratis Lamijs poteſtatem reipſa dare, vt poſſint ędes penetrare, & per quaſuis anguſtias nullo impedimento viam ſibi facere, in mures, fęles, locuſtas, atq; alia huiuſmodi parua animalia, contractæ, & deminutæ, intromiſſæq; priori formæ reſtitui ſi uelin,t hæc enim deliria ſunt omnia, & illuſoria: quomodo autem id fiat, crediderim diabolum præcedere, qui latenter aperit, & claudit ianuas, vel feneſtras corporis earum capaces, & per eas intromittit deceptas, quæ ſe putant formam huiuſmodi animantium induiſſe; & hoc Italicæ prudentiores Maleficæ Grillando confeſſę ſunt. Hanc autem apertionem forium, feneſtrarum, & oſtiorum tam ſubtiliter facere poteſt diabolus vt dormientes in cubiculo, non euigilent, ſi quis verò de hoc dubitet, meminerit, iam ab Angelo factum, cum eduxit Petrum de carcere, dum inter cuſtodes dormiret; & ſi quis dicat illam Ianuarum reſerationem, miraculoſam fuiſſe, nihil refert, quia Criſoſtomus hanc vim Angelis tribuit, cum ſcribit, Abachuc ab Angelo demiſſum, & reductum de lacu Leonum clauſo, integris ſigillis permanentibus, tunc enim id factum eſt, non Angeli, ſed Diuina virtute. Modus verò, quem Lamiæ recenſent, ſcilicet, diabolum ipſos parietes aperire, & per quandam quaſi fiſſionem, & diſruptionem, ingreſſum illis præbere, & egreſſum; poſt, iterum partes coniunctas facere coaleſcere; huc pertinet, quod refertur Cordubæ, de famoſa illa Magdalena Crucia, vt hiante ſubito pariete, à tranſeuntibus, orans puella conſpiceretur. Sed hoc præſtigioſum ego putarem, vel cum Delrio lib. 2. mag. queſt. 7. diabolum maxima celeritate eximere lapides quot ſufficiunt, aliosq; ne ruant ſuſtinere, & poſtea eadem celeritate, & dexteritate, iterum eos in locum ſuum reponere, quia cum homines, hanc celeritatem diaboli nequeant comprehendere, iudicium facit de aperto pariete, per partium compreſſionem.

Conſueuerunt præterea Malefici vti, ad concitandum ſomnum, certis luminibus, quorum fumum ab Apuleio (nebulam fumi) arbitror vocari. interdum accendunt pedes, vel manus mortuorum inunctas prius oleo quodam à Dæmone accepto, vel ad ſingulos

digi-

digitos candellulis affixis, interdum facibus excantatis, de certi generis lychno, & nota illis pinguedine, & vtuntur vel accenſis ſibi prælucentes, vel eas domi certo loco defigentes accenſas, & ſopor durat, quandiu lumen illud ferale: nonnunquam partes aliquas cadaueris certis locis ſuſpendunt: nonnunquam alia adhibent, æquè omnia ſceleſta, quæ tamen ex pacto tantum efficacitatem ſortiuntur. Vtuntur quoq; caracteribus magicis, ad effugienda, & ſuperanda tormenta à Iudicibus illis illata, ut patebit per exempla.

Muniant igitur ſe Sacramentalibus, qui ſe ſomno dant, recitando. Qui habitat in adiutorio altiſſimi. vel, In te Domine ſperaui. vel quid ſimile. Signando ſe ſigno Crucis, recitando. Salue Regina Mater miſericordiæ. Pater noſter. Aue Maria &c. ſi volunt eſſe ſalui ab huiuſmodi inſidijs; habendo etiam apud ſe ceram benedictam agni Papalis, vel reliquias. Deuotiones enim ſunt tutiſſimum præſidium, ac propugnaculum contra omnes tenebrarum Principis inſidias.

Exempla.

Margarita Ienina, cum filium ſuum Iaquelinum malè odiſſet quod de conſequendis in proximas Alſatię nundinas pecunias ſæpius obtunderet, ac illius tandem ſe quauis ratione flagitationibus expedire decreuiſſet, id vt faceret, nocte intempeſta, vnà cum ijs, quas patrando ſceleri ſocias ſibi adiunxerat, à Dæmone in illius ædes, quæ erant in Saxbingen, eſt inuenta, vbi dormientem ex compoſito adoriuntur, ex lecto deturbatum ante focum conſtituunt, uiuum aſſaturæ, ſi in ſe fuiſſet, ſed facto aliquo impeditæ, animum ſuum ad aliam iniuriam conuertiſſe: ac fortè humi repertam teſtam eius lateri facto prius vulnere, quod tamen momento coaleſceret, inſeruiſſe, vnde etiam poſt multorum menſium vexationem videntibus multis erupit.

Korpachij. 7. calen. Septemb. 1587.

Huic non eſt diſſimile, quod ſequitur, Bertrandæ Tonſtricis, quæ ſe earum ope quibuſdam ſortilegij erat ſodalitium cuiuſdam nomine Eliſę, collo, ob denegatum lactis vrceolum os infixiſſe agnouit.

Duſæ prid. cal. Octobr. 1586.

Item illud Seneæl Armentariæ recenſentis ſe in ſummum pedē cuiuſdam Philippi Piſtoris nomine os è veruecina coxa inſeruiſſe, cum prius admota piſcis ſpina vulnus feciſſet, quod deinde callo obductum, ingentes, ac diuturnos dolores illi pareret, vt ab eo piſtore etiam reſcitum eſt.

Quidam Benignus nomine conſcius cædis Conſiliarij Sereniſ- ſimæ Chriſtianæ Reginæ Franorum pœnam capitis facilè effugere poterat, quod tum cum in eum inquireretur, peregrè eſſet, ac ſaluti ſuæ fuga poſſet conſulere, ſed fretus caracteribus magicis, quibus à circumforaneo quodam donatus fuerat, fiducia ipſe, ſe iudicio volens obtulit. Nec in eo ſua ſpe quidquam fruſtratus eſt, ſiquidem priuſquam ipſe, tormenta omnia ſunt defatigata, atque ita & incolumis, & inconfeſſus illis ſolutus eſt. Verùm iam è reis eximendus cum tanti ſceleris conſcientiam amplius ferre non poſſet, eius ſe ſponte fecit manifeſtum, ac tandem capite luit.

Paris de puteo in ſindic. de tortura.

In Leodienſis ditionis oppidulo, Hugo, ſecundùm alios, vel Dinanto, iuxta cæteros, nocte ad diuerſorium venere duo, qui ſe à via admodum feſſos ſimulabant, cœna ſumpta; negāt ſe cubitum alio ituros, ſed importunè admodum, & inſtanter, tandem à Caupone impetrant, vt liceat ad ignem in culina ſomnum capere: interea Ancilla domus, cui non ſatis peregrini iſti placebant, clanculum per foramen quodam peruigil conſpicit quid ſint acturi. Nocte intempeſta videt è marſupio manum abſciſam mortui depromere, & digitos inungere, tum admotos igni incendere, omnes lumen recepere vno excepto, id verò Magi mirabantur inſolitum, ſæpius ergo tentant, & flammæ admouent, fruſtra ſemper. tum eorū vnus, quid tum, ait, ſi vnus duntaxat in domo ſit vigil? & affixa ad caminum manu, quatuor digitis velut candelis obſcura flamma collucentibus, domo egreſſi, noto ſibilo vocant ſocios ad prædam Ancilla ſubſequitur egredientes domo, & reuoluta ianua excludit eos, inde irrumpit in heriſe talamum, inuenit omnes altum adeo ſtertere, vt nulla vi (nam in medium cubiculi extra lectum illos traxerat) potuerint euigilari. Interea fures Per feneſtram quandā ſe dirigebant in domum, occurrit iſta, & ſcalis deturbat, inſtant tamen, & alio moliuntur ingreſſum. Hæc luminis memor, & ſuſpicione hanc eſſe ſoporis cauſam domeſticorū, omnes digitos extinguit & luce emortua, dormientes experrecti ad clamorem accurrunt, & domo protellant manifeſtarios: poſt dies aliquot capti, facinus confeſſi ſunt. Quid mirum igitur ſi Sagæ nocte irrepant ad cunas infantulorum, & aliorum quos eunt perditum?

Ceſar. Ciſtercien. li. 6. miracul. cap. 10.

Petrus Binsfeldius ſic ſcribit. Cum Anna mater Ioannis Cuno de Rouer, & aliæ duæ Sagæ conueniſſent, vt de nocte virum quendam Zeloſum perſequutorem maleficorum maleficio conficerent, Magiſterulus præcedens feneſtras, & ianuas aperuit; ipſe autem Ioannes Cuno pro concite à matre, & alijs adductus fuit, vt candelā ardentem, quæ non naturalis, ſed arte diabolica confectu erat, te-

Commen. in tit. de malef. & math. ad lib. 4. in ff.

T neret.

nerer. Venientibus autem eis in cameram maleficiandi in Ciuitatem Treuirenſem; cum Maleficiendus pro more bonorum Chriſtianorum ſe ſigno crucis,& pijs exercitijs, antequam ſe quieti traderet, muniuiſſet, nihil efficere potuerunt, ſed re infecta, reclauſis ianuis reuolare debuerunt. Vir autem bonus, cui nocere voluerunt adhuc viuit Dei gratia, & tandiù viuet quamdiù Deo placuerit, Hæc narrauit ipſe Ioannes Cuno,& mater eius, cum examinaretur ſuper articulis propoſitis, eodem modo confeſſa eſt. Necromantici, qui ſunt ſuperioris ordinis maleficiarij, non habent neceſſe hanc candelam ſibi prælucere, ſed accenſam defigunt in aliquo remotiori loco, vt eſt videre in ſequenti.

Lib.3.p.1. d.3. diſquiſit. Magicarum

Auris fide dignis accepta ſunt, quæ, & nunc ſcribam, & Martinus Delrio refert, ideo exaranda cenſeo, vt etiam videamus in Sortilegis, & Necromanticis Diuinam vltionem: prætermittam perſonam, locum, & ordinem, quia ſic expedire iudico. In Hiſpania, in vrbe quadam; magni nominis vir quidam familiaris erat cuidam Nobili, cui formoſa vxor, ſed caſta matrona erat: Hanc cæpit adamare, nec diu ignem fouet occultum, aperit animum, & mulieri flagitium nititur perſuadere. Illa certa tuendæ caſtitatis, ſedulo conatur ad ſaniorem mentem reuocare à dementia, ſed erat oleum camino addere, vt naphtam accenſam vehementius aqua iniecta exaſperat, vt gliſcat incendium, ſic monitiones hunc vltro inflammabant nec deſijt vrgere, donec pertæſa moleſtiæ, ſtatuit vlciſci nebulonem: rem totam marito aperit, quem non minus, quã Atridas dolor vrgebat; eius iuſſu vxor tempus addicit; venit nox optata malè amanti: Maritus cum aliquot famulis egregiè armatus erat in propinquo conclaui, familiarem hunc haud familiariter, excepturus. Tandem, en tibi accinctum gladio, & pugione amatorem: deducentem illam audacter ſubſequitur, & poſtquam conſediſſet, veterem cantilenam iterat; mulier refutat, & negat, vt ſolita; fecerant audatiorem nocturnæ tenebræ Mæchum, & vim parat: vis vi repellitur, tandem verita mulier exclamat, & condictum marito ſignum contenta tali voce, ſurdo (quod aiunt) fabulam, nec Maritus, nec quiſquam accurrit, quid ageret? fugeret? tenebatur brachijs fortioribus: conſentiret? mors probro, & peccato potior honeſtati: vngues ergo & dentes arma ſtringit muliebris, & faciem deformat, ſed præ furore hæc ille vix ſentiebat. Gladium depoſuerat, dorſo pugiunculus hærebat, vt aduertit Matrona inter luctandum, manu eum eripit à tergo, & ſtricto mucrone perforat aduerſarium, & vita priuat: collabitur cadauer, Victrix vix ſui compos, currit in conclaui, vbi Maritum abdiderat, inuenit

nit illum,& famulos omnes mortuis magis,quam viuis ſimiliores: clamat,vellicat,trahit,nihil non agit,vt expergefaciat, at illi con ſopiti manebant. Suſpicata (quod erat) maleficio id fieri, & videns ſibi in ſe ipſam ſpem omnem locatam, cadauer domo effert, & in plateam abijcit,cum gladio,& crueto pugione. Interea dum ibi iacet,circuitores nocturni in cadauer incidunt:ferunt in carcerem,facie lota,etſi non facile,tamen agnoſcitur vir. Hoc prudentia Prætor pollebat, ſilentio imperato præſentibus, ſummo mane adit domum viri ait ſe de re maxima cum domino coram tota familia agere optare,iubeat omnes ad vnum ſimul conuenire, facit dominus;conuenere viui omnes,nam mortuus ille ſolus deerat.Prętor ait,videri ſibi aliquem deeſſe, re animaduerſa,dominus, verè, ait,omnes adſunt excepto tali,qui fortaſſe nunc ſe ad quoddā negotium parat,ipſe quoque ſubdit ille,vocetur. Mora haud longa futura,currunt nonnulli,vt vocent: cubiculo clauſo,pulſant oſtiū, nemo rſpondet. It ergo cum domino ipſe prætor,& ianuam vi reſerant,nemo erat in cubiculo, duntaxat fax ardens, & obſcurum lucens defixa erat in camino,mirari omnes, & ſtupere cœperunt. Tum Prætor Domino domus narrat vbi, & quale inuentum cadauer,& dum illud auferunt è carcere, vt prophanæ ſepulturæ merito tradatur,ecce tibi Nobilis ille cum vxore, & rem omnem narrant. conferuntur momenta temporis, reperiuntur vigilaſſe, quo fax extincta,ſic & perfidia hipocritæ omnium deteſtatione, & mulieris caſtitas,atque fortitudo totius viciniæ celebrata.

Cæſarius Ciſtercienſis refert,quod homo quidam ſimplex Engilbertus nomine de Prouincia Tulpeti natus,ante paucos annos mortuus eſt.Iſte cum eſſet Cæcus natus, propter varia dona,quibus hominem interiorem eius illuminauerat Diuina gratia, in diuerſis Prouincijs noſcebatur, & à multis magniſq; perſonis vtriuſque ſexus venerabatur. In cappa ſimplici,& tunica lanea, nudiſque pedibus tam æſtate, quam hyeme incedebat, & puero ſe regente ſic limina ſanctorum ſatis remota ſæpius viſitauit, carnibus nunquam veſcebatur,non lectiſternijs, ſed modico tantum ſtraminis, vel fœni noctibus vtebatur,& multos tam verbo, quam exemplo ædificauit. Hic tempore adoleſcentiæ,cum nocte quadam in domo Matertere ſuæ Matronæ diuitis, inter alios eius ſeruos ſe cubitum collocaſſet, in ipſo conticinio duo fures parietem effodientes ingreſſi ſunt,qui igne diſcooperto, accenſo lumine, ciſtis apertis, intrepidè colloquebantur,quos vt prædictus Engilbertus audiuit, fures eos eſſe non dubitauit,cum ſeruos ex vtroque latere dormiētes excitare non poſſet, ſubſelio cultello ſuo perforato collo inie- Lib. 6. miracul. c. 19.

q. Hand of glory

cit,& claua manum armauit,& quia illos, vt Cæcus videre non potuit, duce auditu,ad illos tẽdens,& clauam vtraq; manu vibrans, ex omni parte quidquid tangere potuit, quaſi furioſus feriens, de domo illos eiecit,quos vſq; ad foramen ſequutus, dum aditum ſcala obſtrueret,& illi ſtantes extra domum, neminem præter ipſum ſolum vigilare ſenſiſſent,de tali expulſione confuſi, habito conſilio denuo nixi ſunt intrare;quòd vt ille ex motu ſcalæ ſenſit,vnam partem ſcalæ arcæ magnæ,in qua continebantur grana,vt erat foramini continua ſuppoſuit,alteramque vtraque manu ſeruauit, illos intrantes vſque ad vmbilicum Engilbertus dorſa eorum, quia proni iacebant, per ſcalam fortiter preſſit, vt non ſolùm eis progreſſum, imò etiam regreſſum prorſus adimeret,qui quaſi ſub turculari poſiti,dum mane capi timerent,veniam poſtulauerunt, datis verò terribillibus iuramentis, quòd nunquam perſonam eius læderent,vel domum illam intrarent,dimiſſi ſunt: Mane,cum prodẽte Engilberto à vicinis nulla arte dormientes poſſent excitari, & quærerentur circa domum maleficia,quorum virtute hæc nouerat fieri. ſupra foramen de tecto pendentem,quaſi ſpinam humani cadaueris repererunt, qua amota mox omnes excitati ſunt. Poſt multis annis elapſis iidem fures, fama, & virtutibus iam dicti Engilberti excitati, eiuſque vt opinor precibus compuncti, eum adierunt, & quia ipſi eſſent confeſſi deinceps duxerunt vitam religioſam.

Lib. 2. c. 3. & 4. Vergauillæ x. cal. Febr. 1589.

Scribit Remigius,quòd Margarita Loudmã in Iudicio agnouit inter ſcelera hoc quoque: ſe nocte quadam ædes quaſdam fuiſſe ingreſſam,eo animo ut ſomno ſopiti,faucibus uenenum infunderet, idque incæptum quin perficeretur parum abfuiſſe, ita in procliui uidebantur eſſe omnia,ſed contra quem putabant, excitatum illũ è ſomno fuiſſe comperērunt, adeò ut re infecta cum facinoris ſocijs ipſa ſe in fugam dare coacta eſt. conſectante interim illo manu armata ac tandem cum aſſequi non poſſet,minas ferocius intẽtabat,ea igitur de re ad ampliorem cognitionem interrogatus ipſe teſtis,omnem ut illa ſaga prænarrauerat,certis,diſertiſque uerbis recenſuit, uidelicet apetitum eſſe,ſicuti dictum eſt ueneno,hocque unum illis nè præberent fuiſſe impedimento,quod forte experrectus (nundum enim illarum unguine delibutus fuerat) ſe crucis ſigno,atque oratione dominica contra tantum diſcrimen, atque periculum muniuiſſet,uerumque illud omnino eſſe, quod illas cum haſta multum uiæ eſſet proſequutus, nec tamen aſſequutus; poſtea ferè omnes criminis rei deprehenſi, in Germania, quæ eſt ditionis Lotharingicæ,aſſeuerant concorditer, eam ſibi à Dæmonibus

nibus penetrandarum ædium facultatem eſſe tributam, ut ſuprà dixi, illiniendo primum per artus omnes, cui moliuntur interitum ne uigilet, tum firmiter ac validè os ei deducendo, ne potionem agitatione excludat, tandem venenum faucibus ingerendo, admota lucerna, quæ ſulfuream flammam euomat.

Sagæ vtuntur Cadaueribus Humanis ad necem Hominum.
Cap. II.



Doctrina.

NOSTRAE ætatis maleficis hominibus moris eſt exhumare humana cadauera, ad humanã perniciem, & ea maximè quæ ſunt ſupplicio affecta, & in malam crucem ſublata: nam non ſolùm inde ſortilegijs ſuis materiam mutuantur, ſed & ab ipſis carnificinæ inſtrumentis, reſte, vinculis palo, ferramentis. Siquidem ijs vulgi etiam opinione ineſt ad incantationes magicas vis quædam, ac poteſtas.

Sed heu miſeriarum miſeria, quia tales duobus potiſſimum funibus ligantur, qui ſunt, complacentia faciendi malum, & difficultas faciendi bonum. Judic. 15. Sanſonem ligauerunt Philiſtei duobus funibus. Duobus oculis priuantur, quia perdunt diſcretionẽ declinandi à malo, & faciendi bonum. Iudic. 16. Philiſtijm abſtulerunt à Sanſone duos oculos. Duobus aſinis eſſociantur, quia hebetant

betant in vſu rationis, ad præſentia gubernandum, & ad futura præuidendū, vnde de Leuita legit ur Iudic. 19. quod ipſe habebat ſecum puerum vnum, & duos aſinos, ſcilicet, præſentium, & futurorum ignorantiam. Duobus filijs orbantur, qui ſunt duæ fortiſſimæ virtutes, vna ad acquirendum Paradiſum, altera ad euitandum Infernum. 1. Reg. 4. duo filij tui mortui ſunt. Duobus cornibus ornantur, & hoc facit ſuperbia, vnum, ſcilicet, præſumendo de ſe, alterum alios contemnendo. Daniel. 8. efferatus hircus in arietem, comminuit duo cornua eius. Duobus vitijs grauantur, quæ ſunt mali exequutio, & boni omiſſio. Hierem. 2. duo mala fecit populus meus, dereliquerunt fontem aquæ viuę, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas. Duobus vitulis, famulantur, dum adorant, & honorant vitulos aureos, ideſt, diuites, & auro fulgentes. 3. Reg. 12. dicitur, quod Hieroboam fecit duos vitulos aureos, & dixit, Iſti ſunt Dij tui Iſrael.

Alij totum corpus decoquunt integrum, dum in cinerem etiam ariditate abeat, vel in maſſam, adhibitis, ac commixtis quibuſdam alijs coaleſcat, quod & Baptiſta Porta *a* Neapolitanus obſeruauit ſua ætate factum, & de hoc agit etiam Plinius. *b* His temporibus frequentes habet, quæ ſub lotharingica ditione eſt Alemania, vt refert Remig. *c* ſe ſæpe deprehendiſſe, ex eorum quæſtionibus capitalibus.

a Lib. 2. magię natur. c 6.
b Lib. 28. cap. 7.
c Libr. 2. cap. 3. Duſæ cal. Octobr. 1586.

Idcircò fugiēdi ſunt huiuſmodi, quia obſtant Diuinę voluntati. Num, 15. aduerſum Dominum rebellis fuit, ideo peribit de populo ſuo. Quia fallunt, & dant ſe falſitati. 2. Reg. 3. quare dimiſiſti Abner ignorans, quoniam ad hoc venit, vt decipiat te? Quia fauent ſuæ fatuitati. 2. Reg. 25. dictum eſt de Nabal, qm̄ ſecundum nomen ſtultus eſt. Quia obſtant veritati. pſal. diminutæ ſunt veritates à filijs hominum. Et alibi. non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt. Quia ſubſunt mordacitati, ideſt, vitio detractionis, & murmurationis. pſal. audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. Quia fauent loquacitati adulando. pſal. mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant. Quia claudunt portam ſagacitati. Sapien. 1. in maleuolam animam, non introibit ſapientia. Quia nō credunt ritè Deitati. Sapien. 15. ignorauit eum, qui ſe finxit. Obſunt hoſpitum charitati. Sapien. 19. inuiti recipiebant extraneos, & Mat. 24. quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Quia obſtant Diuinitati. Eccleſ. 10. initium ſuperbiæ hominis eſt apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum receſſit cor eius. Quia vacant ebrietati. Eſai. 34. quoniam inebriatus

eſt.

eſt. Quia cedunt virtutum claritati. Eſai. 13. ſtellæ non expandent lumen ſuum. Quia ſe dant mundi proſperitati. Hier. 17. dereliquerunt fontem aquarum viuentium Dominum. Quia repugnant æquitati. Amos. 6. conuertiſtis in amaritudinem iudiciũ, & fructus iuſtitiæ in abſynthium. Quia ſtudent carnalitati, & luxuriæ. Rom. 8. ſapientia carnis inimica eſt Deo: & ad Gal. 6. qui ſeminat in carne, de carne metet, & corruptionem. Quia vacant crudelitati. Gal. 1. ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei. Et tandem, quia repugnant proteruè vnitati. act. 17. hi ſunt, qui orbem concitant, & hoc ad hoc venerunt, & pſal. cum his, qui oderunt pacem eram pacificus. ad ex.

Exempla.

ANna Ruffa fatetur operam ſuam commodaſſe ſe Lollæ cuidam Veneficæ in eruendo eiuſmodi cadauere, quod recenti funere obrutum fuerat, atque ex eius exuſti cineribus medicaſſe potionem, qua deinde ad certam eorum, quos vellent peremptos, vterentur pernitiem.

Forpachi ſexto cal. Septemb. 1587.

Briceij Mag conueniens eſt huic teſtimonium de refoſſo ſcilicet infantis cadauere, quod pater eius, nomine Vuolf Faber pridie extulerat, in hocq; tantum diuerſus eſt à ſuperiore, quòd non aſſatum in cineres, ſed elixum in maſſam confecerit, quo commodius inde vnctionem pararet; oſſa autem in cinerem redegiſſe aſpergendis nemorum arboribus, vt glande ſua deficerent.

Guermingæ 14. cal. Ianuar. 1589.

Antonius Vuelch idem quoq; ſibi narratum retulit ab Nichel Groſs. & Beſchefs vxoribus, vtraq; ex ſortilegij ſocietate notiſſima ſibi fœmina non adeo pridem refodiſſe ſe e cimiterio Guermingẽſi duo eiuſmodi cadauera, quæ parentes Bernardus, & Antonius Lerchen recens humo condiderant, eaque igne conſumpta in magicos ſuos vſus conuertiſſe, reſecto prius vnà cum humero, coſtisque continentibus dextro brachio in vſũ luminis diabolici antedicti, ſi cui de nocte venenatam potionem forte vellent infundere; extremi enim eius membri digiti flamma ſulfurea, ac violacea tantiſper ardebant, dum perfectum, abſolutumq; eſſet, quod aggrediebantur negotium, eaq; demum extincta; tam integri illibatiq; reſtabant, quam ſi lumini fomitem vllum ante præbuiſſent, idque quoties opus fuerat cum eadem digitorum incolumitate repetitum fuiſſe.

Ioan-

Weſs. Pittelanglj. 12. cal. Octob. Ioanni Molitori à Vuelferdingen anniculus erat infans, præcipuè eius deliciæ. Hunc Agatina à Pittelingen, & Maietta à Hochit cunis clam extractum in ardentem rogum imponunt, quem ipſę ea cauſa in perarduo monte nominato (la Griſe) extruxerant, eiuſq; e uſti cineres ſtudioſè colligunt, tum rore ex ſegetum ariſtis graminumque ſummis herbis excuſſo, perfundunt, atque maſſam vtrique friabilem concinnant, aſpergendis ſcilicet viribus ſatis, atque arboribus, quo ſtatim læſo flore perirent, fructibuſque ſuis deficerentur.

De maleficio venenario, & quot ſint genera Maleficiarum. Cap. III.



Doctrina.

quot ſiut genera maleficarnm. MAleficarum triplex ſolet eſſe genus. Aliæ enim poſſunt lædere, ſed nõ poſſunt curare: Aliæ curare poſſunt, ſed non lędere, per aliquod pactum cum diabolo initum. Aliæ tandem ſunt, quæ lædere, & curare nouerunt, & hæ ſunt omnium peſſimæ, deuorant enim (horribile dictu) propriæ ſpeciei infantulos, & comedunt; & hæc eſt ſuprema ſpecies Maleficarum; ſunt & aliæ ad alia attendentes, vt alibi dictum eſt, quæ grandines, & auras lędentes exagitant, ſterilitatem in hominibus, & iumentis procurant: infantulos, quos non deuorant dæmonibus offerunt, aut

occi-

occidunt, pro vt infra. Huiuſmodi autem infantes ſunt illi, qui ab ipſis in vtero materno perduntur, & baptiſmatis lauacro, nō ſunt tincti; qui autem deuorantur, ſunt baptizati. Conſueuerant prætereа infantes iuxta aquas gradientes, in ipſis nullo vidente, etiā in conſpectu parentum, proijcere, vt alibi dictum eſt: equos ſub equitantibus freneticos efficere: de loco ad locum per aera corporaliter tranſportari: Iudicum animos, ne eis noceant immutare: taciturnitatem ſibi ipſis, & alijs procurare, etiam in tormentis: occulta alijs manifeſtare, & quadam futura, ex dœmonum reuelatione prædicere: abſentia, tamquā præſentia aſpicere: ad amorem, & odium inordinatum mortalium mentes immutare: ictu fulminis aliquando, quos volunt, ſiue ſint homines, ſiue iumenta, interimere. Vim generandi, vel potentiam coeundi auferre; abortum procurare: Infantes in vtero matris, ſolo ſimplici tactu perdere; ſolo etiam viſu, abſq; tactu homines, & iumenta maleficiare, ac illis mortem præbere: proprios infantes diabolo dedicare, & tandē, vt vno verbo concludam, omnia peſtifera, quæ aliæ Maleficæ procurare ſciunt (quando Deus permittit) perpetrare nouerunt. Satiſfaciamus nunc promiſſis.

Obſtetrices maleficarū, dum parturientibus auxilij gratia interſunt, multa mala perpetrare certum eſt, ſiuè occidendo infantes, acus in ſummitate capitis infigendo, vt moriantur, qui tamē acus non videntur, vel ipſos diabolo offerendo. Quare fit multoties, vt ipſis obſtetricibus inuitis, ad inſtantiam tamen malignorum ſpirituum, talia facere cogantur; nouit enim diabolus, quod ab ingreſſu Paradiſi cœleſtis propter pœnam damni, aut propter originale peccatum, tales pueri arceantur, quo fit, vt finale Iudicium diutius protrahatur, per quod æternis pœnis ipſi dœmones puniētur, cum numerus Electorum tardius completur, quo completo, mundus conſummabitur. Ex huiuſmodi ergo infantibus interemptis, diaboli ſuaſione, conficiunt Sagæ vnguenta, vt alibi dictū eſt, ad earum vſus accommodata. Quando autem non occidunt infantes, illos tamen (horrendum dictu) dœmonibus execrando in hunc modum offerunt. Nato puero, Obſtetrix malefica, quando puerpera, non eſt ſola, fingens aliquid agendum ſibi eſſe pro reſtauratione pueri, illum ipſum extra cubiculum portat, & ſurſū eleuans illum, Principi dæmoniorum, Lucifero videlicet, omnibusq; dęmonibus immolat, ſub fumali, ſuper ignem. Hanc autē ſacrilegam oblationem vult diabolus ſibi fieri, vt ipſa Maleficarū perfidia amplius in ſui augmentum creſcat, dum ab incunabulis, ſibi dicatas Maleficas ſeruant. Et ſicuti exterior oblatio Deo

facta, in pane, vino, & terræ frugibus, fit in ſignum debitæ ſubiec-tionis, & honoris. Eccleſ. 25. non apparebris vacuus in conſpectu Domini Dei tui, quæ res Deo oblatæ poſtea non applicantur prophanis vſibus; Sic diabolus, talem puerum vult ſibi offerri in ſignum ſubiectionis, & honoris, vt poſtea implicetur diabolicis tantum factis execrandis. Nunc ad Maleficia venenaria accedamus.

Deo permittente, Maleficæ complures mortales maleficijs ſuis grauiſſimis morbis, ac etiam morte afficiunt. Hoc probatur à D. Auguſt. & leges Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, nec non Germaniæ hoc confirmant. Quæ fiunt extrinſeca ſortilegia, vt ait Grillandus ſub certa quapiam forma compoſita intra veſtes conſuunt, vel in lecto ipſius maleficiandi abdunt, ſeu in aliquo loco ſubterraneo, facta fouea aut ſub limine oſtij, ſuper quo deſtruendus ſit tranſiturus. Ait etiam, quoſdam exhumare mortuos, & vti eorum veſtibus, carnibus, vel pinguedine, vel oſſibus. Alios accipere nonnulla à ſuſpendioſis. In applicatis extrinſecus ſolum venenis, ſæpiſſimè diabolus ipſe damnum infert; Et verius contingere videtur in veneno, quo, ſi ſtapes inungatur, equitem ipſum perire neceſſe eſt, quod tamen non credo euenire naturali vi veneni, ſed ex pacto diabolum concurrere ad inferendum necem, nunc de intrinſecis.

Venena maleficialia fiunt per compoſitiones, & mixturas multiformium venenorum, vt puta ex herbarum folijs, feſtucis, radicibus, animalibus, piſcibus, reptilibus venenoſis, lapidibus, & metallis, aliquando in vnguēta reducuntur. Sciendum inſuper, quòd Sagæ inficiunt, vel introſumptione, vel applicatione exteriori per contactum. Primo modo per cibum, aut potum, quando vt plurimum venena in puluerem trita ijs immiſcent. Secundo fit per inunctionem, maleficiando, ſiue maſculus ſit, ſiue fœmina, dormienté ſuis liquoribus, aquis, oleis, aut pinguedine, ſicut alijs ſimilibus vnctionibus, plura, & diuerſa venena continentibus, inungunt, aliquando femora, aut ventrem, aut caput, guttur, pectus, coſtas, ſeu aliam partem corporis perſonæ maleficiandæ, quę ſic dormiens nil ſentit, ſed eſt tanta vis, & potentia illius vnctionis, quòd paulatim durante calore ipſius dormientis, ingreditur carnes, & peruadens ad penetralia viſcerum cordis maleficiati, cauſantur ingentes dolores in corpore eius, pro vt refert Spineus. Inficiunt tertio modo etiam per inhalationem, & hoc omnium peſſimum eſt veneficium, quia ipſum tenuitate ſua, ore attractum citò ad cor penetrat.

Exem-

Exempla.

REfert Villamontius ſcelerum omnium ſceleſtiſsin um quendam Venetijs Maleficum fuiſſe, qui damnatorum in Triremibus animas emebat, promittens liberationem à terrena illa ſeruitutæ pęnæ, & numerans decem aureos pro illorum anima, quam chirographo proprio ſanguine notato vendebant, addiciebantq; dæmoni, & Malefico, mox ne retractare poſſent, certo contactos veneno ſubitò necabat, addit ſe interfuiſſe ſupplicio, quod de iſto ſumebatur. Quis vnquam talia vel fando audiuit. lib. 1. Tu. nerarij c. 33.

Narrat Sprengerus duas in Epiſcopatibus Baſilienſi, videlicet, & Argentinenſi, concrematas obſtretices, quia vna earum quadraginta, altera inumerabiles pueros recens in lucem ęditos necauiſſet, inditis clam in eorum capita grandibus aciculis. In malleo p. 2.

Domitiani tempore cæperunt multos, qui acubus veneno oblitis, quos collibitum eſſet pungebant, & læſorum multi ſine doloris ſenſu moriebantur, quod, & Commodo Imperatori factum. Narratur ex Dion. Xiphilino.

In Teritorio Bernenſi Refert *I*oannes Niderius quoſdam Maleficos vtriuſque ſexus ſuos proprios *I*nfantes occiſos deuoraſſe: idemq; factum ab aliis in ditione Lauſanenſi. For micario lib. 5.

*I*uris Conſultus quidam Francofurtenſis annis ſuperioribus ait, ꝙ Comes quidam ſuperioris Germaniæ octo Veneficas, quæ centum quadraginta Infantes interfecerant Vulcano traddidit. Anno 1553. captæ ſunt Berlinæ fœmine duæ Veneficæ, quæ glaciē ad perdendas fruges perficere conatæ ſunt, eæq; mulieres rapuerunt furto alterius vicinæ mulieris infantulum, & ipſum diſſectū coxerunt: factum eſt Diuinitus, vt mater quærens infante m interueniret, ibiq; ollam, & impoſita amiſſi infantis membra videret captis itaq; mulieribus, & in tortura examinatis, dixerunt, ſi proceſſiſſet coctio, tunc futura fuiſſet ingens glacies, ita vt omnes fruges perderentur. Godelm. lib. 1 de la miis. c. 7.

Circa Annum Domini 1526. Salaſſiæ circiter quadraginta viri coniurati, totidem fœminæ, inter quos carnifex erat, vt, cum peſtis antea ſęuiſſet, tunc verò iam miteſceret, vuguèntum conficerent, quo tangentes portarum coronidas inficerentur puluerē, quoq; confeciſſe, quem ſuper veſtes clam ſpargerent. Latuit aliquandiu hæc res, ſublatique multi; ſed cum Ciuis cujuſdam nomine, Neri, fratrem, atque vnicum filium ſuſtuliſſent, vixque alij, quam domini domuum, aut filii perirent, ſimulque animaduertiſſent Androginam ſe in domos inſinuantem, atque eos maximè Cardanus lib. 15. de variet. rerum. c. 80.

perire, quorum domos ingrederetur, deprehenſa que coniuratione, omnes exquiſitiſſimis tormentis necati ſunt: Confeſſi ſunt etiã, decreuiſſe in pompa celebri Diui cuiuſdam, ſubſellijs perunctis vniuerſos Ciues occidere, paratasq; ad hunc vſum ſupra viginti ollas: tentarunt, & idem alij Geneuæ, & luerunt pænas.

De Maleficio ligaminis. Cap. IIII.



Doctrina.

SOlent Striges malis verbis, & factis hominem reddere frigidum, & maleficiatum, ideſt, ad actum coniugij, minimè, aptum nullumq; hac tempeſtate frequentius eſt malaficium iſto, quia in aliquibus locis vix audet quis clara luce matrimonium celebrare, ne quis malus coniugium hac mala arte illudat. Poſſe autem Sortiarios, & ſolere hoc facere, patet experientia quotidiana, probatur etiam Eccleſiæ conſuetudine, quæ ſic affectus, poſt triennij caſſam experientiam, & adhibitis iuratis teſtibus, ſeparare conſueuit matrimonio iunctos, probatur exemplis, vt infra: & probatur ratione, quia poteſt hoc fieri naturaliter, caſtratione, ruptione, eliſione, deſicatione, infrigidatione, & ſimilibus ex cauſis, quas cum diabolas nouerit, poteſt etiã illis vti.

Fit

Fit etiam ſæpe, vt qui poteſt cum cęteris coire, non poſſit cum vna: item, non poſſit cum illa ſola quam ardenter amat, item, vt ſoluto ligamine dũtaxat, fiat potens, qui prius erat impotens, ad hæc pręſtanda formis penè infinitis vtitur diabolus, ſed.

A uiris doctioribus ſeptem traditas inuenio cauſas proximas huius impotentiæ, quibus cauſis dæmon abutitur. Prima eſt, quando Coniugem alterum alteri reddit odioſum. vel inuicem odioſos facit per calumniam, ſuſpicionem vè, aut morbi alicuius immiſsionem, ſicut, vt aiunt, Medea iniecto pharmaco, fecit, vt omnes fœmine lemni grauitęr ore olerent, & ſic illas mariti ſunt aſpernati.

Secunda cauſa eſt, quando corpora impedit, ne queant ad ſe mutuo appropinquare; & ſic ea diuidit, vel detinens ea in locis diuerſis, vel cum conantur iungi phantaſma, aut quid aliud inijcit intermedium, vt probabit exemplum.

Tertia eſt, ſi ſpiritus vitales prohibeantur tranſire ad membra genitalia, & ſic ſeminis deciſio impediatur, vt recte diſſeruit Ioannes major. in 4. diſ. 34. ar. 3.

Quarta eſt, ſi ſemen prolificum exſiccetur, & ſubtrahatur.

Quinta, ſi virga viri flacida fiat, & ſaltem, quando quis vult actum Matrimonij exercere.

Sexta, ſi quæ naturalia alia pharmaca applicentur, quibus vis patrandi quouis modo tollatur, hæc cauſę ſunt apud Doctores vulgatiores,

Septima eſt rarior, nempè muliebrium locorum obſerratio, vel nimia coarctatio, aut viri genitalium retractio, abſconſio, vel vera ademptio, de virili huiuſmodi calamitate narrationes varias proponunt Sprengerius, *a* & Remigius. *b* Hæc genera maleficiorum ſunt in duplici differentia, vnum temporaneum. alterum perpetuum. Perpetuum vocant, quod vſque ad mortem duraturum eſt, nullo naturali remedio, nec alias licitè auferri poteſt. Temporaneum verò, quod eſt ad certum tempus duraturum. Quonam verò modo auferant Maleficæ virilia membra, & quomodo id fieri poſſit, non eſt ſubticendum. Student igitur ſæpius virilia membra perdere, non quod in rei veritate illa a corporibus omnino auferant, ſed arte ſua præſtigioſa ita occultant, vt non ſolum illis vti ſit poſſibile, ſed nec etiam omnino apparere oculis inſpicientium aut palpari poſsint. Præſtigium enim iuxta Alex. de Aleſ. *c* eſt illa dœmonis illuſio, quæ non habet cauſam ex parte mutationis rei, ſed ſolum ex parte cognoſcentis, qui deluditur, ſiuè quoad exteriores, ſiuè quoad interiores ſenſus: quomodo autem diuerſimodè dia-

a. 2. part. mal. q. 1. cap. 7.
b. lib. 2. cap. 5.
c. par. 2.
*

bolus

bolus decipiat iam docui in primo libro, exempla plurima huius artis illuſoriæ alibi reperies à nobis notata verum & hoc ſequens hic ponere iudicamus non iniucundum fore.

Exempla.

* IVuenis quidam in Oppido Rauenſpurgh adoleſcentulam adamauit quā pœnitentia ductus deſeruit, vt autem longè factus eſt ab illa membrum genitale perdidit, præſtigioſa nempe arte, ita vt nihil planè videret aut tangeret, præter planum corpus. Anxius huius rei, factmu alteri mulieri aperuit, cui planum corpus cōſpiciendum præbuit; illa petiuit, num ſuſpectam haberet aliquam mulierem, ſubiunxit ille, vtiq; talem habeo ſuſpectam, illamq; nominauit, tunc mulier ait, vade ad eam, & molibus vtere verbis, precareq; ne grauetur opem ferre pro recuperanda valetudine; ſi illa verba deſpexerit, factis durioribus vtere. Iuuenis in noctis crepuſculo attendens uiam, perquam tranſire conſueuerat Malefica, illam pro ualetudine ſua interpellauit. Strix nil ſcire oſtentans, ſe innoxiam aſſerebat. Tunc Iuuenis arrepto linteolo quodam, collum illius fortiter ſtrinxit, addens; niſi tu maledicta Lamia me nūc nūc ſanum reddideris, manibus meis uitam claudes. iam facie pręt umore nigreſcente perterrefacta illa, deſiſte iam, ait, & te ſanabo. Nodum laxat Iuuenis, ipſaq; manum intra adoleſcentis genitalia immitens, ſubiunxit, iam ſanus es; quare adoleſcens tunc temporis anteq̄ manum extenderet ad probandum, an uerum eſſet, quod Malefica dixerat, probabiliter cognouit, membrum ex Maleficæ dumtaxat tactu, ſibi fuiſſe reſtitutum.

d. lib. 26. ... Anton. p. 2. ſum. hiſtor. tom. 16. cap. 7. h. 6.

Vincentius Beluacenſis *d* narrat ſequentia. Romæ temporibus Henrici Tertij Imperatoris fuiſſe Iuuenem quendam locupletem & nobilem, qui recens uxorē duxerat, & ſodales ſuos opiparo Conuiuio nuptiali exceperat, exiuere in campum à prandio luſuri pila. Sponſus ludi dux pilam poſcit, & ne excideret annulius ſponſalitius inſerit eum digito Statuæ Veneris æreæ, quæ in proximo erat, omnes unum petebant, ſic cito defatigatus ipſe a ludo ſeceſsit, & ad ſtatuam rediens annulum recepturus, ecce uidet digitum ſtatuę uſque ad uolam manus recuruatum, & quantumuis conatus fuiſſet annullum recuperare, nec digitum inflectere, nec annullum ualuit extrahere: Reddit ad ſodales, nec illis ea de re quidquam indicauit. Nocte intempeſta cum famulo ad ſtatuam reuertitur, & extenſum, ut initio digitum reperit, ſed ſine annullo: iactura diſsimulata domum ſe confert ad nouam nuptam, cumque Thorum genialem ingreſſus ſponſæ ſe iungere uellet ſentit impediri ſeſe, & quidquam nebuloſum, ac denſum inter ſuum, coniugiſque corpus uolutari, ſentiebat id tactu, uidere tamen non poterat, hoc obſta-

culo

culo ab amplexu prohibebatur, audiebat etiam uocem dicentem, mecum concumbe, quia hodie me deſponſaſti, Ego ſum Venus, cui digito annulum inſeruiſti, nec reddam. Territus ille tanto prodigio (inquit Antonius ſcribens hanc hiſtoriam ex Vincentio) nihil referre auſus eſt, uel potuit, inſomnem duxit noctem illam, multum ſecum deliberans, ſic factum eſt per multum tempus, ut quacunque hora cum ſponſa coire uellet, illud idem ſentiret, & audiret. Erat ſanè alias ualens, & domi aptus, & militiæ, tandem uxoris quærelis commonitus, rem parentibus detulit. illi habito concilio Palumbo cuidam Presbytero ſuburbano rem pandunt, is autem erat Necromanticus, & in maleficiis potens. Illectus ergo promiſsis multis, compoſitam Epiſtolam dedit Iuueni dicens, uade in tali hora noctis ad compitum ubi quatuor uiæ conueniunt, & ſtans tacitè conſidera; Tranſibunt ibi figuræ hominum utriuſq; ſexus, omnisq; ætatis, & conditionis equites, & pedites, quidam læti, & quidam triſtes, quidquid audieris non loquaris, ſequetur illam turbam quidam ſtatura procerior, forma corpulentior curru ſedens, huic tacitus epiſtolam trades legendam, ſtatimq; fiet, quod poſtulas. Ille iuuenis totum impleuit, prout edoctus fuerat, uiditque inter cæteros ibi mulierem in habitu meretricio mulam inequitantem crine ſoluto, per humeros iactato, uitta aurea ſuperius conſtricto, auream uirgam gerentem in manibus, qua mulam regebat, prę tenuitate ueſtium penè nuda apparebat, geſtus faciens impudicos. Vltimus Dominus turbę terribiles in iuuenem oculos exacuens, ab axe ſuperbo ſmaragdis, & unionibus compoſito, cauſas uiæ ab eo exquirebat, nihil ille contra, ſed protenta manu epiſtolam ei porrigit, Dæmon notum ſigillum non audens contemnere, legit ſcriptum, moxque brachiis in cœlum eleuatis, Deus, ait, omnipotens quandiu patieris nequitias Palumbi presbyteri? nec mora ſatellites ſuos a latere mittit, qui annulum extorquerent a Venere, illa multum tergiuerſata uix tandem reddidit, ita Iuuenis uoti compos ſine obſtaculo potitus eſt diu ſuſpiratis amoribus. Palumbus autem, ubi Dæmonis clamorem ad Deum audiuit de ſe, intellexit ſibi præſignari finem dierum, quocirca omnibus membris ultro truncatis, miſerabili pœna defunctus eſt, confeſſus coram populo Romano inaudita flagitia.

Godeſcalcus Hollenus Auguſtinianus ſic ſcribit. Noui mulierem, quæ uoluit facere diuortium inter duos ſe mutuo amantes, propter quod deberet ſalariari. Scripſit in cartulis duos characteres ignotos, cum aliis tamen deuotis uerbis, & dedit cartulas ut portarent, & tamen nulla ſequebatur diuiſio. Secundo ſcripſit hęc *Præceptorij fol. 20. litt. A.*

eadem

eadem in caſeo,& dedit illis ad comedendũ,& accepit poſtea pullum nigrum,& diuiſit per medium,obtulit unam partem diabolo, certo ſacrificij ritu,& aliam dedit ad comedendum illis duobus, & tunc ſequebatur maximum odium inter eos, ita ut unus alium uidere non poſſet,& unde hoc? niſi quod dæmon habuit tunc offertorium ſuum ſic ille.

Liber. 13. de mort. malef.cap. 1. Ioannes Baptiſta Codroncus refert, quòd in Oppido Sepino ditionis Neapolitanæ, erat quidam Iacobus nomine, cuius uxor tãtum odium cum eo exercebat,ut a primo die, quo inter ipſos matrimonium contractum fuit, tantum abfuerit,ut ſe ſe inuicem copularent, ut etiam ſimul habitare non poſſent,& ſi quando Iacobus ad uxorem accedere uoluiſſet,tanto furore, ac rabie percita uxor eſſet,ut ſe ſe per feneſtram potius præcipitem daret, quàm illum perpeti poſſet.Quod cum cuidam Religioſo uiro ab ipſis hoſpicio recepto narratum eſſet, de hac re dubius, & ad fidem præſtandam difficulter ſe habens, experiundi gratia illico mulierem accerſiri iubet, eiuſque maritus in interiorem ædium partem ſeſe abdidit, ne eius præſentia vxor ingredi renueret. Venit mulier. quæ de odij ſui cauſa contra Coniugem interrogata, ſuam vicem prius miſerumq; fatum cum deploraſſet, ſe nullam inquit eius rei rationem reddere poſſe, quin abſentis mariti tanto deſiderio, & amore ſe flagrare dicebat, vt id verbis exprimere nequiret, cum autem ad illum alloquendum, & videndum accedere vellet, illico imaginationi ſuæ, tot deformitatibus & turpitudinibus, totque horribilibus monſtris maritum depictum apparere, vt mortem prius ſubire vellet, quam illum ferre,aſſerens quòd eius anima tota, omnesq; vires, ſpirituum partes in maritum,tamquàm in oblatum malum, & ſui pernitiem ferebantur. Rurſus eo abſente eiuſdem deſiderio æſtuare ſe aiebat,de cuius mulieris verbis, cum bonus ille Sacerdos periculum facere vellet, dixit mulieribus eam comitantibus, vt illam circum pedes, & brachia circa lectum valido fune in crucis modum vincirent, quo maritus omni repugnantia remota,expeditum acceſſum ad illam haberet;verebatur enim ille Sacerdos,ne ob deformitatem aliquam celandam mulier ſe ita affectam eſſe diſsimularet. Vxor denique ſe ob mariti deſiderium ligandam tradidit,rogans,vt ad ſe maritum admitterent, quo ingrediente,nullæ vnquam furiæ tam immanes viſæ ſunt, nulla fera tam efferata,nulla belua tam rabie, & furore concitata ei ſimilis inuenta fuit,ſpumam ex ore emittebat, dentibus fremebat, oculos contorquebat,totumque corpus velut furijs agitatum, ac dæmonibus plenum videbatur,mulieresq; ibi aſsidentes retulerunt,

eius

eius ventrem, ac ſtomacum funibus contortum ipſis tangentibus refertum viſum eſſe; totamque cutim, vt flagris cæſis redactam, nec furendi finis factus eſt donec maritus concertationis labore defeſſus, & illius miſericordia motus illinc exijt.

Idem author. In Oppido Hetruriæ Sancti Geminiani, Iuuenis quidam adeo perditè veneficam mulierē adamauit, vt formoſam, & honeſtam vxorem ſuam vnà cum filijs reliquerit, & cum pellice, ſuorum immemor, vitam eo vſque traduxerit, donec vxor de maleficio monita eò conceſsit, & clam maleficij inſtrumento perquiſito, inueniſſet ſub lecto bufonem ollæ incluſum conſutis oculis, eo igitur abrepto, & ſolutis oculis, poſtea cremato, cōfeſtim vir ſuorum recordatus, tamquàm è ſomno ſurgens, ad vxorem, & filios eſt reuerſus.

lib. 3 ca. 6. Ceſalpiu. cap. 10. de dæmonol. in vet. g.

De Maleficio incendiario. Cap. V.



Doctrina.

Genimina infernalium viperarum Lamiæ, vt quæ ſunt diabolo addictæ, ad quoduis malum ſunt ſemper paratę manus extēdere, ſemper enim fraudem ſtruunt, in malo obſtinatæ, & diuerſis mortalibus culpis implicatæ. parentes proprios, filios, & quoſuis propinquos deteſtantur: pauperes grauant, & prædantur. ſocijs peſsimis ſibi ſimilibus connumerantur, & coaptan-

tur, Diuina pacta aſpernantur: Deo obedire, credere, & ſeruire dedignantur, imo illi ſemper aduerſantur tamq̃ proteruæ, mordaces, fœdæ mendaces, falſæ, rapaces, ſuperbæ, voraces ſeueræ tenaces, diſcordes, fallaces, ac crudeles, idcircò nō ſolum diabolicis operibus animos inflammant, ſed, vt facile apparreant eſſe ignis infernalis alimenta, corpora, domos, & integra Oppida igne in fauillas redigunt. Quia eorum domus, eſt domus ardoris. Abdie. 1. erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph, flamma. Domus erroris. Ezechi. 10. domus repleta eſt nube, Domus horroris. Oſea 6. in domo Iſrael vidi horrenda. Domus furoris Eccleſ. 4. noli eſſe ſicut Leo in domo tua, euertens domeſticos tuos. Domus guloſitatis. Amoſ. 2. uinum damnatorum bibebant in domo Dei ſui. Domus ſuperbiæ. Amoſ. 6. Veh uobis qui opulenti eſtis in Syon optimates, capita populorum ingredientes pompatice domum Iſrael. Domus indigentiæ. Aggei. 1. domus mea deſerta eſt. Domus impietatis. 2. paralip. 36. interfecit iuuenes eorum gladio in domo Sanctuarij. Domus rapacitatis. Eſai. 3. rapina pauperis in domo veſtra. Domus mendicitatis Michee. 1. domus mendacij in deceptionem regibus iſrael. Domus fraudulentiæ. Hierem. 5. domus eorum plene ſunt dolo. Et tandem domus miſeriæ. Sophon. 1. erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in deſertum.

Exempla.

lib. 2. cap. 3. REfert Remigius, quòd Leherij, quædam Saga, cui nomen Iana Nigra Armacuriana, obnixè quidam à Franciſca Huyna contenderat, quod cum impetrare nequiret, in deſiderium vindictæ exarſit, nam accepto à Dæmone, linteolo quo erant inuolutæ minutiæ quædam inſtar fœni diſſecti ſtatuit clam illud deponere in Huynæ ædes, ac propere faceſſere, fore enim, vt non multo poſt flammam corriperet ſubito, vnde ille cum omni ſupellectili conſumerent. linteolum igitur glomo obuoluit, ac Huynæ, tum forte aliquid in furnaria agenti, venale offert, in tele quam ille adornare audierat licium, ſed cum negaret eò ſibi opus eſſe, quod ex domeſticis operis ſperaret plus ſatis ſibi futurum, nihilominus bona illa in piſtorium locum, qui prope erat, abiecit, addens ſe, ſi tum id vſui eſſe non contingeret, cum vellet reſtituturum, ac vix pedem extulerat, cum deflagrare cœpit cella illa farinaria, quæ depoſitum glomum continebat, deinde vniuerſa domus adeo præcipiti ardore, atque incendio, vt nullum ei remedium

um ſatis maturè adferri poſſet, res vtriuſque diſſerta, atque ſeparata aſſertione, ſimul & ipſo euentu fidem ſibi apud omnes indubitatam vindicauit.

Minus latens Incendium, ſed pernicioſius fuit, quod Lycoſthenes teſtatur. Ille ſic in Epiſtolis, Oppidum eſt in Heluetia nomine Schiltach, quod totum ſubito conflagrauit, eiuſque incendij cauſam, quantum illius loci municipes apud Friburgi *Magi*ſtratum renunciarant talem fuiſſe rumor eſt. Dæmon ſibilo ſignum dedit è quadam ædium parte, Caupo ſuſpicans eſſe furem, aſcendit, neminem reperit, ſed idem ſignum rurſus ex alto cœnaculo redditum eſt, & huc conſcendit Caupo, furem perſequens, cum nec illic quidquam appareret, ſibilus auditus eſt è faſtigio fumarij: illicò tetigit Cauponis animum eſſe Demoniacum quiddam; iubet ſuos eſſe præſenti animo, accerſiti ſunt Sacerdotes duo: adhibitus Exorciſmus. Reſpondit ſe eſſe Dæmonem. Rogatus quid illic ageret, ait ſe velle eruere oppidum: minitantibus ſacrificis; reſp. ſe pro nihilo ducere illorum minas, Aliquanto poſt, mulierculam, cum qua habuerat conſuetudinem annis quatuordecim, cum interim illa quotanis confiteretur, & acciperet Euchariſtiam, ſuſtulit in aerem, impoſuitque fumarij faſtigio, tradidit ollam, iuſsit, vt inuerteret, inuertit, & intra horam totum oppidum combuſtum eſt.

In prodigijs. 4. Idus April anno 1538.

Paucis ab hinc annis, cùm per Rhenanum tractum Incendiarij quidam graſſabantur, qui in aliorum domibus gladium, haſtam, ſcipionem, vel quid aliud caloris, aut ignis expers deponebant, atq; mox, poſt aliquot horas, inde prorumpens flamma quaſi ex malecolis ædes conſumebat.

Dæmon vult hæreditariam proſapiam in Sagis. Capit. VI.



Doctrina.

CVm dœmones, iuxta Auguſt. de ciuitate Dei, ſint ſpiritus nocendi cupidiſsimi, a iuſtitia pœnitus alieni; ſuperbia tumidi; fallacia callidi, à Deo voluntariè peruerſi, & auerſi, in malitia obſtinati; mente ſubtiliſsimi, humanæ ſalutis inuidi, & abſq; omni lucro ad nocendum hominibus ſemper parati, tentationes varias ſolent immittere, quibus mentes decipiunt, afflictionem enim, & damnationem humanam ſummopere appetunt id circo, niſi a Deo, vel ab Angelis bonis coerceantur, quanto magis nocuerint, tanto nocere amplius delectantur iuxta *Gregor.* a Cauſa verò cur homines ſuis fallacijs irretire cupiãt, multiplex aſſignatur. Prima eſt, ad corrumpendam fidem ſalutarem erroribus, & ſuperſtitionibus. Secunda, ad conſeruandum hominem in illis. Tertia, ad inducendam viam contrariam virtutibus. Quarta, ad confirmandum hominem in ſuis iniquitatibus, vt finaliter pereat & damnetur. Quinta, & vltima, vt homo patiatur ægritudinem, & afflictionem, vt ne iraſcatur, & Deum offendat. ſic Henricus de Aſia ſuper Geneſim. Hinc fit enim quod.

a 1. mora. cap. 32.

Sortilegij lues, ſæpe in liberos ipſa parentum labefactatione,

ác veluti contagione demanat; dum ſcilicet Cacodæmonum ſuorum gratiam eo facto inire illi ſtudent. Infinita enim, atque inexplebilis ſemper fuit Sathanæ auiditas: ſic, vt in quam familiam ſemel pedem intulerit, inde nunquam, niſi ægrè retuliſſe auditus ſit. Et hoc quoque inter alia indubitatum, certumque inditium ſemper habitum eſt contra eos, qui ſortilegij poſtulati, ac delati ſunt: quod reperirentur ijs ęditi parentibus, qui illius criminis ante fuiſſent damnati. Et hæreditarij criminis exempla quotidiana apparent in liberis, ſi quidem Dæmon precipuè ſatagit ſuos indies numero cumulatiores, vt habeat: quę res illi in procliui magis eſſe nequit, quam ſi eos. quos iam in poteſtate habet, ad liberorum talem corruptelam adigat, & impellat.

Et ideo, vt plurimum conuertuntur in foetentes, & luxurioſos, ſicuti conuerſi ſunt ſocij Vliſis in porcos a Circe Maga potione. ✠ pſal. conuertit aquas eorum in ſanguinem; Fiunt tumentes, & ſuperbi, vt fuit mutatio Hippomenis & Athlantis qui à Cybele cōuerſi ſunt in Leones, ſic iſti conuertūtur in Leones, ideſt, crudeles homines, & ſuperbos. Fiunt frementes, ambitioſi, furioſi, iracundi, & inuidi, ſimiles Hecubæ Reginæ Troianæ que in canem fingitur conuerſa propter rabiem, & furorem. pſal. conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius: nec eſt mirandum, quia cor eorum eſt malitioſum, pernitioſum, preſumptuoſum, obliuioſum, tortuoſum, infatuatum, in malo duplicatum. Hæc autem eorum in peius conuerſio, alio modo dicitur crux impiorum, & damnatorum quæ eſt crux peccati, & omnis generis vitiorum, qua plectuntur delinquentes, qui omnes plus habent de cruce, cruciata, & triſtitia, quàm de gaudio, & lætitia, vnde dicebat S. Bernardus. O'ambitio ambientium crux &c, hæc crux, eſt, laboris crux in executione; doloris in conſcientiæ remorſione, timoris, in ſalutis deſperatione, & figuratur in ſeptem filijs Saul Regis, qui crucifixi fuerunt a Gabaonitis *a* vnde, de Piſtore Pharaonis, qui ſignificat guloſos: de Aman, qui honorari cupiebat, & ſignificat ambitioſos: de Rege Hay, qui ſignificat ſuperbos, & glorioſos, ligitur Gen. *b* Heſter. *c* & Ioſue. *d*. quod omnes in cruce ſuſpenſi ſunt, fortioribus enim fortior inſtat cruciatio. Eſt etiam crux damnatorum qua æternaliter cruciantur; de hac Apoc. *e* ſi quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem eus in fronte ſua cruciabitur igne, & ſulphure in cōſpectu Angelorum ſanctorum. Beſtia eſt beſtialitas peccati, ideſt motus brutalis in cogitatione; imago eius eſt imaginaria, & falſa delectatio; character eſt impreſſus conſenſus: & opera: qui igitur

a 2. Reg. 21
b. 41.
c. 7.
d. 5
e. 13. & 14.

ista

iſta accipit, crucem & cruciatum in Inferno ignis, & ſulphuris ſuſtinebit.

Exempla.

Serræ 14. Cal. Febr 1587. NIcolea Morelia, nondum puberem ſe ad nocturnos dæmonum conuentus à patre fuiſſe deductam faſſa eſt. Alia fuit quæ, quamuis nondum eius ætatis eſſet, quæ muliebris patientiæ legem poſſet accipere dicit tamen ſe procul à matre ductam fuiſſe in denſam ſyluam, vbi lepidum adoleſcentem nanciſceretur quem illico facilè reperiret, quod & ita vti prædixerat, euenit, ſed vt illum in amplexus admiſit, ſenſit illico ſe illuſam: viſa eſt enim ſibi e marmore ſtatuam aliquam complecti, adeo rigidus, & grauis incumbebat.

Vergauillæ menſ Iul. 1568. Enricus, & Catharina parentes, Hennezelio filio ſuccubam dederunt in vxorem. Ei quantum illi primo acceſſu aduertere licuit, crinale, & veſtes erant atri coloris, pedes equinis vngulis deformes: nec eam tamen ob id minus deperijt, ſed ſtatim concubitus voluptatem ſacrorum omnium abiuratione auidiſſimè depactus eſt; verum quaſi in frigida oppletam ſpecum immiſiſſet re impedita, atque imperfecta, pudens, ac dolens abijt.

Girunecariæ menſe Octobr. 1586. Dominicus Petronius, cum nondum annum duodecimum ætatis ſuæ attigiſſet, itidem ad nefarios illos cœtus a matre, vt vxorem duceret eſt perductus: nam & illi matrimonia frequentari aiunt. Coleta piſcatrix, ac aliæ multæ: imò Bertranda tonſtrix, & Synchen May retulerunt ſe interfuiſſe eiuſmodi nuptijs, cum forte de nocte ibi fierent, ac pro ſolito munuſculo ſatis fuiſſe vocatis nuptijs in anum prono ore ſufflare.

Ruppæ ſecundũ monerium prid. Id. Iul. 1587. Dominica Falluæa, cum iuncos religandæ viti vnà cum matre diuelleret, ac humi iacentes ſe, vt fit a labore recrearent, cœpit poſt aliquos ſermones illam mater monere, ne ad vllius rei aſpectum formidaret, ſi quæ ſe fortè inſolentior oſtendiſſet, nihil .n. eb ea futurum periculi, ac cum hæc dixiſſet, momento aſtitiſſe humana forma aliquid, quod aſpicientibus appareret calceario homini ſimile, erat enim accinctus ventrali ſparſim pice contaminato, a quo tandem cum eſſet in eius verba iureiurando adacta, ac in nouæ militiæ ſignum iniecto in frontem vngue notata, tandem eſt compreſſa, ipſa vidente matre, quæ & viciſſim ſe illi ſtuprandam præbuit præſente ſe filia, inde iuncti manibus in orbem aliquandiu tripudiauere, tandem accepta, vt videbatur pecunia (nam paulò poſt retracta puluis eſſe cepit) dilapſo in auras incubo ad ſua diſceſſere.

Fran-

Franciſca Hacquart, vix annorum ſeptem filiam Ioannam nomine, vt ſe à Dæmonis moleſtia liberaret, dæmoni addixerat, idque inter alia admiſſa qua ſitor fortè indicauerat. Villæ ad Ionam anno 1581.

Cum & ei rei conſentiens eſſet filia, teſtimonium, fidemque præterea maximam facerent ea, quæ ipſa de nocturnis, quibus ſe interfuiſſe dicebat Sagarum conuentibus certa, ac propria afferebat, cępit & omnium opinione eiuſdem criminis cum matre manifeſta teneri. Sed quia indigna ætas videbatur, in quam lege ageretur (nam nec vllum malum adhuc venenum feciſſe inueniebatur) loci domina recepit creaturam apud ſe, vt ab nefanda illa conſuetudine, quàm ſanctiſſimis fieri poſſet inſtitutis abduceretur. Ergo ſupplicio affecta matre, ſic apud Matronam quandam ſeruatam, ac monitam per aliquod tempus habuit, vt reſipuiſſe, ac priſtinam libertatem, excuſo Dæmonis iugo recuperaſſe omnibus videretur. Sed malum, cum nocte quadam inter ancillas media ſuo more decumberet, ſublimem illam dæmon rapuit, quaſi ſecum ablaturus, feciſſetque, vt creditum eſt, niſi ab ancillis allatum eſſet impedimentum, inuocato ſæpius nomine Ieſu. Sic diſturbatus, prædam inter tabulati tigna prædictam, ac pendentem reliquit, & abijt, nec id commentum fuit Ancillarum vanum in uulgus rumorem ſpargere geſtientium. ſed ipſa totius uiciniæ, quæ ad illarum clamorem accurrit, oculis res cognita, ac perſpecta. Tum in filia ſtupor, ac conſeruatio miſerabilis, media, ſilentium, uigiliæque octo djerum, ac noctiũ perpetuæ ſatis indicio fuere, nihil horum per fraudem, & malitiam affictum, excogitatumque fuiſſe, nam ultra ſeptimum diem incolumi uita non poſſe perferri famem auctor eſt Plinius, quòd ſi ad undecimum trahi aliquando contigit, quemadmodum & is annotauit, id, uti quomodo narratũ eſt, præter naturam eueniſſe fatendum eſt. Hiſt natural. lib. 11. cap. vlt. Lib. 2. c. 3.

*M*eminit Remigius legiſſe ſe in iſtiuſmodi reorum quæſtionibus, qui faterentur ſe in extremis unguibus uenenum habuiſſe abſconditum, quod à parentibus accepiſſent, eiuſque affricatione inter colludendum æquales ſæpe infeciſſe, ac necaſſe.

Vnum nunc ſuppetit, quod ille loco citato deſcribit, de nondum ſeptenni infante Laurentio Arſelaienſi, quem non modò conſtitit, ex ipſius etiam diſertis uerbis, ad nefarios dæmonum conuentus à parentibus fuiſſe deductum, ubi uertendo ueru, aſſandiſque carnibus miniſter adhibitus fuerat, ſed & ab ingerente Magiſtello ſe, qui ſibi Verd Ioli nomen fecerat, uenenum non ſemel accepiſſe, quo eorum, qui uel leuiſsimam exhibuiſſent moleſtiam Serræ. 5. cal. Iun. anno. 1598.

leſtiam

leſtiam,iumenta deinde necaſſet, vti euentus ipſe comprobauerat.

De Maleficio Amoris, & odij
Cap. VII.



Doctrina.

AMatorium maleficium,uel odioſum,eſt quidquid dicitur,aut,fit,datur uè,ut in amorem,Veneriſq; furias, uel odium quis inducatur. De his maleficijs exactiſſimè diſſerit Grillandus *a* his uerbis. Amatoria Sortilegia,uel fiunt intra corpus,uel extra illud, ſcilicet, maleficiandi. In corpore ſolent fieri ut plurimum per cibum, uel potum; in his admiſcent frequenter Sacramenta Eccleſiæ Catholicæ,uel hoſtiam conſecratam, uel nondum conſecratam, ſed circumſcriptam litteris ſanguineis, & ſuper hanc dici curant, quando unam,quando duas,tres, quinq; uel plures miſſas, quibus celebratis, tradunt ipſam hoſtiam, non integram,ut eſt, ſed in puluerem redactam ſubtiliter, perſonæ maleficiandæ, quam tradunt in cibo,ut in ferculo, uel in potu: Idem faciunt cum magnete alba mixta alijs ſpeciebus,& tradita,ut dixi in cibo,uel potu,quia dicunt illam eſſe naturæ attractiuæ,& ideo poterit cor,& uoluntatem abſorbentis trahere ad amorem perſonæ tradentis. Sed ſunt diaboli nugæ omnes & fallaciæ, hæc ille. Alia quoq; plurima in hac materia recenſet ſacrilegia,quæ breuitatis

a. de ſorti leg. q.2. ar. n.15. & q. 5. ar. nu. 2.

gratia

gratia omitto,& qui volet,poterit illa apud ipſum legere. Sed addi etiam poteſt adeo nefarios eſſe hos ſortilegos, vt fœminæ viris ſua menſtrua, & viri ſemen ſuum in cibum, potumque alijs permixta, & certis verbis condita præbeant, quod multorum conſtat confeſſionibus. Item ſtercora, & alia huiuſmodi excrementa, & ſpurcitias,vt tradit ſprengerus. ſequitur deinde Grillandus.

Extra corpus autem, ſiuè extra inteſtina fiunt maleficia amatoria,per aliquas mixturas compoſitas ex herbarum folijs, vel radicibus, metallis, & reptilibus terræ, plumis, inteſtinis, membriſuè auium, piſcium, vel animalium, aliarumuè ſimilium rerum naturalium. Adde inſuper expetere,vel capillos, vel vnguium ſegmina,vel faſciem,vel quid aliud veſtimenti,quod ſolitum eſt tangere corpus maleficiandi,& ſi quid huiuſmodi habere non poſſunt,ſaltem Epiſtolam, vel quid aliud ex eius domo, & tunc adhibent quaſdam ligaturas, quibus hæc inuoluta conſuunt in tunica, vel alia veſtitus parte maleficiandi, vel abſcondunt ſub capite lecti, vel inter plumas,vel anaclinteria,ſuper quę ipſe dormit,aut ſub limine oſtij, vel alterius loci, ſuper quo ipſe maleficiandus vir, vel mulier ſunt tranſituri. In his admiſcent Sortilegi ſæpe aquam benedictam, ſcilicet, fontis baptiſmatis, aut communis exiſtentis in Eccleſia,aut oleum Sanctum baptiſmatis,Chriſmatis,vel extremæ vnctionis; ramos oliuarum benedictarum,ramos palmarum: candelas benedictas: Sacros Agnos Dei: thus benedictum: cereos paſchales:& ſimilia. Aliquando accipiunt, ſi quas habere poſſunt reliquias Sanctorum Martyrum, vt puta, oſſium particulas,capillorum, vel veſtium. Alij capiunt fruſtula quædam indumentorũ Sacerdotalium, vel aliorum panniculorum, quibus vtuntur ad Sacra miſteria,vt camiſiæ,purificatorij, corporalis, tunicellæ, manipuli, amictus, ſtollæ,candidæ, lapidis ſacrati,mappæ altaris,patinæ, ſudarij,calicis &c. Et illorum partem admiſcere ſolent in ſortilegijs armatorijs,adhibitis precibus nephandiſſimis, & diabolicis verbis ad turpes libidinis actus, tot Sacramentorum,& aliorum ſacrorum perpetrantes abuſum.

Subdit tertio loco aliud quoddam genus ſorlilegij amatorij,his verbis. Quidam ex his, qui ſunt expreſſæ profeſſionis, deferunt quandoq; imagines quaſdam ad loca ſacrificiorum, confectas vel cera, aut ex alia qua vis materia, illaſq; baptizant prius nomine perſonæ maleficiandæ,ſub deuotione & inuocatione diaboli, cum eiſdem cæremonijs, quibus vti ſolet Eccleſia Sancta Catholica in Baptiſmate,& addunt quædam verba turpia, & nefanda; quibus imaginibus quandoq; aperiunt pectora,& ipſarum corda,ingenti

calore ignita reddunt, aut tantum detinent, quoad liquefiant, putantes, quod eodem modo cor hominis maleficiandi ſimiliter comburatur, vel molificetur, & obediens reddatur ad votum ſortilegi, vel amantis. De his imaginibus meminit Virgilius in pharmaceutria.

Limus vt hic dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit
Vno eodemq; igni, ſic noſtro Daphnis amore.

Ouidius quoque in libro Heroidum, ſic ait.

Deuouet abſentes, ſimulacraq; cerea fingit,
Et miſerum tenues in iecur vrget acus.

Sed quod iſti referunt ad amatorium maleficium, videtur potius ad hoſtile referendum. Hac tempeſtate etiam ad hoſtile maleficium Buffones baptizant, & eis, (horrendum dictu) Sacrum Chriſti corpus deglutiendum exhibent, ſic quotidie fit peior mundus, & homines in grauiora ſcelera præcipitantur. De amatorio philtro vnum exhibebo exemplum; ad odium exempla alibi inuenies, in maleficio ligaminis.

b lib. de inueſt. dæmon, c. 10. Quoad maleficium, ad odium, ſcribit Andreas Cæſalpin. *b* ſolere Sagas, ſub limine, vel in angulis domus, capita ſerpentum, & pelles defodere ad odium conciliandum. Sed hæ quiſquiliæ ſigna tantum ſunt pacti conuenti cum diabolo, nam maleficium odij authorem habet diabolum, non enim naturalia pharmaca poſſent aliud quàm hominem atro, turbidoq; ſanguine, & quadam melancholia graui afficere, item humores nimis adurere, vel frigus noxium inducere, vnde oriatur quædam ferocitas, moroſitas, crudelitas in vniuerſum, qualis eſt in ijs, qui lupina inſania laborant. Dirigit poſtea diabolus hoc odium in certam perſonam, omnes oportunas imagines phantaſiæ odio obijciens, & velut ante oculos ponens, & in memoriam reducens, cum amaritudinis miris modis, & cauſis, adeòut, cum illa recurrunt animo, vix poſſit homo non grauiſſimè irritari, & excandeſcere, etiam in illos, quos hac perturbatione ceſſante ardenter amat.

Nunc, reliquum eſt videre quid poſſit diabolus, in his amatorijs philtris. Sciendum igitur eſt, quod diabolus, vt hominem decipiat, ſolet præbere ſe ſe magis ſapientem, & doctum, quàm reuera ſit, fingens ſe futura ſcire, quæ tamen non ſit, vt alibi docui. Oſtendit ſe ſupra vires ſuas præpotentem dum fingit omnia ſibi ſubdita eſſe, ſicut quando dixit Chriſto: hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me, tunc enim mentitus eſt, quia diſponere non poteſt de eo, quod Dei eſt, quamuis poſſit Deo permittente aliquos iuuare bonis temporalibus, vt eueniet de Antichriſto. Studet

insuper

inſuper efficere, vt credamus ſe poſſe corpus, in aliud corpus commutare, id eſt, homines in iumenta transformare, & mentitur, quia vniuerſi ordinem peruertere non poteſt; & ſi dixeris ipſum dæmonem alias ſocios Diomedis in auiculas tranſmutaſſe, reſpondeo, homines illos ſubmerſos apud Inſulam Tremitem fuiſſe, ſed illicò diabolus euolare fecit volucres, vt crederent gentes. Idolatræ, homines illos in volucres migraſſe. Et ſi quis obiiceret factum de muliere loth, quæ in ſalis ſtatuam conuerſa eſt, & ita dubitare. Reſp. non eſſe in hoc facto dubitationis locum, quia ſi tranſmutatio illa facta fuit miniſterio bonorum Angelorum, non tamen virtute propria, ſed Dei virtute factum eſt. Fingit etiam diabolus ſe voluntatem noſtram mouere, ac illi dominari poſſe, ſed à Deo hæc fieri certiſſimum eſt. Si verò diabolus impellit illam ad amorem, vel odium, hoc fit in appetitu ſenſitiuo, commouendo ſpiritus, & humores, & obijciendo virtuti ſenſitiuæ aliquid corporale, quod vi ſua illam attrahit in ſui amorem, vel odium, voluntati autem noſtræ, quæ in Dei, & hominis poteſtate eſt ſolum, vim inferre minimè poteſt. Inducit ergo diabolus homines, & mulieres ad amorem, vel odium, non inferendo vim voluntati, ſed mouendo appetitum ſenſitiuum virtute, ſiue apparitione alicuius rei corporeæ, quę flectit, & impellit hominem ad actum venereum, & ad deſiderium coeundi cum illa, & quo vehementior eſt, eo fortius inclinat, & quaſi abripit aliquando, nunquam tamen voluntati vllam neceſſitatem imponit. Appetunt mulieres amari, & propterea dedunt ſe incantationibus, faſcinationibus, veneficijs, & huiuſmodi, in quibus, conſtellationes, & planetarum motum, præcipuè verò Solis, & Lunæ obſeruant. Lucanus c ſic ſcribit. c lib.6.Farſal.

Carmine Theſſalidum dura in præcordia fluxit
Non fatis adductus amor, flammiſq; ſeueri
Illiciti arſere ignes, nec noxia tantum
Pocula proficiunt, aut cum turgentia ſuccæ
Frontis amaturæ ſubducunt pignora fœtæ.

Teocritus & Virgilius egerunt de carminibus, quibus inficiebantur amatores. Dioſcorides ſcribit Circem conſueuiſſe in veneficijs amatorijs vti Mandragora: idem confirmat Theofraſtus *d* d lib.9.c.10. Virgilius, *e* qui vt ait Macrobius, omni ſcientia imbutus erat, affirmat indubitanter, incantationibus hominem velit, nolitque ad amorem cogi poſſe, nis verbis. e Eneid.4.

Hæc ſe carminibus promittit ſoluere mentes,
Quas velit, aſt alijs duras immitere curas.

Incantationes, & ad amorem potiones, ſunt ſæpe, non ſolum

 morbi

morbi cauſa, ſed etiam mortis, vt ait Ouid.

Philtra nocent animis, vimq. furoris habent.

Scribit Euſebius Cæſarienſis, Lucretium ſeipſum occidiſſe, prius tamen, ob potionem amatoriam, quam eius vxor Lucilla ſumendam exhibuit, furioſus factus. Quare Sanctus Hieronimus ſcribens ad Ruffinum, ait. Lucilla decepta furorem propinauit, pro amoris poculo. Hyppolitus Marſilius Iuris peritus, ſcribit multos occubuiſſe propter comeſtibilia, & potabilia ad amorem facta. Sed tranſeamus ad Doctores catholicos. Sanctus Hieronimus in vita S. Hilarij ſcribit. Iuuenem quendam, amore Sacræ Virginis captum, poſt multas amatorias litteras, poſt dona, obſequia, & alia, diu, fruſtra tamen fatigatum, vt eam ad amorem ſuum alliceret, tandem incantationibus eam adeo exarſit, & coegit ad amorẽ vt proiecto ſacro velamine, frenetica facta ſit, & nunq; deinceps intermiſſerit acclamare, Iuuenis illius nomen. Idem ſcribit S. Gregorius in vita S. Equitij Abbatis. Nulli igitur dubium eſſe poteſt, quin diabolus, & Magus diaboli auxilio fultus, poſsit homines ad amorem, & odium impellere, quomodo autem id fieri poſsit, intelliget, ſi ad ſuperius dicta animum accomodauerit. Extrahit enim diabolus vi ſua a Theſauro fantaſię ſimulacra ibi repoſita, illaq; virtuti ſenſitiuæ repræſentat, mouet, & trahit humores, ſpirituſq; qui in corpore ſunt, & ſic diſponit voluntatem ad amandum, uel odio proſequendum quamlibet perſonam, quando à Deo non impeditur; concludamus.

Hiſce philtris amatorijs, quod nullius uoluntas cogi poteſt, ad quem non vult, amandum, ſed bene poteſt imaginatio perturbari, humores concitari, & totum corpus interius quaſi accendi ad eò, vt quis, diabolo uarijs tentationum e illecebris interius certante, furore quodam libidinis uexetur, & ſic uehementer trahatur ad deſiderium carnalis copulæ cum aliquo in genere, quod ſi tunc temporis Maleficus amator accedat, & artibus, quibus ſolent mulierculæ capi, eam inſtanter vrgeat, uel diabolus de illo uno tam aſsidue memoriam, & phantaſiam moueat, exhibendo ſpeciem circunſtantiarum, propter quas amore dignus uideatur, & ſubtrahendo eas, quæ indignum redderent, facilè fit, ut in naſſam præda cadat Notandum tamen eſt, minus eſſe noxia philtra, quæ non dantur intus ſumenda, quia, ſi per nudas incantationes facta ſunt vt plurimum nocent ſolum menti: ſi per illigationes, aut contactum extrinſecum, etiam corpori ſolent nocere, ſi habeant venena mala admixta, quod in his non frequens eſt ſi verò

dentur

dentur in potum, & cibum, ſolent vt plurimum valetudinem vehementer debilitare, & de mentis ſtatu deijcere, quia eorum ingredientia ſolent eſſe admodum periculoſa. vt ſunt fluores menſtrui, ſperma, cerebrum felis, vel aſinini pulli, vterus Hyenę, uirga lupi, remora, oſſa rubetæ, ſinci, ſed præ cęteris, Hippomanes, quod cum ſit triplex, de illo intelligo videlicet, de pellicula, quæ reuellitur a fronte pulli equini recens nati, cuius odor equas in furorem adigit. iuxta Ariſt. lib. 6. hiſt. animal. cap. 18. Plinius lib. 8. cap. 42. quam noxium ſit hyppomanes docet interitus Caligulæ, qui mortuus eſt, cum ei Ceſonia hoc potandum porrexiſſet Ex his igitur hactenus deductis, poteſt vnuſquiſq; clarè percipere, quod quamuis diabolus ſit ſapiens, & multa poſſit, non idcirco eius ſcientiam, & poteſtatem in nos, niſi ſic Deo permittente, exercere poteſt, quia ſæpenumero confunditur, quando ſemel hoc, & illud egit Dei permiſſione, & non poteſt iterum, vel alio tempore idem, in eodem efficere homine, re enim ipſa compertum eſt diabolum non potuiſſe infideles ſuis commentis ad amorem declinare, vel odium, ſic permittente Deo, occulto eius quodam iudicio, ſic exigente, quod nos inueſtigare, non licet.

Exemplam.

THomas Boſſius, Oratorij præsbiter, lib. 14. cap. 7. de Notis Eccleſiæ hec ſcribit. Nouum miraculum contigit Aufidi in Piceno. Siquidem, anno 1273. quædam mulier cum ſumpſiſſet ore Euchariſtiam, nō deglutijt, ſed ſeruatam ſecum detulit, vt illa vteretur ad amorem mariti ſibi concliiandum per veneficia. Quamobrem, ſic malis artibus edocta, ſuper prunas in tegùla repoſitas proiecit, quo, facto (mirabile dictu) cœpit Euchariſtia apertiſſime in carnem conuerſa, latè ſanguinem emittere ita vt prunas extinxerit, neq; cohiberi potuit cruoris eruptio, donec canduerunt carbones, quamuis mulier nihil non egerit, iniciēdo cinerē, pulnerē ceramq; apponēdo. Tum nouo euētu attonita, linteo tegulam cum carne Diuina, & ſangnine inuoluens, ſtabuli propinqui ſtercoraminibus inuoluit, & infodit. Latuit factum annos ſeptem, quamuis aliquot mirabilia euenerint, quæ vndè naſcerentur, aliòs latebat, ſed non mulierem, facti, ac ſceleris ſui conſciam. Ijs exactis illa tandem aperuit rem Sacerdoti, qui cum ſe eo contuliſſet reperit intactam carnem ſanguinemq; recentem, & linteum illæſum. Miraculum patefactum, cunctiſq; diuulgatum eſt, ex omnibus locis, innumeros ad ſui ſpectaculum

commo-

commouit, & commouet adhuc, poſt annos trecentum quinquaginta. Conſpicitur enim caro, videtur ſanguis vitreis ambullis inclusus, ad tantæ rei memoriam ſempiternam, neq; poſt tanta temporum interualla: quidquam ex ijs eſt corruptum, aut tabefactum. Ecce quomodo Deus mulierculæ ſortilegium, inhibuerit. de ſortilegio odij, iam aſſignaui exempla.

Sagarum diuerſi in genus humanum modi uindictæ.
Cap. VIII.



Doctrina.

MVlier ex ſui natura leuis, & ea præcipuè, quæ in diaboli tutella eſt, inſtar arudinis à vento agitate in hanc & illam deflectit partem, de malo in peius ſemper ruens, quo fit, vt procliuius ſit ad iracundiam; effrontè obſtinetur: ſictè conuerſetur: ſuperbè eleuetur: acerbè effrenetur, verboſa, & garrula: imò doloſè amicatur, vt noceat, verbis iactatur curioſa, anxiè ſolet inimicari, & doloſè inquietari, idcirco ad vindictam ſemper parata, quia ſemper æſtuat igne luxuriæ, diſcordiæ maliciæ inuidiæ, Sæuitiæ, iracundiæ, auaritiæ, ac cuiuſuis generis nequitiæ. In ea enim deficit humilitas, cum per ſuperbiam intumeſcit pſal. deſecerunt in vanitate dies eorum. Deficit pietas, cum per auaritiam exareſcit pſal. defecerunt ſicut fumus dies

m ei,

mei, item pſal. eſurientes, & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit, nam eſurire, & ſitire, ſignificat ardorem, & inſatiabilitatem auaritiæ. Deficit caſtitas, cum per luxuriam inſoleſcit Eccl. 26. in filia non auertente ſe, firmam cuſtodiam adhibe, ne inuenta occaſione abutatur ſe. Deficit veritas, cum per fallaciam teneбreſcit. pſal. ſaluum me fac Deus, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum. Deficit firmitas, cum per accidiam computreſcit. Eccleſ. 22. Super mortuum plora: deficit enim lux eius: mortuus enim, qui non poteſt ſe mouere deſidioſum ſignificat.

Deficit charitas, cum per inuidiam refrigeſcit. Hierem. 6. defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum. Deficit honeſtas cum per inſolentiam expalleſcit. Eſai. 15. defecit gramen viror omnis interijt; deficit iucunditas, cum per triſtitiam obſtupeſcit: vnde Thren. 5. defecit gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter, veh nobis, quia peccauimus. Deficit vnitas, cum per diſcordiam euaneſcit. Zachar. 13. percute paſtorem, & diſpergentur oues gregis, diſperſio enim, diſcordiam, & diuiſionem ſignificat. Deficit ſtabilitas perſeuerantiæ, cum per deſiſtentiam diſſueſcit. Eſai. 40. deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent, per pueros, & iuuenes, homines imbecilles denotat, qui ad modicam tribulationem, vel laborem ſolent deficere, per impacientiam turbari, & per inconſtantiam deperire. Deficit tandem fidei ſinceritas, cum per doctrinæ carentiam conſeneſcit. Amos 8. deficere facitis ægenos terræ. Ideo.

Ab re non eſt, quòd paſſim formidabiles ſunt, qui ſortilegij ſuſpecti habentur: quam vis enim non eſt illis infinita, quibus volunt nocendi poteſtas, vti in Sarræ maritorum percuſſore Aſmodeo innotuit. Quoniam tamen noſtra nos, ſic volente Deo, peccata illorum iniurijs ſæpe obnoxios reddunt, & nemo eſt adeò integer vitæ, ſceleriſq; purus, quem admiſſi alicuius conſcientia, nõ ſtimulet, ac terreat: nemo in colenda religione tàm attentus, & diligens eſt, cui præcipitantibus fortè negotijs non accidat, eas preces, votaque omittere, quibus ſe in Dei præſidium, ac tutellam quotidie commendare ſolet, non iniuria metus ille ſecuriſſimum quemq; tentat, atq; afficit. Tum quotidiana eius rei experientia ſatis eſt documento, quã non leue ab ea re periculum plerunque nobis impendeat. Siquidem, non ſolum inopinantes, ac ſæpe dormientes de nocte venenis ſuis aggrediuntur; ſed etiam vigilantibus ſic ſtruunt inſidias, vt humano Conſilio, ac prouidẽtia

tia vix vitari poſse videantur. Extant quidem variæ de his in alijs huius libri partibus narrationes, quę lectori in hoc abundè ſatisfacere queant, verum quoniam ſe denuo hic ingerunt, & non omnino iniucunda, ingrataque futura eſt eorum commemoratio non pigebit, & ſequentia paulo copioſius illis aſcribere.

Exempla.

VXorem admodum adoleſcentem duxerat vir ſenex, ianuæ Caſtri Baſſumpetrani tum forte cuſtos. & alterius, cum qua ante nuptias ſtupri conſuetudinem habuerat, etiamnum vxorem attrectabat: dolens igitur illam Mæcam ſibi præferri, nec ætatis flore, nec formæ liberalitate vlla ex parte conferrendam: vicinæ mulieri (vt fit) ægritudinem ſuam aperit, conſiliumque, ſi quod habet, ſibi ſuper ea re dari poſtulat. Iubet vicina, Laire vocata, eam bono eſse animo, habere enim ſe in promptu, quod illi malo adhibeat remedium, herbulamque ex horto lectam illi porrigit, ex qua ſi ius marito cōdiat, illico miſſum facturus ſit peregrinum illum amorem. Condit in proximam cænam, atque apponit, tum ex illo primū capitis grauedo, deinde ſomnus arctior complectitur, quo poſtridie tandem ſolutus: ademptam ſibi virilitatem omnem, non ſine pudore reperit, narrat tamen vxori infortunium, quod alioqui illam diutius celare non poterat, quæ ſe ſua imprudentia, ac leuitate deceptam videns, quòd cum partem alteri inuidet, tota ipſa excidiſſet: rem omnem marito, vt incępta, perfectaque fuerat, aperit, erratique veniam petit, huius in eum amorem, quo illum ſummo proſequebatur cauſam reijciens, ignoſcit facile maritus, qui ſciret ſe ad id malum, per laſciuiam, ac libidinem occaſionem primum obtuliſſe, locique Dinaſtæ (huic Franciſco à Baſſumpetra nomen fuit) eius patri ordine omnia exponit: *Is* igitur officij ſui eſſe ducens, & homini quem habebat in famulatu Sartam, tectamque valetudinem curare, & ſcelus adeò indignum, dignis in muliere venefica pœnis animaduertere: accerſitam, ac minis territam adeò adegit, vt quibus ſic per ſortilegium fraudaſſe videbatur hominem, ea illico illi reſtituturam ſe reciperet, quod, & fecit alia quadam herba, quam deguſtaret, illi data. Sicque ipſa ſuo iudicio comperta, ac deprehenſa, flammis non multo poſt meritū dedit ſuppliciū. Ex quo cōſtat liquidò nihil quidquam veri ineſſe ibi, ſed vbique falli, ac decipi inſpicientium oculos, ſic refert Remig. lib. 2. cap. 5.

Idem. Barbellina Rayel, Ioannem Ludouicum maximo proſequ-

ſequebatur odio,& ideo huic primum traijcienti riuum quendam ac ad molēdinum properanti,adnitente Dæmone, tritici ſaccum vehiculo excuſſit grandem, tum eius equis ſuperiniecit nonnihil pulueris,à magiſtello ſuo medicati, quo factum eſt, vt ex illis duo è veſtigio morerentur, reliqui morbo conflictati, languorem in multos dies traherent. deinde non multo poſt felem mentita, atque hoc habitu eius domum noctu ingreſſa, eodem puluere bimū adhuc puerum lethaliter infecit, tandem, & medicatum pyrum in via,quam isGerbeuilleum contendens inituruserat, depoſuit, quaſi id è viatoris pera forte excidiſſet,quo is imprudenter ſublato,& guſtato, ſtatim graui morbo correptus, vix pre dolore domum pedes ſe referre potuit; hæcq;ſingula Dæmonem vti euenerunt,non ſolum prædixiſſe,ſed etiam illud de ponēdo in viam pyro conſilium eius proprium fuiſſe.

Catharinæ Metenſis inimicitias, & odium in ſe concitauerat Lolla Gelea;hanc ob id illa impendio vlciſci cupiebat. ſed qua ratione id faciens noxę ſuſpicionem effugeret, non videbat, quod ſuas inſidias ſciret ab ea diligenter obſeruari, reperit igitur viam Dæmon, qua id tuto exequeretur, ac monuit, vt poſtridie cum è fornacibus Salinæ,quæ Duſæ omnium quas habet lotharingia celeberrima eſt,vnà cādentes carbones ſitellis ſuis promere domum referrent, præſto adeſſet, cum Lollæ ſua ceu turbine deijceretur, ac in eius os properè halitum ſuum efflaret, ſic enim futurum, vt partum ſuum ante tempus,atque in maximis doloribus eijceret; quod vti verbis præceperat,ita re ipſa eſt conſequutum, namq; ad ſignum deturbatæ ſitellæ a Dæmone per flata Lolla impuro Catharinæ ſpiritu,è veſtigio in vehementiſſimos partus dolores incidit, vixq; domum ſatis maturè peruenire potuit. Duſæ prid. non. Septemb. 1587.

Condei;Iana Granſanctua ſera iam nocte nens ad lucernam ſola, animo voluebat, quomodo de Barbara gratioſa, à qua paſſa erat iniuriam, pœnas exigeret:præſto fuit dæmon felis ſpecie conſpicuus,authorq; fuit,vt limacis teſtā in puluerem comminueret, eoq; illius veſtem conſpergeret: amplexata hoc conſilium obſeruauit ſicuti commodè id explicare poſſet,nec longius illam remorata eſt occaſio, nam repertam Barbaram obſcuro ſtabulo in pecudum præſepia paleas comportantem,vna cum pecudibus,quæ ibi erant, illo puluere ſuffudit,ſuitq is protinus omnibus ad vnum lethalis. Menſe Iul.1582.

Eo poſtea minus noxiè vſa eſt in plectenda filia Antonij Giboſi;nam cum itidem illo eam abundè aſperſiſſet membra eiu , leui tantum morbo debilitauit, ac cum aliquot poſt dies ſanandi ani-

Z nio

mo illam eodem reſperſiſſet, à morbo recreauit.

Doctrina

In quo, hoc aduertendum eſt, pharmacis, quibus ſic vtuntur, nõ eſſe inſitam aliquam vim certam, vel necandi, vel ſanandi, neq; eadem res ad tam repugnantiæ ſimul eff cax eſſe poteſt, ſed ea omnia Dæmonem pro ſua poteſtate latenter moliri, atq; efficere, ſatisq; illi eſſe, ſi Sagæ operi manus tantum admoueant, quo ſe noxę, maleficijq; conſcias reddant ac participes.

Blainuillæ ad a. cuas. 17. Cal. Febr. 1587.

Alexiæ Belhoriæ frequentes erant rixæ cum marito, vt fieri ſolet, vbi quotidiana eſt Domi inopia, atq; egeſtas, reſq; in tantum odium peruenerat, vt iam non voluntate, ſed difficultate vlciſcendi tantum teneretur. Hoc ad ſe dæmon recipit facere, ſi ſe dignũ iudicaret, quem de ea re obſecraret: adhibentur preces, quam dimiſſis verbis voluit: prouinciam ſuſcipit: forte eo die, qui dies erat pridie Natalis Chriſti Domini noſtri, miſer maritus in vicinam vrbem erat profectus, vt ibi emeret, que vſui eſſe ſolent familiæ illis diebus ſolemnibus, ac ſera iam nocte domum redibat. Hunc in itenere violenter correptum, ac uerberibus acceptum dęmon ſemiuiuum deiecit in criptam Donalibariæ (ſic enim appellabatur) ac ad bonam eius vxorem aduolans, ei, que a ſe geſta erant nunciauit: quibus auditis, in uiam ſe dat confeſtim, tum ut officioſam, ſe de hoc eius reditu ſtudio, ac curæ demonſtraret, tum maximè, ut ipſa oculis ſuis uideret, quam adeò pridem animo ſuo concupiuerat illius miſeriam, ac calamitatem: ac tandem iacentẽ, & lamentabiliter in fortunium ſuum conquerentem nacta; Heu mi uir, ait, conobar tibi obuiam, quæ te ſcirem ruri adeò multa nocte redire, ſed quid hoc ſibi uult? quod te ſic humi proſtratum, ac dolentem video? edocta igitur, quod iam ipſa ſciebat, illum ſubleuauit, ac quod potuit humero adminiculata domum reduxit, ubi ex plagarum intolerabili dolore illa ipſa nocte interijt. Poſtridie inclamata uicinia eius cadauer, ut erat cæcis, ac liuentibus ictibus ſaucium, nudum exponit, narratq; uti pridiè ſicariorum manibus elapſus, eo habitu domum ſe inuehens anhelans retuliſſet, quod apud omnes facilè fidem obtinuit, nam neque ea ætate, ac forma erat ut mæchos introduxiſſe putaretur.

Haracuriç. 18. cal. Ianuar. 1586.

Odilla Boncuriana dixit, moris eſſe Sortilegis, qui in facinore deprehendi timent, uenenatum puluerem ibi diſſeminare, qua uiam facturos putant, quibus calamitatis aliquid ſtruunt, ac moliuntur, cui conuenit illud Roſæ Gerardinæ. 1588. quæ Stephanum Obertum popularem ſuum in morbum lethalem conieciſſe faſſa eſt, cum eius limen tali puluere antelucanis horis conſperſiſſet.

Iacobus quoque Agathius eam tollendæ uxoris Hillarij a Banno

nō longè commodiſsimam uiam ſe a Dæmone edoctum fuiſſe me-
morauit. Lab·rij. 9. cal. April. 1588.

Iſabella Pardea: Martha Mergelatia nunquam ſe fruſtra eam contra quemquàm tentaſſe, præſertim ſi hoc a Demone ſuo iuſſæ eſſent facere. Spinali prid. nonas Maij. 1583.

Franciſca Perina, pyra aliquot, quæ ex arbore uicini (Riberiano ei nomen erat) deciderant, tranſiens ſuſtulerat, propter quod ea durius uapulauit, id ergo ipſa dolens, ac aliqua ratione ulciſci cupiens, non longè abijt, quin dæmon explendi deſiderii occaſionem aliquam aperiret, ea uerò fuit iter. quo Riberianus ſummo mane ad operas ſuas contendere ſolebat, herbula, quam tum illi tradidit, ut inſterneret, quod cum feciſſet, ac ille inſidiarum ignarus locum eum eſſet ſupergreſſus, illico in eū morbum incidit, qui uitam illi non multo poſt cruciabiliter abrumperet. Baijs 4. nonas Iunij. 1588.

Barbelina Rayel ſe contra Franciſcum Tibicinem (cuius viciniæ non pridem commigrauerat) id adhibuiſſe, ac cum poſticum per quod pecus adaquabat puluere virulento contaminaſſet, poſtridie ex eius equabus tres eſſe ad præſepe repertas exanimes, atque ſupinas.

Claudius Morelius, cum pro foribus Vuolfangi Hadouuillei affinis ſui id feciſſet, ac eo loci forte iter haberet eius filia, confeſtim contracto morbo ex eo non multo poſt miſerrimè interijt, illac etiam iter habens crus fregit. 1586.

Catharina Metenſis, acerbè ferens Piſtoris cuiuſdam repulſam, a quo mutuum panem rogauerat, & vt hanc rependeret gratiam, dæmonis ſui implorat auxilium: aſtat is momento pro ſuo more diligens, atq; officioſus ad quamcunq; vindictæ occaſionem, atq; ea gratia illi herbas ſuggerit conuolutas papiro, monens vt eo loco illas diſpergeret, vbi frequentior is, eiuſq; familia eſſet, nec mora acceptas effudit in porticum, per quam neceſſarius in vicum erat regreſſus, cui, dum inſiſtit Piſtor, poſtq; eum vxor, & liberi, omnes eodem morbo correpti, non prius conualeſcunt, quam Saga miſericordia ducta à dæmone impetraſſet, ex ea valetudine vt emergerent, atq; in id herbas denuo accepit, quas clam eorum ſubmiſsit cubili, ſicuti facere edocta fuerat ſicque confirmata à morbo valetudine, ad priſtinam ſanitatem omnes rediere. 1586. Duſæ pridi. non. Septemb.

Drigeus, & Odilla, cum in eius pagi, vbi domicilium habebant, collatione, indictioneq; ab exactoribus præter modum (vt ipſi reputabant) eſſent cenſiti, atq; eam iniuriam inſigni aliquo

damno coercere, ac vindicare cuperent, non defuit, qui pro ea offenſione gratum, conuenienſque conſilium afferret, dęmon: Tale autem id fuit, vt ibi quam latiſsime venenum ſpargerent, vbi eius pagi pecus frequentius pabulari ſolebat, quod vt magis eſſet illi in promptu, indicauit poſſe confici ex primis quibuſque, qui ſe offerrent vermiculis, vbi eſſent ſatis ad diſpergendum attriti, & comminuti, hoc igitur cum feciſſent, intra dies paucos periere in eo pago pecudes centum quinquaginta (vt Drigeus dixit) vel centum & ſexaginta (ut Odilla) diuerſi enim interrogati, in cæteris præterquam in numero conuenerunt.

Coſſuræ ad c[illegible] ſalinũ mẽſe Aprili 1582. — Ioanna Foirelia, cum à ſe medicatam offam vniuerſa vicini familia deguſtaſſet, ei tamen ſoli interitum attulit, quem ipſa animo ad cædem deſtinauerat.

Buxerij ad quercũ 3. Calend Martij. 158[illegible]. — Hubertula Buxeriana, huic iniquè iniurius fuerat è municipibus quidam, eumque abundè vltura iam ſibi videbatur, ſi vaccas quinq; quarum prouentu ſe, familiamq; ſuam ſuſtentabat, veneno tolleret: periculum tamen erat, ne in facinore deprehenderetur; ſi ſua manu illud ipſa patraret ſingulas medicata virga contingens, quem morem in aliis ſuis veneficiis tenere ſolebat. Iſto igitur metu, vt eam liberaret eius Magiſtellus, monet, vt antelucanis horis paſcua, ad quæ frequentior pecoris erat appulſus, venenato, quem à ſe ante acceperat puluere, conſpergeret, reſtare quidem primum illam, ac vereri, ne ea lues ad vniuerſum pecus perueniret, cui tamen volebat parcere, præterquam illius vaccis, qué vnum tali infortunio mulctatum cupiebat; recepit Dæmon intra eum quinq; vaccarum numerum futuram omnem noxam, idque euentus tãdem comprobauit, nam ſolæ ille ex omnibus perierunt, aut in morbum inciderunt.

Beherij 5. Cal. Apr. 1588. — Iana Armacuriana, ea ſpicarum faſciculos tres ex agro vicini ſubtraxerat, atq; in Alexię Cabuſiæ proximum hortum, quòd is occultando furto maximè eſſet opportunus, depoſuerat, ſed non ita clam, quin & Cabuſia fortè tum in ſemota aliqua horti parte opus faciente aduerteret, quæ cum, vt eſt mulierum ingenium, uicinis, quòd uiderat palam feciſſet, atque ex eo Iana non modo malè audiret, ſed etiam in diſcrimen aliquod ueniret (nam furti pœna, etiam oleris ex horto alieno ſubducti eſt fuſtium in Lotharingia) dici nequit quanta ira, atq; indignatione in illam exarſerit, vt quæ poſt hęc non ceſſauerit omnes uias, rationeſq; exquirere, quò tam inſignem iniuriam pro libidine tandem exequeretur. Ergo ardentius hoc in ſolutione meditantem, dæmon ille, cui ſeſe addixerat eam aggreditur, increpatque ignauiam, quæ hanc in ani-

mo

mo ſuo ægritudinem paſſa eſſet tandiu reſidere,eum paratum ſe ; atque obſequentem ad quamcunque vindictæ occaſionem, toties eſſet experta,aſſentiretur modo,aut prouinciam demandaret, ſic enim,non longius inultum iri eam linguæ petulantiam ; nec mora, vt ſe id dixit Iana cupere, aduolat ſedulus ille miniſter ad Alexiam (iumenta tum fortè ea cuſtodiebat in paſcuis, atque ex eis vnum, quod in proximas ſegetes euaſerat, ad armentum tentabat reducere) turbidine correptam impingit in humum tanta vi, vt illi crus frageret, de cæteroq; relinqueret adeò ex eo caſu attonitam, vt domum ſemiuiuam referre oporteret.

Sequitur aliud exemplum de Bernardo quodam Bloquatio, quem cum Iana à Banko opus in quodam rure faciens cum bigis prætereuntem, ac fortè argentoratum, vbi merces aliquot compararet, properantem animaduertiſſet, memor pridem acceptarum, & adhuc tamen inultarum iniuriarum, deuotione, ac execratione ſua infortunium illi peperit. Nam vix adhuc imprecari cœperat,cum ille è curru in quo ſedebat præceps tanta vi deiectus eſt,vt illico exanimatus ſit, integro nihilominus toto corpore, nec vel vulnere vllo ſaucio, vel liuore decolorato, vel tumore inæquali,vel denique laxato,intorto,aut vlla ſui parte læſo,vt illi interclusam animam,interceptoſq; omnes vno momento ſpiritus fuiſſe à Dæmone credibile ſit, cui rei fidem, ne quis putet à ſola Sagæ illius confeſſione,eſſe medicatam,ſciat,& ei in omnibus cõſentientem fuiſſe Ioannis Aurigæ, qui in illa profectione Bloquatio operam ſuam locauerat,affirmatione̅,vel multis ante diebus, quam à Saga cognoſceretur,in vulgus ſparſam, atq; indicatam, præterquam quòd necis illius noua, atque in audita ratio argumentum dedit allatæ ab inſolentiore aliqua vi, ac poteſtate infortunij. Mauerij 3. nonas. Iul.1585.

Nanceij, quædam Malefica, cui aſinariæ nomen vulgus fecerat,oſtiatim ſtipem expoſtulare ſolebat,eiuſq;ætas,ac incommoda valetudo,ſic iam miſericordiam potentiorum erga illam concitauerat, vt ab ijs ceu in demenſum aliquid quotidiè acciperet, quod ſatis vitæ haud ægræ tolerandæ eſſe poſſet. Cum igitur ſuo more ſtans ad propræſidis fores eam ſibi dari importunius peteret, ac tum in auſpicato egrediens maior natu eius filius iuſſiſſet in aliam horam,vt faceſſeret, quòd tunc forte domeſticis non eſſet erogandi otium,hoc illa indignè ferens, quod promptum habent in ore Sagæ omnes, illi eſt imprecata: nec mora, quaſi pedē in ſilicem is impegiſſet, caſu adeò violento procubuit vt præ dolore domum ſe ſtatim referre cogeretur, vbi omnem rem domeſticis,

ſticis,quod pacto accidiſſet ordine enarrans, hoc adiecit, ab imprudentia ſua,aut inconſulto greſſu non eſſe partum ſibi illud infortunium, ſed à maiore vi aliqua, quæ ſe à tergo perculiſſet, nihilque iam dubitare quin ex eo membrum fracturus fuerit, niſi cadenti Deus opem tuliſſet,nam & ei,aiebat,me ſigno crucis muniens primo mane ſuppliciter commendaueram; nihilo magis tamen poſt hæc quieuit Malefica; nam cum indignabundus Dæmon quòd ſic fruſtra tentauerat ei renunciaſſet, multo vehementius illum rogare, ac obteſtari cœpit Adoleſcentem, vt pergeret quouis modo perdere, quod quidem illi facilè erat facere, ſi imparatum ab eo matutinarum precationum, crucisq; munimine aliquando adoriretur: hoc ſiquidem impedimentum ſuperioribus conatibus ipſe dæmon cauſatus fuerat. Euenit igitur non multis poſt diebus,vt is adoleſcens è Cęnaculi feneſtra brachium proferens,pendentes è proximo muro paſſerculos nido detracturus ſublimis à tergo tolleretur. perque eam feneſtram præceps tanto impetu deijceretur, vt pro mortuo demum referetur, vbi tamen poſt aliquot horas factus vtcunque ſui compos, patrem etiam lachrymis, lamentiſq; deditum iuxta ſe intuens: noli, inquit, Pater mi quidquam mihi ob iſtud ſuccenſere infortunium, nam certè procul hic culpa à me eſt omnis, ſed extruſit me foras etiam renitentem neſcio quid à tergo imminens, ſuper inducta etiam re grauiori aliqua, quo vehementius deprimerer, ac deijcerer;& certè iuxta illum iacentem,ac proſtratum repertum fuerat lignum ex ſtrue, quæ in ſuperiore horreo ad vſum familiæ cõgeſta fuerat, atque hæc conſtantiſſimè perſtans dicere, aliquot poſt dies vita functus eſt: Accidit etiã intra paucos alios,vt Aſinaria illa tum ex Aliarum Maleficarum indicijs, tum ex diuturna, qua laborauerat ſortilegij ſuſpicione, ac diligenti ſuper ea re inquiſitione in vincula conijceretur quam ex elogijs teſtium interrogauit Remigius, qui refert hanc hiſtoriam, tandemq; rationibus, ac ſine vlla tormentorum vi eò adegit, vt ſua ſecus admiſſa omnia ingenuè fateretur, inter quæ, & hoc fuit, quòd totidem, quibus puer ille verbis magna confidentia recitauit. Nam ſtatim, ac patratum fuerat à dæmone facinus, is ad eam in macelli vicinia tum commorantem aduolauerat, ac rem omnem, vti geſta erat,enarrauerat,perrexitq; hæc illa aſſeuerare,dum mors,ſubijciente flammas carnifice,ipſam occupauit.

Lib.2.cap.11.

Ruſtici quidam, quorum vnus luxuriantes ex arbore ramos amputans,alius tundendas fruges ex horreo in aream deijciens; in ſummo alius curru fœnum concinnans, ac adaptans, nihil etiã

temere

temere periclitantes, detruſi tamen, ac compacti ſunt in terram adeò violenter, vt ſemineces inde efferri oporteret, nullo qui impuliſſet, ac deturbaſſet vllibi apparente.

Pyrrus erat in deuio nemore, è quo Ioannes Rotarius ſibi fructus pridem deſtinauerat legere, nec putabat tam abdito loco atq; obſcuro à quoquam animaduerti poſſe, qui bolum hunc illi è faucibus eriperet; notata nihilominus eſt & ea arbor à Deſiderio Saleto eius tribuli, qui prior occupans pyra decerpere, atq; in ipſo facto deprehenſus, non longe abijt quin Rotario præreptæ prædæ pœnas daret, ſiquidem facile fit, quòd iſtiuſmodi hominum monſtris doleat, quodq; ad vindictam accendat. Ergo, vt illi conſueto in alijs more diras eſt imprecatus, turbine ſubito inuolutus, ac in terram deiectus, crure altero ſic eſt debilitatus, vt ſe loco prius mouere non poſſet, quàm accurrentes ad eius clamorem, qui in nemore porcorum greges cuſtodiebant, ſubnixi, atq; adminiculati, domum eum reducerent, nec adhuc vulnus coaluerat, cum Rotarius iſta primum ſpontanea ſua confeſſione patefecit.

Huius generis eſt & hoc de Apra Hoſelotia: ea filium habebat in famulatu Ioannis Halecuriani, in hunc herus ſæuitiam adhibuerat ob furtum, cuius illum præcæteris, qui erant in familia aſſimulabat, id dolens mater ac cupiēs vlciſci, occaſionem ſedulo captabat, quo id faceret, ac cum aliquando is iumenta è paſcuis domum reduceret, atque horum vni otioſus inſideret, accedens illa vnà cum ſuo Dæmone, ſubducta tamen omnium oculis, collum equo tum cōmodè depreſſię, vt per id dilapſus ſeſſor, atq; in humum depulſus, crus perfringeret, quod & adhuc ex eo lapſu claudum, diſtorumque apparebat, cum is Veneficæ teſtis committebatur. In ſuburbijs D. Apri, ad Tullum. 10. Calend. Mart. 1587.

Claudiæ Felleæ Maielaienſi cum vicina muliere rixæ frequentes fuerant, vti ſæpe vicinitas inter æquales parere ſolet iurgandi occaſionem, ac procliuitatem, pridemque ſecum illa cogitauerat, quemadmodum vicinam latenti aliquo vlciſceretur infortunio, id enim clam erat faciendum quod populares omnes, ſi quid ſibi deterius accidiſſet, id factum in Felleam illico reijcerent. Initur de hoc cum Dæmone conſilium, placet eam ſuo more opus ruri facere, interea, dum is in vrbe partes ſuas exequitur, ne qua eius quod accipiebatur facti, ſi domi fuiſſet ſuſpicio eam attingeret. Ecce verò vicinarum ædium occluſis, obſeratiſque foribus auditur intus miſerabiliter eiulans puer, quem mater abiens ſolum domi reliquerat. Accurrere, qui audiebant omnes, ac pro- Ianfranæ 7. idus Maii. 1588.

pere

pere effringere, viſuri quidnam illi contigiſſet, quo clamores tantos ederet reperiere illum prunis candentibus vndequaque coopertum, atque obrutum: excuſſere citiſſimè, tum cunis detraxere, vt quantum poſſent ſeruarent incolumem, ſed iam animam agebat, ac inter ipſas illorum manus moriebatur. Peruagatur igitur rumor Felleæ haud dubiè hoc eſſe incœptum, quæ ſimili damno plures alios ante mulctaſſe, dicebatur. In illam idcirco de hoc, alijſq; facinoribus, quorum pridem inſimulabatur diſquiſitiones fieri cœperunt, ac tandem eò res redire viſa eſt, vt ingenuè id crimē vti ſuum agnoſceret, & ampleɛteretur, ſingula quemadmodum eſſent à Dæmone ſuo rogatu patrata, enarrans maximèq; illud de candentibus carbonibus, quos in proximo foco ſub cinere repertos bacillo extraxerat, ac miſelli infantis cunis ſuper iniecerat.

Pangei. 1584. 13. cal. Ianu.

Ruſtico cuidam nomen fuit Mauleticeo; huic caſtrum ad Moſellam ſumma luce properanti, vt è lactis prouentu pecuniæ aliquid exhauriret, in ſumptus rei familiaris: violenter turbo, reliquo aere alioqui placidiſſimo, omnem ſpiritum ſic intercepit, vt diu vitæ dubius, ac incertus iaceret. Hanc illi perniciem per Dæmonem ſuum parauerat Franciſcus Felleus, quo animum ſuum multis iniurijs exulceratum expleret, vti ipſe ſpontè, ac ſola admiſſi pænitentia ductus poſt agnouit.

Gerbeuillei. nonis Maij. 1585.

Coleta Piſcatrix abſens Claudium Iaquiminum Municipem ſuum alterius oculi clade mulctauit, cum de ea re mandatum dæmoni ſuo dediſſet, vti ipſa apud quæſtorem de ſortilegio reſpondens ſincerè eſt confeſſa. Cuius rei fidem etiam adauxit quod idē Iaquiminus poſt retulit, vulnus illud oculi ſibi inflictum, quaſi ab impingente, ac demiſſo per vim ramo, cum tamen hinc indeq; arbores nullæ vel multis paſſibus ſtarent, obidq; iam tum fuiſſe ſuſpicionem arte aliqua mala id damni illi datum fuiſſe.

Iacobeta Vueher, cum, ait, multis de cauſis peroſus mihi eſſet Ruſticus quidam vnà in ijſdem ædibus mecum habitans, nec viderem qua ratione circa deprehenſionis periculum vlciſci poſſem (erat enim is acer, ac diligens mei obſeruator) tandem viam reperi, qua id facerem; nam efflagitante me, Dæmon in eius genu, dum inter dumeta opus aliquod faciens verſaretur, ſpinam vehementius incuſſit, vnde integrum timeſtre ſaucius, non prius conualuit, quàm ego miſerta tam diuturnum dolorem, rurſus illi à Dæmone curationem impetro, qui eam obiter, dum aliquot poſt dies in interiore ſilua lignatur infuſo in vulnus vnguine ſtatim conualuit.

De

De morbis varijs à Dæmone illatis. *Cap. IX.*



Doctrina.

AVicena, & Galenus, cum Hippocrate negant vllos morbos per Dæmones mortalibus inferri poſſe, & hos ſequuti ſunt Pomponacius, Leuinus, & Lemnius, non quòd Dæmones id velle non credant, quos malos eſſe non negarunt, ſed quia morbi omnes naturalibus ex cauſis naſci queunt. Verum minus recta hæc ratiocinatio eſt; poterunt morbi ex naturalibus cauſis oriri, & non poterunt Dęmones morborum irrogatores ſeu immiſſores eſſe? Codroncus, Cæſalpinus, Fernelius, Valeſcius, & alij optimi Medici cum D. Hieronimo, *a* D. Chriſoſt. *b* D. Thoma *c* & alijs Theologis contra ſentiunt. Iuriſtæ quoque, ex quibus Burchardus *d* optimè probant. Grillandus *e* ſæpe citatus, ſed pluris adhuc facio ſacræ Scripturæ firmiora teſtimonia. Nonne Diabolus percuſſit *f* Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem? Non ne Diabolus linguæ, *g* & aurium vſum alteri vſurpauit, quem Mattheus lunaticum vocat? Nonne Saulem Dæmon *h* per atram bilem diuexabat? apertè hoc docet hiſtoria, ait enim, exagitabat eum ſpiritus nequam, qui pulſante Dauid Citharam recedebat, nunc videamus, quo nam pacto Dæmon

a in 4. cap. Matth.
b Hom. 54. in cap. 17. matthæi
c. 1. p. q. 115. art. 5.
d. lib. 19. decret. ca. de re magica.
e q. 6. vſque ad nu. 13.
f Iob 2.
g Mar. 9. q. 17. Luc. 9. verſ. 39. Matt. 17. verſ. 14.
h 1. Reg. 16. verſic. 14. 15. & 23.

i Lib. 2. de occul. nat. miracul. c. 1. & ſacræ Philoſop. c. 28.

morbos inferat. Hoc Franciſcus Valeſius *i* acuratè docuit, nempè illum eſſe cauſam exteruam eò quòd extrinſecus aduenit corpus inhabitaturus, & morbos illi illaturus; ſi morbi ex materia pendeant, mouet internas cauſas, ſic melancolicos morbos excitat, quia principio mouet atram bilem, quæ corpori inerat, & fuligines in cerebrum, & internorum ſenſuum cellulas propellit: adauget atram bilem, admotis cauſis exurentibus, vel detento humore ne expurgetur. Epilepſiam, Paralyſim, & ſimiles noxas affert, per ſucci craſſioris delationem, obturato ventriculo cerebri, vel obſtructis radicibus neruorum. Cæcitatis cauſa eſt vel ſurditatis, noxa excrementa ad aures, vel oculos coaceruando. Sæpe etiam ad odium, amorem, ad alias animi perturbationes inducendas mouet imagines, vt in imaginatione firmius inhæreant. Ad corporeas verò affectiones excitandas, ſpirituoſam ex ipſo ſanguine ſubſtantiam deligit, eam ſeparans, & expurgans à craſſitiæ materiæ, deinde ſpiritibus iſtis vtitur quaſi proximo animæ inſtrumento, ad efficaciſſimè, & velociſſimè agendum, dico ex rebus venenoſſimis eum educere quandam quaſi quintam eſſentiam, & ea inficere ipſos ſpiritus vitales, & ſic eum malefico morbo imbuere, quod aduertit prudenter Cæſalpinus, quòd cum facit, ægrè ars humana ſatis celebria, & efficacia remedia poteſt, vel ſolet adhibere, quo enim hæc materia ſubtilior, & tenuior, hoc quodque ad lethum acrior, & efficacior, ſolet omnem præuenire medellam. Qui verò morbi dependent ab externis tantum impedimentis nocumento, vel noxio afflatu, vt plurimum per ſe operatur, vt quando inſtrumenta maleficij, vnctiones, ſigna, defoſſa, vel ſimilia apud ipſum veneficium nullam vim naturalem habent, ſed ſunt pro ſignis tantum, ad quæ ex pacto Dæmon operetur, quòd docuit idem Andreas Cæſalpinus dicti operis cap. 17.

a' Lib. de dæmonum inueſtigat. c. 16.

Exempla.

Sprenger. p. 1. mal l. q. 1. c. 12.

HOneſta quædam perſona, & vni ex familiaribus Archiducis matrimonio copulata in pręſentia Notarij ſecundum formam iuris depoſuit. Cum tempore virginitatis ſuæ, cuidam ex Ciuibus famularetur, accidit, vt vxor illius graui dolore capitis langueret, pro cuius cura, cum quædam mulier acceſſiſſet, vt ſuis carminibus, & certis praxis mitigare dolorem haberet, ego, inquit, eius practicam diligenter obſeruabam, perſpexiq; quod cõtra naturam aquæ fuſæ in ſcutellam quandam, ipſa aqua in ollam aliam deſcendiſſet, cum alijs ceremonijs, conſideranſq; quòd ex

illis

illis dolor capitis in Domina non mitigaretur, aliquantulum indignata, hæc verba in Maleficam protuli, vos non facitis niſi ſuperſtitioſa, & hoc propter commodum veſtrum. Tunc Malefica ſtatim ſubiunxit, an ſim ſuperſtitioſa, vel ne, tertia die tu ſcies, quod rei probauit euentus. Nam tertia die manè, me ſedente ad fuſum apprehendit ſubito tantus dolor corpus meum, ac inuaſit primo interiora, ut non eſſet pars corporis, in qua non punctiones horribiles ſentirem, Secundo non aliter mihi uidebatur, niſi quòd continuè igniti carbones capiti meo ſuperfunderentur.

Tertio in cute corporis à uertice, uſque ad plantam pedis, nō fuiſſet ſpatium acus, vbi non fuiſſet puſtula ſanie repleta, ſicque in his doloribus eiulando, ac tantummodo mortem optando uſque ad diem quartum reſtiti. Tandem maritus dominæ meæ, ut ſtabulum quoddam intrarem iniunxit, at ego paulatim incedendo, eo præcedente, dum ante oſtium ſtabuli eramus, ecce, inquit, peccia panni albi ſuper oſtium ſtabuli, & ego, video, tunc ille, quantum potes remoue, quia fortè melius habebis, tunc ego quantum potui uno brachio me ad oſtium tenente, cum altero pecciam apprehendi, aperias inquit Dominus, & conſidera diligenter ibi repoſita, tunc ubi pecciam ſolui plura ibi incluſa reperi, præcipuè autem grana quædam alba ad modum quo poſtulæ inerant corpori meo, ſemina quoque, & legumina, quorum ſimilia, nec edere poteram, aut intueri, cum oſſibus ſerpentum, & aliorum animalium ſum intuita, & ſic ſtupefacta, dum inquirerem à Domino, quid nam agendum foret, iniunxit, ut in ignem cuncta proijcerē; proieci, & ecce ſubito non poſt horæ ſpatium, aut quartale, ſed in momento, ut res illæ in ignem fuerunt proiectæ, omnem ſanitatem priſtinam reparaui.

Subdit idem. Mulier quædam nupta & honeſta acceſſit, & iuxta iuris formam, utſupra depoſuit. Retro domum, inquit, habeo uiridarium, eſt & illi contiguus hortus uicinæ meæ, unde cum quadam die tranſitum fieri ex horto vicinæ ad viridarium meū, non abſque damno perſpexiſſem, ſtans in oſtio viridarij, & apud me ipſam conquerendo tam de tranſitu, quàm de damno, vicina ſubito ſuperuenit, & an ſuſpectam haberem inquiſiuit, & ego territa propter malam eius famam, nihil aliud, niſi hæc verba protuli: greſſus in graminibus damna demonſtrant, tunc illa indignata, quia ad eius fortè beneplacitum, me litigioſis verbis cum ea implicare nolebam, diſceſſit cum murmure, & verba, quæ protulit, licet audirem, intelligere non potui, poſt paucos verò dies ingens infirmitas mihi ſuperuenit, cum doloribus ventris, &

acutiſſimis torſionibus à latere ſiniſtro verſus dextrum, & vicè verſa, quaſi duo gladij eſſent pectori infixi, & ſic diù, noctùq; clamoribus vicinos omnes alios inquietaui; & confluentibus hinc inde pro conſolatione, accidit, vt Lutifigulus, præfatam vicinam, & Maleficam adulterino flagitio habens in Amaſiam, ſimili modo viſitationis gratia accedens, & infirmitati meæ compatiens, poſt verba conſolatoria abſceſſit, ſequenti tamen die feſtinè redijt, & inter alia conſolatoria ſubiunxit experimentum capiam, an ex maleficio vobis hæc infirmitas contigerit, quòd ſi ſic repertum fuerit, ſanitatem vobis recuperabo: accepto ergo plumbo liquefacto, & me in luto recumbente, plumbum in ſcutellam aqua plenam ſuper corpus meum appodiando infudit, & vbi quædam imago, & figuræ diuerſarum rerum ex plumbo congelato apparuiſſent, ecce ait, ex maleficio vobis hæc contigit infirmitas, & ſuper limen oſtij domus, vna pars maleficij continetur, accedamus ergo, & illis amotis melius ſentietis, ſicque maritus meus cum eo pariter ad tollendum maleficium accedunt, & Cementarius limen oſtij eleuans marito dixit, vt manum in foueam, quæ apparuerat, mitteret, & quæcunque inueniret, extraheret, quod & fecit, nam primo imaginem quandam ceream in longitudine vnius palmi vndique perforatam, habentemque duas acus ex aduerſo per latera admodum quo ipſa punctiones à ſiniſtro latere, vſque ad dextrum, & è conuerſo perſenſerat: extraxit; demum peccias panniculorum diuerſas, & plurima tam grana, quam ſemina, & oſſa continentes, ſicque illis in ignem coniectis ego conualui, ſed non ex toto, nam licet torturæ, & punctiones ceſſaſſent, appetituſque comedendi redijſſet ex integro, priſtinæ tamen ſanitati vſque in præſens minimè ſum reſtituta, vnde hoc quærebam, quod priſtina ſanitas nõ redibat, Reſpon. ſunt, & alia inſtrumenta alibi abſcondita, quæ inuenire non valeo: & qualiter prima inſtrumenta repoſita cognouiſſet, dum inquirerem, Reſp. ex amore, quo amicus amico reuelare ſolet, hæc cognoui.

Poſt. calcẽ lib. 2. Coſmogr.

Omnem ſuperat admirationem, quod narrat Cornelius Gemma, de quadam puella Louanienſi, quæ vocabatur Catharina Gualteri, annorũ quindecim, cuius curæ ipſe præfuit anno 1571. quæ cum obtruſum à gentili, & coætanea libamẽti fruſtulum comediſſet in morbi ſimptomata incidit prorſus prodigioſa, quorũ ipſe ſpectator quotidianus vidit illam eijcientem, tot talia, & tanta, vt ipſe crediturus non fuerit oculis alienis. Octauo morbi menſe, magno niſſu per poſticum eiecit Anguillam viuam, &

perſe-

perfectam; magnitudine pollicis digiti, longitudine ſeſquipedali, cui & ſquammæ, & oculi, & cauda vniuerſa, vt anguillis ſolet, triduo antequam foras erupit, auditum narrat bis ter ve in vtero ſonum, non ipſi puellæ modo, ſed & aſtantibus quoque velut argutum, & tenuem ab angue productum, & cum egereret, manifeſte puella retulit ſe ſenſiſſe, quod primum exerto capite retraheret per poſticum, inde cum impetu exiliret. Poſt anguilla, quam mortuam exenteratamque ſuſpenderant loco ſublimi ab animalibus tuto, repente euanuit. Puella interim, cœpit euomere ingentem humoris aquoſi copiam humano lotio non abſimilem, ſaporis abſurdi, durauit ea vomitio pluſquam quatuordecim dies, ſingulis profecto diebus exonerans ſupra, libras vigintiquatuor. Præterea vrinam interea reddebat quotidie bis, terue copioſam. Nullus in ventre tumor nulla in toto corpore inflatio exterius apparebat, & ipſa puella potus, & cibi parciſſimi erat, vix vnum vini, aut ceruiſiæ, vel alterius materiæ ſciphum potitabat, eò venit hæc aquæ excretæ abundantia, vt ſpatio duarum hebdomadarum facilè amas duas implere potuerit. Poſt hanc aquæ copiam, cœperunt & pili confeſtim exire per vomitum alui, copioſiſſimi numero, digiti longitudine, ſed longiores alij, alij breuiores, eiuſmodi ſanè quales annoſis canibus euelluntur, auctaque eſt indies ea pilorum quantitas, vt facilè pilas quamplures iuſtæ magnitudinis implere potuerit: eiecit hos omnes magno faſtidio, & vomitus difficultate. Interiectis deinde nonnullis diebus, ſucceſſere aliqui vomitus, qui flocos ingentes pilorum eijcerent cum materia purulenta inſtar ſaniei, interdum ſimiles ſtercori columbino, aut auſerino, in qua colluuie, & fruſta lignorum, & membranarum tenuia rudimenta, ſed lignorum partes adeò viuæ, vt ex caudicibus abſoletis defractis inæqualiter comminutæ portiones viderentur, vnguis amplitudine aliæ, aliæ craſſitiæ, intus fungoſæ, foris obductæ, vetuſtiore cortice nigræ. Paulò poſt cœpit alius vomitus niger, vt carbo, dixiſſes attramentum verum, vel ſæpiæ ſuccum, immò carbones minutiſſime tritos, atque permixtos, ſingulis diebus prodentes ad quantitatem librarum duarum, aut trium, ſæpiſſimè cum pilis tam copioſis, vt nuci iuglandi includi non poſſent, omnibus albis, prolixis, & durioribus, quę cum per triduum ita duraſſent, eiecit ſemel, & puri ſanguinis tāquam è vena diſſecta libras duas, nullius rei alterius generis permixtas. A vomitu ſanguinis rurſum ſequutus eſt ater, ac ſi antimonio trito tinctus fuiſſet humor, omnino liquidus indies fere ad bliras quinque, aut ſex, atque hoc portentum ſepptimanam integram

gram conſtanti horarum lege, ac ſpacio perdurauit. Ceſſauit aliquandiu diuinis, humaniſque remedijs adhibitis, interea pillos adhuc, ſed pauciores, gradatimque atr ores cernebat, imò & breuiores indies, vt cum prius ex flauo rubeſcerent paulatim liuidi, nigri, tandem aterrimi, ac velut diſſecti in fruſta minutiſſima per vomitum redderentur, quandocunque his, & virulentus humor, & craſſus, quandoque ſimillimus limo. Circa Septembris medium, membranę fruſta maiora, tamquam ventriculi partes euomuit, habebant hæc ſpeciem tunicæ craſſioris, carnoſe, lentæ, fractuque contumacis, quibus profecto, vt fœtus Charoeidi, etiam venarum ductus inarati ramoſa propagine ſpectabantur, interdum medij palmi longitudine, has aliæ ſunt è veſtigio ſubſequutæ tenuiores multo, ſed penitus nigræ, venarum dumtaxat veſtigia referentes, membranæ tenui non diſſimiles. Poſtremo venerunt, & tertij generis tunicæ vaſorum prorſus expertes aliarum omnium tenuiſſimæ, vt locum interioris vuluæ partis retinerent, ſed erat his alia multæ ſubſtantiæ, atque figuræ ratio, quam in agninis fœtuum inuolucris, nam huic tenuitati aderat mira ſoliditas, figurarum ratio quouis miraculo maior; fragmenta illius varia, ſed tria præ cæteris rara duorum palmorum amplitudinē ſuperabant, intertexta canalibus profundis ſine terminis, quæ ſeſe à vertice ad baſim ſecantes, mutuo cancellos in rhombi ſpeciem efformabant. Non habeo, cui melius conferam, quàm cum ſenecta viperæ, quamquam nihil hactenus à me conſpectum fuit, cui poſſet merito comparari, ſed hoc in eo præcipuè admirandū, quòd ſecundum longitudinis ductum, velut canalis qu dam profundior appareret inculptus fibris tranſuerſis, & raris prorſus, vt in aſpera pulmonis arteria. Erat hæc regio penitus caua, & circularis in vnius membranæ faſtigio paulatim anguſtior anguini capitis veſtigium repræſentans cum expulſione figuræ mamillaris, ſeu proceſſu mamillari, in alterius fine ſenſim lateſcens, neſcio quid ventricoſum, & inæquale etiam bifurcato, vertici non diſſimile præſeferret. Vniuerſæ partes inuicem coaptatæ totius anguillæ longitudinem, atque craſſitiem ſatis luculenter expreſſerant, illud autem tabernaculum papillare viam fuiſſe reſpirationis exiſtimo, per quam fortè & ſolidis, & humidis ad ſui nutricationem neceſſarijs veſcebatur.

Poſtquam haſce membranas eiecit, ſequuti ſunt lapides ferè innumeri, quos veſperi ſemper, ac ſtata horarum periodo magnis cum tempeſtatibus, animique deliquijs eructabat: forma fuit eiuſmodi, quæ paſſim in vetuſtis ædificiorum ruinis ſolet occurrere

rere, lapides ſolidi, anguloſi, inæquales, tum ſpecie, tum magnitudine quæ ſubinde ad nucis iugulandis quantitatem acceſſit, non abſque ſuffocationis manifeſto diſcrimine; videbantur quandoque obtecti calce & coagmentati variè, vt ab illis, qui parietibus detrahuntur diſtingui non poſſent.

Semel me præſente quendam eiecit lapidem anguloſum vix cum duplicis caſtaneæ mole librandum, ſaxum illud magna ſpiritus contentione proiecit, ut & uomentem uiderim manifeſtè, & in lebetem ſonitum cadentis audierim, magno horrore, cum animi mei, tum turbæ undique circumfuſæ. E ueſtigio magnam quoque ligni portionem pollicis longitudine pariter, & craſſitudine, ſed minori difficultate ſecreuit; erat hoc ſatis porroſum ſtaminibus rectis inſigne, cui & commiſſura quædam inſignior uelut per medium totius longitudinis excurrebat, interea tamen, & pili per uices, ſed minores ordine pauciores, ac nigriores, acceſſit aliud, quod omnem excederet fidem, os enim triangulare ſolidum foris, intus cauum, ac ſpongioſum reddidit, tale, ut planè conſtaret eſſe fragmentum cruris bubuli, & puellæ parens diceret ſe tale uidiſſe pridie in ſuis carnibus iuſculentis, nec mora, ſequenti die articuli oſſei, tali, digitorum acies, rotulæ uariæ ſpeciei, & magnitudinis prodierunt, interdum tamen, & pili, & lapides intermixti, atq; omnium poſtremo uitri, atque æris portiuncula. Gemma merito cenſet horum mirabilium Dei permiſſione dæmonem fuiſſe miniſtrum, qui cauſis tamen naturalibus, ordine etiam ſeruato, quoad potuit, uſus eſt.

Narrat Sprĕgerus de muliere Zabernenſi, quòd Obſtetrix quędam eo quòd non fuiſſet uocata ad puerperium à puerpera, grauiter irata noctu cum duabus alijs maleficis ad puerperam acceſſit, & dixit ad uindictam ſe aliqua in eius inteſtina uelle immittere, quorum dolorem poſt ſemeſtre dumtaxat ſentire inciperet, dixit, & uentrem eius manu tetigit, ad quem contactum puerperæ uidebatur ſibi extrahi inteſtina, & ijs immitti quædam, quæ tum oculis dignoſcere nequibat, poſt ſexto uix menſe finito, internorum uiſcerum tortura ipſam ſubito tam dira inuaſit, ut nec (uerba ſunt Sprengeri) diebus, nec noctibus à clamoribus omnes inquietando abſtinere poſſet, & quia deuotiſſima Virginis, & Reginæ miſericordiæ extitit, in pane, & aqua ſingulis ſabbatinis diebus ieiunando, ideo & per ipſius ſuffragia credidit ſe liberari, unde, & quadam die ubi opus naturæ perficere uolebat, tunc omnis illa immunditia à corpore prorupit, & aduocans maritum cum filio dixit, ſunt ne res illæ fantaſticæ? nonne dixi, poſt

In Mall. p. 2. q. 1. c. 13.

dimi-

dimidium anni ſpatium res iſta cognoſcetur? aut quis uidit unquam Spinas, oſſa, ſimul etiam ligna me comediſſe? erant enim Spinæ roſarum longitudine unius palmi cum alijs uarijs rebus innumeris immiſſæ.

Romig. li. 3. c. 1. & habetur in vita S. Petri Tarentarij à Gaufrido ſcripta. Et apud Surium Tom. 3. Maij 8. cap. 23.

Caſtellum eſt Sancti Symphoriani Lugdunenſis Eccleſiæ paucis ab urbe miliaribus diſtans, ubi uir fidelis, & Religioſorum ſedulus ſuſceptor magnæ conuerſationis pariter, & opinionis, Abbatem ad hoſpitium ſuum aliquando, quaſi uim faciendo pertraxit: huic Iuuencula erat filia miſerabili incommoditate laborans; egerat enim quædam mulier Venefica per nequitiam inuidiæ Socrus inducta, ut langore tabeſceret deſperato, nec uiri ſui præſentiam, nec aſpectum ullatenus toleraret: Affectione muliebri genitrix perſuaſa, ut Sathanas Sathanam eijceret, famoſum quendam maleficum accerſiuit: adfuit, explorauit, agnouit, & mulierculam aſſerens inferratam terit arborum cortices, pocula uerbis, & herbis infecta propinat, mordet etiam dentibus proprijs brachium miſeræ mulieris, res mira, res noua, res hactenus inaudita, ab illo quidem langore conualuit, ſed interdum ex corde procedere ſentiens uelut acus, cruciabatur atrociter, donec per morſuram brachij, quam nulla cicatrix obduxerat acus educeret uis occulta: crudele remedium, ſed huiuſmodi congruebat authori, plures in huc modum, quam triginta per temporum interualla prodierant, quædam ut uulgo dicitur excapſetæ quædam admittendis filis idonea foramina præmittentes. Præterea prædictus Abbas, ad domum ubi hæc fiebant aduenit, celebris eſt perſona, cuius hoc opus, & alia non indigna admiratione narrantur, ſed parcendum adhuc ſuperſtiti, & nomen credidi reticendum, huic pater anxius miſerabilem exhibet filiam, nec ſine lachrymis lugubrem explicat tragediam, eadem hora fit fides dictis, & ſentiens acum mulier gemebunda deplorat, iam peruenerat ad foramen, ſolitus iam præceſſerat cruor, iam cœperat apparere, iam particulæ eius exierant, & accedens unus ex fratribus laicis eidem Abbati deſeruiens crueutam extraxit annis pluribus ad Teſtimonium conſeruandam. Erat Abbas, & locum uulneris tangens in uirtute fidei pollicetur, nec ferrum ultra, nec chalibem inde proceſſurum. factum eſt, ſed mutata materia eſt, malitia nec dum prorſus extincta. Cœperuut lignei ſudes paruuli, quales uulgo brochas appellant, ex quercino robore, uel fraxinei pro ferreis acubus egredi craſſiores ſpinis, & modicè longiores, nec unius tameu omnes, ſicuti nec acus fuerant longitudinis, uel craſſitudinis erant. Sexdecim in hunc modum intra annum, &

Paucos

paucos menſes ex muliere ligna prodierunt. Adfuit demum Reuer. Petrus Antiſtes, cui diuinitas ſeruabatur tanti miraculi plenitudo, offertur mulier miſſarum ſolemnia celebranti, ſicut præceperat veſpere præcedenti, eadem hora ſeptimum decimum lignum ex muliebri corpore egreditur, quod ſub oculis omnium Sacellanus extraxit, confitentem itaq; mulierem Præſul abſoluit, & ſacram ei tradens Euchariſtiam ab omni deinceps cuiuſcumque materiei progreſſu iubet eſſe ſecuram, ſic ab omnibus iam præſtigijs liberata adhæſit viro, filioſq; procreauit, & vt dicitur, hodieq; ſuperſtes prædicat virtutem, quam in ſe ipſa fœliciter meruit experiri. Petrus de Fraxineto dicitur Pater notus, & honoratus inter vicinos ſuos, vt ſi quem dubium nouitas tanta reddiderit probare forſitan liceat, quod credere detractant.

His verbis ſequentia ſcribit Cæſalpinus. Contigit hoc anno Piſis hæc vidiſſe multis ſpectantibus; quædam à Dæmonibus obſeſſa, ſæpius modo inter adiurandum, modo poſtea eiecit corpora, & magnitudine, & forma per ſe ineptiſſima, vt deuorarentur: clauos ferreos prælongos, oſſa, lapides, globos laneos, carbones, aliaque multa, in culcitra autem ea regione, qua thorax incumbebat, præcipuè qua cor globuli multi reperti ſunt ex palmis affabrè efformati diuerſis figuris, ſed plurimi inſtar roſarum perpetuis plumarum tenuiſſimarum ordinibus, nunc filo implicati, nunc ſolo glutine compacti, alia genera reperta ſunt, in ceruicali, qua caput reſidebat.

De inueſtigat. Dæmonum cap. 17.

Quare Deus permittat Dæmonem ſic graſſari per maleficia. *Cap. X.*



Doctrina.

QVis nam poterit narrare artes, quibus diabolus vtitur innumeras ad perdendum homines, quando ſic Deus permittit? Afferam in medium verba Auguſtini, *a* quæ ſunt hæc. Quemadmodum hoc faciant Angeli, vel potius Deus, & quantum fieri velit, per Angelos, & quantum fieri velit etiam per Angelos malos, ſiue ſinendo, ſiue iubendo, ſiue cogendo, ex occulta ſede altiſſimi imperij ſui, nec oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis enucleare, nec prouentu mentis comprendere valeo. Res profecto magni ponderis eſt, quod Deus permittat diabolum affligere ſeruos ſuos, non innocentes ſolum, ſed etiam perfectos, & ſanctos, vel vtendo proprijs viribus, & calliditatibus, vel inducendo homines perditos eorum incantationibus, & maleficijs ad nocendum in re, vel in carne. In carne, legimus in Euangelio, quòd dum Chriſtus prædicaret Iudeis, diaboli tunc poſſidebant, & varijs tormentis diuexabant nonnullos homines, eos in ignem immittendo, & in aquam, quos Saluator noſter ſanauit. In re, legimus, quod Iob fuit à diabolo damnificatus in filijs in pecoribus, Iumentis &c. & in carne ipſa, quando ita percuſſit illnm vlcere peſſimo, vt à planta pedis vſq; ad verticem, nō

a lib.3. de trin.c.10.

eſſet

eſſet in eo ſanitas, ſedens in ſterquilinio, ad radendum vlcerum ſaniem teſta. Legimus S. Antonium, prout teſtatum reliquit Athanaſius, acriter fuiſſe à dæmonibus percuſſum. Quare, non eſt mirandum, ſi quis videt proximum ſuum vexari per Maleficos, & Sortiarios, inducendo eum, præter damna, ad terrores, pauores, & furores, ei apparendo ſub diuerſis formis animalium terribilium, pro vt ſuperius docuimus. Idcirco videmus incantatores mala arte ſua reddere homines infirmos, fatuos, freneticos, furioſos pro vt permittit Deus per occulta, & imperſcrutabilia eius iudicia, quæ difficillimè à nobis inueſtigari poſſunt. Vt nonnullis tamen ſatisfaciam, qui ſcire deſiderant, cur hoc faciat Deus, hic aſſignabuntur nonnullæ rationes à Doctoribus inueſtigatæ, quare ſic à Maleficis male tractentur homines, & à dæmonibus. Auguſtinus *a* Gregorius *b* Et Chriſoſtomus homelia prima facta Antiochiæ, antequam eſſet Epiſcopus, de hoc diffuſè tractant, nos autem breuiter iſthæc deſcribemus.

a Lib. 35. de trin. c. 7.
b In prolog. In iob.

Prima igitur cauſa, eſt peccati vindicta, quia homines cum ſint ſuperbi, vana ſequuntur. Zachar. 9. diſperdam ſuperbiam philiſtinorum. Sunt mendaces, qui falſa loquuntur. Pſal. diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Sunt hypocritæ, qui fictis vtuntur. Amos. 1. diſperdam habitatores de campo Idoli, campus enim Idoli eſt ſtatus hypocritarum. Sunt malitioſi, qui nequàm creduntur. pſal. in malitia eorũ diſperdet illos dominus Deus noſter. Sunt proterui, qui nulli ſubduntur. pſal. manus tua gentes diſperdidit, gentes .n. qui ſine lege viuunt, dicuntur. Sunt Auari, quia terra fruuntur. Amos. 1. diſperdam habitatores de Azoto, azotus enim interpretatur, incendens, & ſignificat auaros, qui ſemper per affectum terrenũ ardent. Sunt carnales, qui cito labuntur. 4. Reg. 10. dicitur quod Rex Iſrael inſidioſè agebat, vt diſperderet cultores Baal, qui ventri indulgebant. Sunt iracundi, qui rixis aguntur. Zachar. 9. diſperdam quadrigam, & eſfraim, quadriga enim tumultum iracundiæ, & diſcordiæ ſignificat.

Secunda cauſa eſt neglectio mandatorum, & ſcripturarum Dei, & curioſitas intelligendi aliquid per media, quæ Deus abhorret: hi autem non ſunt innocentes, & ſancti, ſed peccatores curioſi & vani, qui quærunt diabolo fautore, & non Deo adiutore, quæ ſcire volunt, id circo æquum eſt, vt qui diſcedit à veritate, erroribus implicetur, & à diabolo decipiatur, confirmatur exemplo. Ochozias Rex infirmatur, & conſulit Idola, vt ſciat, an ſibi viuendum, vel moriendum ſit, hoc facto iratus Deus nunciat illi

per Eliam prophetam, nunquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub in Acharon? Propterea, hæc dicit Dominus, de lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed nocte morieris. Huic cauſę ſubſcribit Auguſt. in cap. nec mirũ, & eius verba hęc ſunt; Hæc poteſtas ideò datur dæmonibus, vt peruerſos homines ſibi aptent, hoc eſt, prauos homines ſeducant, illos ſcilicet, qui ſpernunt veritatem, & credunt mendatio. Hanc Auguſtini ſententiam confirmat Cancellarius Pariſienſis in tractatu de ſuperſtitione vnius medici, in ſexta concluſione, dicens. Sicut vera, & Chriſtiana fides mirabilia operatur in bene credentibus, ſic & falſa, ac mala credulitas, Deo permittente euentus malos interdum operatur, vel potius demeretur, quod quotidie experimur in male credulis.

Tertia cauſa, cur velit Deus, vt diabolus operetur iuxta voluntatem Magorum, & incantatorum, eſt experiẽtia fidei: vult enim Deus, vt cognoſcatur, quę ſit fides, & conſtantia ſeruorum ſuorũ. Ideo Criſoſtomus homel. ſupra allegata ſcribit ſequentia verba. Amantis eſt, nunquam abijs, quæ amato complacent abſtinere: mollis, & ignauus ſtatim ex primo impetu concidet, vehemens autem, ſi millies interpellatur tanto magis inſtabit, quanto magis repellitur. Sic, quis magnę, & fortis fidei ad Deum eſt, fidem non relinquit, quantumcumq; grauiter ſtimuletur. Sciendum tamen eſt hanc Dei permiſſionem, & liberam facultatem, quam Deus dat diabolo adiuuandi intentionem Magorum, efficere, vt homines deueniant ad ſui cognitionem, & inde vberiores referant fructus, acquirẽdo paradiſi prẽmia. Quare, cum venit tentatio, duo potiſſimum ſecum affert bona, dummodo reſiſtas, & vincas: probat, ſcilicet, te, & coronat. Iob tentatus fuit, vicit reſiſtendo, & fuit coronatus. Abraam fuit tentatus, & per tentationem cognouit magnam amoris ſui, ac fidei in Deum vim, quia obediuit pręcepto ſacrificandi filium.

Quarta cauſa, non eſt pretermittenda. Deum, ſcilicet, permittere homines incidere in laqueos diaboli, ac miniſtrorum eius, eo ſolum conſilio, vt conſiderantes naturę fragilitatem, diſcant amplecti humilitatem, & in Deo ſpem figere, quia qui non tentantur à Deo per tribulationes, ſunt vt plurimum ſuperbi Eccleſ. 13. abhominatio eſt ſuperbo humilitas. Turbantur triſtitia, quia communiter nunquam ſunt læti, ſicut de illo Principe dicitur. Luc. 18. contriſtatus eſt, quia diues erat. Fœdantur luxuria, vnde de Naaman dicitur. 4. Reg. 5. quod erat leproſus, quia lepra, quæ inficit denotat luxuriam. Cremantur inuidia.

Pro-

Prouerb. 19. inſipiens torquet labia ſua. Rixantur diſcordia. Gen. 13. nequibant habitare ſimul. Iocantur laſciuia. Luc. 6. veh vobis, qui hic habetis conſolationem veſtram. Ligantur nequitia. Miche. 6. repleti ſunt iniquitate. Priuantur iuſtitia. Eccleſ. 13. iniuſtè egit,& fremebit. Vexantur anguſtia. Eccleſ. 31. laborauit in congregatione ſubſtantiæ. Inflammantur auaritia. Luc. 16. dicitur de Epulone, crucior in hac flamma, flamma eſt auaritia, ſeu deſiderium acquirendi. Non potantur ſufficientiæ fonte. Pſal. Eguerunt,& eſurierunt. Spoliantur ſubſtantia. Iob 20. diuitias, quas deuorauit euomet, & de ventre eius extrahet eas Deus. Excecantur ignorantia Luc. 16. Zacheus puſillus erat, & non poterat videre Ieſum. Relegantur à Gloria paradiſi. Matt. 25. ite in ignem æternum, qui paratus eſt, diabolo, & angelis eius; Etſic ſeparantur à ſeipſis in hac vita, dum per nequitias diſtrahuntur, à Deo, dum per abhominanda diſſoluuntur. Ab Eccleſia, dum per ſciſmata diſiunguntur. A proximo, dum diſcordijs dirimuntur. Et à Paradiſo, dum in inferno includuntur. Paulus etiam à diabolo tentatus,& flagellatus dicebat. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ. Angelus ſathanæ, qui me collaphizet. Et Dauid alibi dicebat,bonum mihi,quia humiliaſti me. Nouerunt planè Sancti, diabolum flagellare eos ad hoc, vt in deſperationem inducantur,& ſciunt ſæpè quod Deus permittit eos tentari, & ideò humiliantur, ſunt patientes, quieti, & in orationibus ſolliciti. Imo, hoc ſubdo, homines à diabolo flagellatos,magis honorari, quia non laudatur nauta in mari tranquillo, ſed cum iactatur procellis, & ſaluatur. Sic Sanctus laudatur cum tentatur,& vincit: imò, boni, ex flagellis,& tentationibus hauriunt, non parum ſolatij, ſcientes Deum in futura vita velle eos coronare, dicente Paulo, non coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Sed nulli dubium eſſe poteſt, quin hæc graſſatio diaboli in homines, non fiat multis alijs de cauſis.

Primo, hoc fit, quia gloria hinc augetur in nobis, cum quædam glorioſa Dei attributa manifeſtantur in nobis. Vide Tritemium c. 5. lib. 8. quæſtionum. Et Saquerium flagell. faſcinar. c. 18. cum ſequenti.

Secundò,quia oſtenditur conſtantia in decretis, quia vt hominem liberum creauit,ita liberè ſinit peccare.

Tertio cernitur ſuauitas in gubernando, quia cum etiam Dæmoni liberum arbitrium dederit, ideo ſinit aliquando illum id perficere.

Quartò elucet hinc clementia in genus humanum,quia ſi quantum vult, & poteſt Diabolus nocere permitteretur, nemo illæſus

eſſet,

eſſet, quinimo omnes occideret homines; ideo Deus frequenter illi facultatem nocendi denegat.

Quinto ſapientia elucet, quia cum Deus ſinat Diabolum vti ſuis naturalibus viribus efficit tamen, vt pater iſte ſuperborum ab imbecillibus homulis ſuperetur.

Sexto potentia elucet, quia quando permittit Dęmoni maiora, vt puta, aquam in ſanguinem vertere, non ſinit tamen eum perficere minora, vt eſt Culices gignere.

Septimo, Iuſtitia deniq; probatur, quia delicta hominum, etiā in hac vita ſic punit Deus.

Exempla.

DAemon ex ore Energumenæ Laodunenſis Caluinianos irridens, nihil ſibi ab illis timendum clamabat cunctis audientibus anno 1566. quoniam amici eſſent, & fœderati: res eſt toti Piccardiæ notior, quam vt negari poſſit, hæc ſcribit Lindanus. *a*

a Lib.1.de fugiend. Idolat. c. 14.

Sanè fuit animaduerſum, quo tempore Martinus Lutherus obijt in Geila Brabantiæ, ab obſeſſis dæmones ad lutheri funus aduolaſſe, vt ſcribit Bredembachius. *b*

b Lib.7.c. 37. & 39. c. Apud Surium tom.3.25. Maij.

Ioannes Archipresbyter ſcribit in vita B. Zenobij Florentini, *c* quod cum mulier quædam pagana, & illuſtris, & diues valde in hac Ciuitate mortuo viro, duos ſuperſtites haberet filios, quos delicatiſſimè nutriebat, cum ad perfectam iam peruenirent ætatem, quodam die in iram verſi, Matrem propriam multis verberibus, & enormiter flagellauerunt, quod ſcelus ipſa impatienter abhorrens, corpora eorum horrendis imprecationibus deteſtata fuit, genibuſq; procumbens, & terram manibus pulſans, Erynnem, cæteraſq; infernales peſtes in rabiem filiorum magno cum gemitu inuocat. Exaudiunt Dæmones ab imis tenebris: Iuuenes aggrediuntur, illos in furias agitant, qui ſtatim, vt rabidi canes mordaciter ad inuicem ſua membra corrodunt, concurrunt famuli, fit clamor ingens, alij funes, alij catenas ferunt, ligantur Iuuenes, nec rabie contineri valent.

Lib.22. de Ciuit. Dei c.8.

D. Auguſtiuus, ex quodam Pauli libello, hæc ſequentia Pauli verba refert. Cum adhuc in patria noſtra Capadociæ Cæſarea moraremur frater noſter natu maior grauibus, atque intollerandis communem Matrem affecit iniurijs, in tantum, vt ei etiam manus non dubitaret inferre, quod nos omnes filij pariter, congregati patienter tulimus, vt ne verbum quidem fratri noſtro, pro matre noſtra, cur hoc faceret, dixerimus: illa autem fœminei

doloris

doloris ſtimulis incitata iniurioſum filium maledicendo punire conſtituit, cumq; ad ſacri baptiſmatis fontem poſt gallorum cantus memorato filio ſuo iram Dei imprӕcatura properaret,tunc ei neſcio quis in patrui noſtri ſimilitudine, vt intelligitur, Dæmon occurrit, & ab ea prior quo pergeret requiſiuit, cui illa, ad maledicendum filio meo, ob intolerabilem contumeliam ſe ire reſpondit. Tunc ille inimicus, quoniam in mulieris inſanientis corde locum facilè inuenire potuit, vt omnibus malediceret perſuaſit: illa autem vipereis inflammata conſilijs, ſacrum fontem prouoluta corripuit,& ſparſis crinibus, nudatiſque vberibus,hoc à Deo potiſſimum poſtulauit,vt extorres patria, & circumeuntes alienas terras, omne hominum genus noſtro terreremus exemplo, mox maternas preces efficax vindicta proſequitur eundemq; continuo fratrem noſtrum ętate,& culpa maiorem,tremor membrorum tantus inuaſit, quantum in me vſque ante hoc triduum veſtra ſanctitas vidit, ſeruato autem ordine,quo nati eramus,ante vnum annum, eadem nos pœna omnes corripuit; videns autem Mater maledictiones ſuas ad tantam efficaciam perueniſſe, impietatis ſuæ conſcientiam, & opprobrium hominum diutiùs ferre non potuit, ſed laqueo guttur aſtringens, luctuoſam vitam termino funeſtiore concluſit,egreſſi ergo nos omnes opprobrium noſtrum non ferentes, & communem patriam relinquentes, paſſim ſumus per diuerſa diſperſi. Sequitur poſtea liberatio poſt diuturnam diuagationem.

In Flandriæ Comitatu (audite & pertimeſcite) Prioratus eſt (cuius & loci, & Monaſterij & ordinis nomen ſubticere æquum eſt) tres ibi nomine tenus Monachi degebant, re Ganeones, & Concubinarij,ſua cuiq; erat, nec pudor vllus aderat,ſimul heluari,& libidinari; quadam die in ſeram noctem compotatione protracta, vnus, qui minus ſceleroſus, ſat ait Bacco, ventriq; datum eſt, Deo gratias ſaltem agamus. Ego verò ſubinfert alius procatior Cacodæmoni gratias ago, & agendas cenſeo, cui operamur, & cum riſu relicta menſa, ruitur, in cubilia, ſinguli cum Scorto: Vix decubuerant, ecce tibi in Triclinium, vi ianua reſeſerata Dæmon, magni, atri, & trucis viri ſpecie, habitu venatorio,& cum eo Coci duo paruuli, obambulat, & lectos circumſpicit toruo vultu,deinde horrenda voce, ait, vbi, qui mihi gratias egit? adſum, referam? lecto abſtrahit pauitantem, & quaſi præ metu animam efflantem, traditum Cocis, iubet infigi veru, & luculento igne probè aſſari, parent promptè, aſſatur infœlix, emoritur planiſſimè, cæteri ferè erant præ formidine mortui; aſſi

corporis

corporis nidore cubiculum impletur. Denum Venator ad ſuſ perſtites ſub ſtragulis trepidantes, vix viuos, ait, digni vos etiam pari ſupplicio eſtis, nec deeſt voluntas, vetor tamen vi maiore, inuitus abeo, & moneo, reſcipiſcite, ſin minus manent terribiliora vobis.

Diſparent laruæ, nec tamen his alijs animus redijt vel vox, niſi clara iam luce. Vbi ſurrexere, collegam inueniunt mortuũ, (& ne viſum inane putes) plene aſium. Haud ſcio, an ab aliquot ſeculis quidquam ad exemplum vtilius acciderit.

Geila Vxor Ducis Franconię Sanctos Chilianum, Colimanum, & Tornanum iuſſerat occidi: res latebat, ſed Deus authorem hoc pacto prodidit.

Vnus eorum, qui Sanctum Chilianum gladio peremerant ſubito à Dæmone correptus, ingenti voce clamare cœpit Chiliane acriter me perſequeris, igne enim conſumor, quod feci, celare non poſſum, video imminere mihi gladium tuo ſanguine reſperſum, talia diu vociferans, & proprijs dentibus ſe dilanians, à præſenti migrauit ad pœnas æternas: de talibus quippè ſcriptum eſt. (Duplici contritione contere eos Domine.) Alter verò cædis conſocius in rabiem verſus ſeipſum interemit gladio, effuſis viſceribus, per tormenta præſentis temporis ad æterna peruenit.

Quis nam Geila talia cernenti tibi ſenſus tunc erat? infœlix cruciatibus aucta furebat, non multo poſt & ipſa belua de qua loquimur cruciatibus arrepta quantis poterat vocibus clamabat. Iuſtè torqueor, quæ Sanctis Viris tortores adhibui, rectè crucior, quæ cruciatus illis paraui. Acriter inſtas Chiliane, ignem accendis Chiliane, fomenta miniſtras Tornane, ſufficiat vobis viciſſe, nimis veſtras vlciſcimini iniurias. A calice dictus es Chiliane, ſed nimis amaram mihi potionem infundis; his dictis miſerabiliter torquebatur, ita vt à multis teneri vix poſſet; tandem cum magno cruciatu, ad cruciatus Diabolo paratos migrauit.

Apud Surium in eius vita Tom. 7. Maij 8.

Anno 1384. oculatus teſtis refert hæc præciſa verba. Hiſtoriam refero, quam ego præſens vidi oculis carnis meæ in Eccleſia Cathedrali Sancti Pauli Londini, vbi Venerandus Cantuarienſis Antiſtes fœlicis recordationis Thomas Arundelius filius, & frater Comitum pro loco iudicij (aſſiſtentibus ſibi Noruicenſis Eccleſię tunc Præſule Alexandro, & alijs) reſidens Epiſcopali Sede, uerba quædam, & interrogationes proponebat de fide Euchariſtiæ ad quendam Sartorem de partibus Vuigoniæ deprehenſum in hæreſi, cumque flecti animo non poſſet, nec aliud quàm benedictum panem ſacratiſſimam hoſtiam uellet appellare, uel credere, tan-

Thomas Vaidenſis lib. ſacr. contra Io. Vuicleph.

rem iuſſus facere reuerentiam hoſtiæ Reſp. blaſphemus. Verè inquit, dignior eſt Aranea reuerentia: at illico de alto culmine tecti deſcendens ingens, & horrida viſu Aranea, ad os Blaſphemi directo filo peruenit, & dum Sartor loqueretur, ſollicitè laborabat Aranea, vt per labia polluta intraret. Aſtitit illuſtris Princeps Thomas Oxonienſis Dux, tunc Regni Cancellarius, & vidit prodigium, at prædictus Archiepiſcopus ſtatim ſurgens cum alijs exponit illic omni collecto populo quid vltrix manus Domini faceret in blaſphemum. Dæmon in aranea forma blaſphemum poſſedit, & vltus eſt Dei calumniam.

Sofronius his ſequentibus verbis recenſet vltionem B. Virgin. Mariæ. In Heliopoli Phœnicie Mimus quidam erat, Gaianus nomine, qui in Teatro ſanctam Dei Matrem blaſphemans, populo ſpectaculum blaſphemiæ præbebat, apparuit ei Sancta Dei parens, dicens, noli quæſo, noli ita lædere animam tuam, ille verò rurſus deterius illam blaſphemabat, vnde ipſa tertio ei apparens eadem repetebat, cum autem ille non ſe corrigeret, ſed plus quoque blaſphemijs adijceret, meridie dormienti ſibi apparuit, nihilque dicens, digito ſignauit eius manum, & pedes, euigilans inuenit ſe truncatum manibus, & pedibus, atque ita infœlix, vt truncus inutilis iacens, confitebatur omnibus, cuius rei gratia, & quomodo hoc paſſus eſſet, atque propter blaſphemias clementer cruciatus fuit, ſic beati per ſe dulciter puniunt ipſi.

In Prato ſpirituali cap. 47.

Tempore, quo in Vniuerſitate Colonienſi Sacræ Theologiæ ſtudio adſcriptus fui, quædam virgo quindecim, vel ſexdecim annorum moribus ſecundum ſeculum ſatis compoſita, in domo cuiuſdam ſuæ Conſanguineæ nutriebatur extra domum parentum: cumq; Cognatæ ſuæ ſciphum ſatis vilem terreum caſu fregiſſet, Cognata ira replebatur in lapſus negligentiam, & in ream virginem, quæ Virgo tanto hoc moleſtius tulit, quanto vaſculum vilius extitit; in iram ergo commota Virgo, hora ſumendi cibum, nec comedere, nec ad menſam præ ira ſe præſentare voluit, cuius Cognata ait, oportet, vt comedas, at virgo apud ſe ſubmurmurando huiuſmodi verba dicebat, ſi me oportet edere, in nomine Diaboli fiat, ſic ad menſam acceſſit, benedictionem menſæ, quam ſciebat neglexit, & in prima buccella panis, vt putabat, muſcam ori illatam ſenſit, quam cum nulla arte eijcere valeret, deglutiuit, & immediatè obſeſſa fuit, ſemper tamen vſum rationis bonum habuit, licet ſæpe ſatis vexaretur à Dæmone; cum autem in domum parentum cum magna mæſtitia reduceretur, & diutiſſimè nullus reperiretur, qui eam liberare poſſet, tandem quidam

Ioan. Nider. lib. 5. Formicar.

frater calamitati parentum puellæ compatiens, ſe in eius exorci-zatione intromiſit, pacto tali præuio, vt ſi liberaretur, nihil ter-reni Exorciſtæ daretur, ſed puella in caſtitate ſolita, ſi vellet li-berè, & non in matrimonio, de cætero militaret. Legit igitur præfatus frater miſſam, obtulit obſeſſa oblationem conſuetam, in eadem adfuit per totam, & in nullo vexari videbatur, finitoque officio, poſt ſatis diutinum Exorciſmi actum; membris omnibus Virginei corporis contuſis penè, exijt Dæmon, & ita virgo dein-ceps Domino in caſtitate ſeruiuit.

Vindicta Sagarum.

Idem author ſequitur, dicens. Poſtquam Petrus Maleficarum inſignis Iudex, officium reſignauit, & Ciuitatem Bernenſem rein-trauit, ibique domicilium tenebat, die quadam rediens ad ca-ſtrum Blanchemburg, vbi cognatus eius in ipſius officium ſubſti-tutus fuerat, in eodem Caſtro Petrus quædam negotia apud ſibi notos expedire volebat. Tunc vna Malefica, & quatuor conſor-tes eiuſdem malitiæ viri de ſero in loco vno machinamenta ſuæ artis voluentes, pro viribus vt Petrum grauiter Veneficijs læde-rent, vel occiderent, cogitabant, quem hæc latebant fraudis com-mercia. Adueniente igitur nocte Petrus ſe benedicendo crucis ſi-gno cubitum iuit ſed nocte omnino ſurgere propoſuerat, ad ſcri-bendas quaſdam neceſſarias Epiſtolas, vt mane recedere à loco poſſet. Euigilans igitur intempeſta nocte ſibi videbatur ex ino-pinato, quòd dies adeſſet, luce deceptus fictitia, de quo in ſe ira-tus, quia vt putabat noctem neglexerat non ſe, vt debuit munien-do, more ſolito veſtimentis induit, per gradus altos verſus locum vbi pugillarem habuit, deſcendit, & locum clauſum reperit, de quo maiore ira exardeſcens, cum murmure per gradus, quos de-ſcenderat, verſus lectum iterato ſcandebat emittendo vnicam ex indignatione maledictionem, per verbum ſatis breue, ac ſi dice-ret in nomine Diaboli, & ecce ſtatim in tenebris denſiſſimis Pe-trus proiectus eſt in præceps per graduum prædictorum paſſus adeò grauiter, vt famulus, qui deſuper ſcalam in commodo dor-miebat, excitaretur, & exiens, quid hoc eſſet conſpicere volens, Dominum ſuum Petrum accenſo lumine ſolum in terra priuatum rationis vſu, iacentem, & colliſum per omnia membra, ſangui-nem plurimum è corpore emittentem reperit. Subdit poſt ali-quod tempus confeſſione Rei vnius compertum, quatuor Malefi-cos cum vna Malefica ſic Petrum gradibus deieciſſe. Nota hic le-ctor quàm noxa Crucis conſignatio neglecta fuerit Petro.

Re.2.c.4. Valfracu-riæ anno 1586.

Mirabile eſt, quod refert Remigius. Ianæ Blaſiæ Termopoli-tanæ Gener erat nomine Rayuerius vnaque ambo in ijſdem ædi-

bus

bus ipſi habitabant. Huic Raynerio Claudius Gerardus eius popularis femoralia concinnanda pridem locauerat, nec inſtando tamen adhuc efficere potuerat, vt ea ſibi aliquando vtenda redderet. Perteſus igitur tantam ceſſationem, ad Raynerium tandē ire pergit, vt ſciret quando fidem tergiuerſandi eſſet facturus, is tum fortè domo aberat, ſolaque Socrus Blaſia ad focum cum familia ſedebat: ab ea igitur pannum ſuum ſibi reddi poſtulat, quando ſe tam ſæpe bonus ille eius gener eſſet ludificatus, reperturum eſſe ſe, qui induſtriè æquè, atque ille eam operam nauaret: quam rem illa indigniſſimè ferens, verbis tamen tunc ſibi abſtinendum rata, dum re hominem poſt modum vlciſcitur, rogat vti velit in pauculos dies, intra quos ſine fruſtratione id, quod poſcebat eſſe allaturus, eam moram ferre: Interim etiam vnà ſecum ad focum pauxillulum ſedere non dedignaretur, atq; ex pomis, quæ recens ibi cocta videbat, ſibi quæ vellet haberet. iamq; Gerardus id facere non ſemel recuſauerat, cauſans ſibi non eſſe diutius illic morandi otium, & omnino nullum quem eius cibi offerebat, eſſe deſiderium: ex pomis illis vnum eius volæ manus cum tanto ardore adhæſit, vt alteram ei excutiendo ſtatim admouere cogeretur, verum dum id facit vtræque ſic conglutinantur, vt in vnum coaluiſſe viderentur, medij pomi ardore interim increbeſcente, vt res illi parum abeſſet ab inſania. Inclamat igitur quoſque obuios, obteſtans, vt ſui miſereſcerent; attulerant quiſque remedium pro ſe, quod poterant, hic aquam ad reſtringendum ardorem, ille inſtrumenta dirimendis ſeparandiſque manibus, ſed cum nihil horum quidquam prodeſſet, & iam palam eſſet illi id malum aliqua arte confectum eſſe negotium, ex vicinis accurrens conſideratior vnus monuit, vt eo reduceretur, vbi illum id malum primum inuaſiſſet, quod cum factum eſſet, cæpit bona illa Blaſia, ceu ridiculum quid contigiſſet hominem ludibrio habere, nihilominusque à ſuperiore brachio ad manum vſq; quòd intererat tantiſper demulcere, dum id pomum illa excideret, quo facto, confeſtim ſedatus eſt dolor, cæperuntq; ei manus liberè, vt ante facere officium. Alia viſa dicta.

Iuriſconſultus quidam Germanus hęc ſequentia verba ſcribit. Ioachimo primo Electori Brandeburgico nupta fuit Ioannis Daniæ, Suetiæ, & Noruegiæ Regis filia Eliſabeth, cui, vt alimenta ſe mortuo Regina habere oppidum Spandero ad Sueui, & Haueli flumen conſluentem maritus attribuit, in quo oppido ipſa adhuc viuente, Miles quidam per Marchiana iter faciens, cum morbo impeditus detineretur decumbens, tradidit crumenam pecunia Lib. 5. de Lamiis eadem malitia Diaboli.

refertam hoſpitæ aſſeruandam. Poſt aliquot dies cum conualuiſſet, repetit crumenam: Mulier auara, cum ægrè tantam pecuniã amitteret, deliberat cum viro, vtrum reddere debeat, ineunt conſilium, vt mulier neget depoſitum: quare cum miles repeteret, illa confidenter negat ſe quidquam accepiſſe, ſimul ſe mirari impudentiam militis, qui auſit flagitare, quod non dedit ſeruandum. Miles indignitate rei motus, obijcit viciſſim hoſpitæ perfidiam, quare maritus tamquam defenſurus ſuam coniugẽ extrudit militem domo, is ante fores irritatus ſcelere hoſpitæ, ſtringit enſem, veluti impetum facturus in virum, & ferit ianuam. Hoſpes implorat auxilium vicinorum, & queritur ſuas oppugnari ædes, accurrunt lictores, & militem, quod vim publicam feciſſet deducunt in cacerem. Poſt aliquot dies Senatus oppidi aliò mittit narrationem facti, & ſententiam præſcribi petit, conſtabat ædes publice oppugnatas eſſe quare fertur ſententia, vt miles vltimo ſupplicio afficiatur, cumque iam inſtaret dies iudicij, venit Diabolus in carcerem ad captiuum indicans ei quam ſententiam Iudices ſint laturi, & pollicetur ſe hoc periculo eum liberaturum eſſe, hac conditione, vt ſe ſe Diabolo dedat. Miles conſtanter reſpondet, ſe potius moriturum eſſe, quamuis ſit innocens, Cum verò Diabolus verbis multis exageraſſet periculum, nec tamen inflexiſſet militis animum, tandem pollicetur ei liberationem ſine vlla conditione. Cum veneris, inquit, in Iudicium dic te imperitum eſſe forenſium negotiorum, & patrono indigere, ibi aſtabo cæruleo pileo tectus, & ornato pennis, pete igitur, vt me iubeant cauſam dicere. Miles, qui hoc ſine impietate facturus videbatur, ait, ſe hoc conſilio vſurum: poſtridiè in Iudicium ducitur, adeſt etiam orator tectus cæruleo pileo, ibi cum actor peteret, militem propter vim publicam capitali ſupplicio affici: miles Reſp. ſe imperitum eſſe forenſium negotiorum, petere, vt liceat iſti ſuo aduocato pro ſe dicere, concedunt Iudices; ibi Diabolus de Iure eruditè diſputat, non eſſe capitali ſupplicio eum afficiendum, à quo non ſit ortum rixæ, & tumultus initium, ait ab hoſpite militem vi extruſum, & ſpoliatum eſſe, iubet quæri ſaccum, & locum monſtrat, ibi cum hoſpes vehementer negaret, addens etiam diras imprecationes, iniunxit Diabolus ſi hoc non feciſti, iura vt te Diabolus abreptum perdat, hanc imprecationẽ cum inuocatione Diabolicum aliquoties repetiuiſſet, ibi Cauſidicus omiſſa iam diſputatione forenſi adoritur hoſpitem, & comprehenſum per feneſtras, & per medium forum omnibus perhorreſcentibus cum fragore abducit, nec poſtea vnquam corpus

hoſpitis

Hoſpitis inuentum eſt.

Cum tres Combibones in Taberna mero incaluiſſent, orto de animæ immortalitate,& pœnis inferni ſermone, vnus procacior, id totum pro nugis habere,& commentis ſacrificorum,cæteri iocanti applaudebant: Interea aduenit vnus magna ſtatura vir, & veſco corpore, is aſſidens, qui ſunt, ait, hi ſermones? quæ riſus cauſa? refert procax ille, & addit; ſe quidem licitanti haud magno prętio animam venditurum,quin & pecuniam in ſymbolum collaturum. Tu verò infert aduentor, quanti illam mihi indicas? nec mora conueniunt de prętio: hic animam addicit emptori, emptor ſoluit: potatur ſtrenuè de præſente pecunia, denique ſub noctem: Tempus, ait, Emptor ut ad propria quiſq; redeat; ſed uos ius dicite, ſi quis equum capiſtro ligatum emerit, non ne ius ei eſt cum capiſtro equum abducendi? & cum dicto uenditorē trementem in omnium oculis abripit, & ſurſum in aerem leuat, ſecumq; ad Infernum trahit, uiſurum, quod credere noluerat: Animarum quippe mercator erat ille, cuius figura fuit Rex ille ſodomorum dicens;da mihi animas,cætera tolle tibi. Cantipratenſis lib. 2.cap.55. par.3.

Idem Iuriſconſultus. In Sileſia, inquit, quidam Nobilis cum inuitaſſet conuiuas,& hora conuiuij iam inſtante,& apparatu facto ſpe fruſtratus eſſet, excuſantibus ſe conuiuis, cum non comparerent, prorupit in hæc uerba iratus. Veniant igitur omnes Dœmones,ſi nullus hominum mecum eſſe poteſt,his dictis domo egreditur, & in templum, ubi Paſtor Eccleſiæ Concionem habebat, ingreditur,& ut iram concoquat,auſcultat aliquandiu,dum autem in templo moratur, ueniunt equites in aream domus,magni, & nigri, & iubent domus ſeruum, ut dominum ſuum aduocet, eique ſignificet adeſſe hoſpites, ſeruus conſternatus abijt in templum, & indicat hæc Domino ſuo, qui neſcius conſilij Paſtorem conſulit,Paſtor abrumpens concionem,hoc conſilium dat,ut tota familia domo exeat, quod cum fieret, & famuli, & ancillæ properarent,forte obliti ſunt infantem in cunis iacentem,& dormientem ſecum non auferunt. Dæmones incipiunt comeſſari,& uociferari,proſpicereq; per feneſtras,formis Vrſorum, luporum, felium,& hominum,& monſtrare pocula uino repleta,aſſaturas, & piſces. Hæc uicini nobilis Paſtor,& alij cum uiderent. Ah inquit pater,ubi infans meus? uix cum hoc dixiſſet, unus ex Dæmonibus ulnis ſuis infantem ad feneſtram portat, quaſi monſtraturus parentibus; Nobilis prorſus conſternatus, & ſollicitus de incolumitate infantis,fidum habens ſeruum,illum interrogat,quæſo dic quid agam?Seruus, Domine, ait, commendabo, & com-

mittam

mittam uitam meam Deo meo, & in nomine Domini ingrediar; & vt infantem auferam auxilio, & beneficio Dei, videbo; bene, ait, Nobilis, Deus tecum ſit, & iuuet te, animumque tibi confirmet. Seruus accepta benedictione à Paſtore, & reliquis ingreditur, & ante conclaue, in quo erant Dæmones congregati, procidit in genua, & ſe Deo commendat, & hoc animo aperit ianuam, & videt Dæmones horribili ſpecie ſedentes; ſtantes, ambulantes, ſerpentes, & vno impetu currentes ad ſe, & vociferantes, hui, hui tu, quid tibi hic? Ille ſudans, & tamen Diuinitus confirmatus alloquitur Dæmonem, qui infantem geſtabat: tu inquit mihi infantem redde: nequaquam reſp. iſte, iam meus eſt hic infans, dic Domino tuo, vt veniat, & accipiat infantem: cui ſeruus, ego fungor iam officio meæ vocationis, in quam me Deus collocauit, & ſcio quidquid in hoc officio facio, id Deo gratum eſſe, quare ratione officij mei, & auxilio, nomine, & virtute Ieſu Chriſti aufero abs te infantem, & patri eius reſtituo, atque ita ipſe apprehendit infantem, & brachijs ſuis amplexus eſt, Dæmones nihil aliud reſponderunt, niſi vociferantes hui nebulo, hui nebulo, relinque infantem, relinque, alioqui te diſcerpemus, ille nihil curans minas diabolicas abijt incolumis, & incolumem infantem patri Nobili reddidit. Dæmones poſtea aliquot diebus elapſis, euanuerunt, vt in ædes denuo migrare cum tota familia Nobilis potuerit.

Idem ſequitur. In Saxonia Virgo opulenta formoſo Iuueni, ac tenuioris fortunæ matrimonium promiſit, hic præuidens quid futurum eſſet: illam prædiuitem, & ſexus ratione mutabilem, fidem vix ſeruaturam eſſe puellæ reſpondit; Illa contra diris ſe execrari his verbis cœpit; ſi alteri quam tibi nupſero, tunc me Diabolus in nuptijs illis abripiat. quid fit? Poſt interuallum aliquod mutat animum, alteri nubit, priore Sponſo ſpreto, qui eam ſemel, atque iterum promiſſi, diræque imprecationis admonuit, ſed illa poſthabitis his omnibus, nuptias cum altero ſponſo, relicto priore, celebrat. Ipſo die nuptiali, Cognatis, Amicis, & conuiuis hilaribus, Sponſa, vigilante conſcientia redditur triſtior ſolito. Tandem Diaboli duo ſub ſpecie duorum equitum in ædes nuptiales adueniunt, excipiuntur, adducuntur menſæ, hiſq; remotis choreæ ſubſequuntur, vnique ex his ſponſa honoris cauſa tamquam peregrino adiungitur, cum qua bis ſaltauit, & tandem eam è conſpectu parentum, & amicorum ſummo cum gemitu, & lamentatione per oſtium in altum ſuſtulit: Altero die parentes, & amici mæſti ſponſam quærunt, vt delapſam forte ſepelirent,

ſed

ſed ecce ijdem ſocij occurrunt, veſtes, & aurum referentes, additis his verbis: non in has res, ſed in ſpoſam à Deo nobis fuit poteſtas conceſſa: Sic illa corpore, & anima tradita Diabolo quæ promiſſionem nuptiarum violauit, & imprӕcationem addictam contempſit.

Petrus Bizarus hæc ſequentia refert. In Sueuia Bauaris, & Franconibus finitima, fuit quidam Nobilis valde diues, & opulentus nomine Richibergerus, cuius annui redditus ſupra triginta millia aureorum extendebantur: hic tametſi in reliquis vitæ actionibus non vulgari laude dignus cenſeretur, ineffabili tamen cupiditate laborabat, eaq; factum eſt, vt quotidie opes, per fas, & nefas accumulare, omniaq. ad ſe rapere ſtuderet. Cum itaque proſpiceret annonæ caritatem, quę proximo anno in ea Regione ſubſequuta eſt, ſua horrea tritico, & frugibus impleuit, magnoq; pretio ea diuendere cœpit, adeò vt indigenæ compulſi ab eo victum emere, ob inexhauſtam eius auaritiam, vel fame prorſus perirent, vel ſi ali, & ſuſtentari vellent, ad magnam ęgeſtatem, atque inopiam redigerentur, tam carè illis granum, & reliquæ eius generis diuendebat. Ad hunc præter alios innumeros, venit quidam pauper, liberis onuſtus cum ſex taleris, eumque rogauit, vt pecuniam acciperet, & quandam tritici menſuram ſibi daret, ſeq; reliquam partem pecuniæ, quam illi deberet, breui bona fide perſoluturum: at ipſe hunc ſuperbo vultu, & iracundis oculis intuitus à ſe protinus abire iuſſit, & quod reliquum erat pecunię ſecum adferret, ſi frumentum vellet, atque ita miſer, ac mæſtus diras imprecatus illinc receſſit. Paucis poſt diebus, cum is quendã ex famulis in horreum miſiſſet, vt illud de more inſpiceret, ab ipſo in reditu accepit, tres nigros boues intus eſſe, qui granum deuorarent, qui autem hoc retulit proximo die, lecto decumbens, haud multò poſt è vita migrauit. Idem quoque accidit cuidam generoſo, quem illuc herus miſerat, vt videret an ita res ſe haberet, ſicut prior narrauerat, is enim, & boues, & equos inſpexerat, cum igitur de hac re certior fieri vellet, ipſemet in eum locum proficiſci ſtatuit, iuitque ad portam horrei, & ibi per quaſdam rimulas vidit totum horreum plenum varijs, atque innumeris armentis, quæ omnes fruges conſumebant, hoc ſpectaculo ita perterritus eſt, vt ſtatim furioſus, atque inſanus fuerit, multaque dementer fecerit, donec tandem catenis aſtringeretur. Hic horribilis caſus, magnam ſanè admirationem attulit, cùm in ea prouincia, tum præcipuè in Aula Cæſariana, quæ illum antea prudentiſſimum cognouerat.

Epachius

Gregor. Turonen. libr. 1. de glo. mart. cap. 87.

Epachius Presbyter, dum temerè, quæ indignus erat agere præſumpſiſſet, Diuino iudicio ſolo proiectus occubuit. Hic enim dū Dominici Natalis vigilias celebrare Eccleſiam petiſſet, per ſingula horarum momenta, egrediebatur templo Dei, & in domo ſua pocula laſciua, ſpumantibus pateris hauriebat, ita vt affirmarent multi, eum poſt galli cantum in ipſa nocte vidiſſe bibentem. Sed cum eſſet ex genere Senatorio, & nullus in Vico illo Ricomagenſi iuxta ſeculi dignitatem haberetur nobilior, celebrare miſſarum ſolemnia expetitur, nec dubitabat miſer vino madefactus appetere, quod ieiunus quiſque non ſine metu poteſt terrente conſcientia explicare. Verum vbi explicatis verbis ſacris, confracto Dominici corporis ſacramento, & ipſe ſumpſit, & alijs diſtribuit ad edendum, mox equini hinnitus ad modum vocem emittens, ad terram ruit, ac ſpumas cum ipſa miſterij ſacri particula, quam dentibus comminuere non valuit, ab ore proijciens inter manus ſuorum ab Eccleſia deportatur, nec caruit vltra hac Epilepſiæ infirmitate, ſed per ſingulos lunares curſus incrementis, decrementiſque hæc ſemper pertulit, quia ab hauſtu nimio vini minimè infœlix abſtinuit.

Surius 8. Nouemb. in vita S. Gothfredi lib. 3. c. 12. Bredembachius de bello liuonico. pag. 87.

Paucis ab hinc annis, poſtquam Torpatenſes in Lutheranam doctrinam conceſſerant; feria ſexta ſolemne Paſchæ feſtum proximè præcedente, finita Lutherani Eccleſiaſte Concione, Ciuibus è templo B. Matri Virgini ſacro reuerentibus, quidam alium Conciuem, & familiarem inuitat ad prandium, rogat vnà domū comitetur, habere ſe egregium paratum Petaſonem Vueſtphalicum, alter parum abhorrens reſpondit, ſibi eſſe gallum opipare elixum, quem cupit in Symbolum afferre. Dum ád menſam accumbitur, alter os quoddam galli edere volens, imprudens penè ipſum deglutit, quod cum neque tranſmittere, neque eximere valeret, eo ipſo die ſuffocatur. Alter poſtridiè Paſchæ malo ſpiritu corripuit, & non multo poſt rabie, ac furore exagitatus, animam vnà cum dæmone exhalat.

Lib. 2. miraculorū cap. 1.

Petrus Cluniacenſis hoc commemorat exemplum ad correctionem hæreticorum. Quidam Comes Matiſconenſis cum ſolemni die Matiſcone in palatio proprio reſediſſet, eumq; multitudo tam militum, quàm diuerſi ordinis circumſtaret, repente ignotus homo equo inſidens, per palatij oſtium ingreſſus, omnibus conſpicientibus, & admirantibus vſque ad ipſum equitando peruenit, cumque ei aſtaret, ſe eum alloqui velle dixit, & ideo vt ſurgeret, ac ſe ſequeretur, non tam monuit, quàm imperauit; Ille inuiſibili potentia conſtrictus, nec iam reſiſtere valens ſurrexit,

atque

atque vſque ad oſtium domus proceſſit, vbi equum paratum inueniens, eumque ab eo conſcendere iuſſus, conſcendit, cuius ſtantis habenas ille arripiens, ſtatim cum velociſſimo curſu per aera ferri cunctis conſpicientibus cœpit. Cumque immenſo eius clamore, ac miſerabili eiulatu tota Ciuitas commota ad tam inuiſum ſpectaculum concurriſſet, tandiu eum per aera currentem attoniti conſpexerunt, quandiu naturali oculorum acie eum ſubſequi potuerunt: qui cum eum diu, ſuccurrite Ciues, ſuccurrite, vociferantem audirent, nec iuuare valerent, ſubtractus tandem viſibus hominum, æternus quemadmodum meruerat eſt factus Dæmoniorum ſocius. Sic iſte Eccleſiarum direptiones, & ſacrilegia ſua luit in hac, & in ſequenti vita.

Scribitur in antiquiſſima Sancti Carilephi vita; quòd mulier quædam Gunda nomine, quam clandeſtinus ſupplantator illexerat ſpiritui ſancto volens illudere, virili ſumpta veſte B. Carilephi Monaſterium ingredi conata eſt, vt probaret, verum nè eſſet illius vaticinium, quod prædixerat ſexui femineo, nunquam datum iri copiam in illud intrandi, ſed iuſto Dei iudicio, priuſquam vel aſpiceret Cœnobij clauſos aditus, arrepta à Diabolo retrorſum ruit, ideoque fœdè ab illo vexata eſt, vt dicere me pudeat: caput enim illi adegit inter fæmora, ſicque factum eſt, vt quæ ſacratis liminibus falſa oſcula imprimere tentauerat, immundas ſui corporis partes oſculari cogeretur, ſexumque ipſa ſuum, quem virili habitu tegere voluerat, cunctis cernere volentibus palam proderet, ea res effecit, vt deinceps eò ſe conferre mulieres auſæ non ſint. Surius to. 3. menſ. Iulij.

De vana obſeruantia, & ſuperſtitione. Cap. XI.



Doctrina.

✠ SVperſtitionis quatuor genera reperiuntur. Vnum quod dicitur Idolatria; alterum, indebitus Dei cultus. Tertium ars diuinationis. Quartum, & vltimum, dierum, temporum, & numerorum vana obſeruantia.

Idolatria eſt, cum quidquid quod Deus non eſt, vti Deus adoratur, & illud, Idolum, nominatur, velut cum Iudei: Vitulum; Aegiptij, Anubim, Romani, Quirinum, adorauerunt. Hæc, tria grauiſſima peccata, vt ait S. Bernardinus Senenſis ſecum trahit, primum eſt, quod Deo omnium Creatori debitum honorem aufert. Secundum eſt, quod adorat viliſſima, vt puta, lapides, herbas, ſtipides, & animalia, quæ omnia digna ſunt, vt igne, vel ferro plectanrur. Tertium eſt, quod creaturam Creatori adequat. Quare, fuerunt aliqui adeò mentecapti, iuxta Clementem, in itinerario, qui Diuinum nomen, & honorem, ventris flatui tribuerunt. Et æthiopes Tonitrum diù pro Deo habuerunt. Idolatria igitur eſt ſentina omnis vanitatis; fornicationis fundamentum: magiſtra ignorantiæ. Dei: inuentrix cæcitatis animæ: nutrix delectationis impudicæ; inimica honeſtatis, quæ vult contra Deum

omnipo-

Omnipotentem vniuerſi totius creatorem pugnare, & audet veri Diuini cultus fines adoriri. Hæc eſt, per quam regnat mors; omnium malorum eſca: virtuti contraria: incorruptibilitatis inimica, quæ laudat præcipitia, & terrena ſpe ſequaces ſuos implet. Hæc eſt amica ſanguinis: caput inuidiæ: ſoror vmbræ mortis: quæ aduerſatur æternæ gratiæ lumini: quæ peruerſis operationibus vincit, qui illam ſequuntur: quæ in nobis luxuriæ ſpiritum excitat, & canitiem venerandam ignominia, & dedecore implet, ita vt, non vereatur ſenex publicè ſaltare, & ſi quid eſt turpius huic ætati, adimplere. Hæc à Iuuenculis, honorem pudicitiæ aufert, dum Cæſariem nimia vanitate excolere, ac faciem ſtibio, & vnguentis linire, docet. Sui ſequaces armat, vultq; eius feſtiuitatibus, gladijs diſtrictis finem imponere, ac ſolemnitates eius, beſtiarum immundo cruore decorare. Hæc, piſces depaſtos, & allium, cæpaſq; paulo ante à nobis ſeminatas adorare impellit; inanimatis, animata ſacrificat, imò, ligna adorat, quæ deinceps aræ ſupponit ad ſacrificium conſumandum.

Indebitus Dei cultus, eſt id pro Deo colere, quod Deus non eſt, & ſic idem eſt, quod Idolatria: alius eſt minus deleterius, ſæpe tamen læthalis, ſemper noxius, quem Firmianus ſine cauſa videtur à ſuperſtitione excludere, vt ſi cui, qui debetur cultus, non quo debetur modo, exhibeatur: hãc vocant Theologi ſuperſtitionem indebiti cultus, eo quod, nõ qualis debetur, præſtetur, huius propriũ nomen eſt, indebitus Dei cultus. iuxta Auguſt., *a* qui ſic ait, quæ ad remediorum aliarumq; obſeruationum curam pertinent, quæ non ſunt diuinitus ad dilectionem Dei, & proximi, tanquam publicè conſtituta, ſed per priuatas appellationes rerum temporalium corda diſſipant miſerorum. Huius cultus diſputatio, non eſt præſentis ſpeculationis, nec prioris, quæ Idolatria dicitur, ſed tantum intelligimus de ea, quæ implicita, ſeu tacita Idolatria eſt, quæ alio nomine, Magia omnis prohibita, de qua ſuo loco actum eſt.

a Lib. 2. de doct. Chriſtianæ c. 23

Diuinatio, quæ Diuinitatis imitatio, ſonat, ſuperſtitioſis in honore eſt. Idcirco diabolus, qui Simia Dei eſt, fatuis hominibus perſuadere ſtudet, ſe futura ſcire, & ita Ariolum, & Diuinatorem ſe eſſe, vt ad eum, qui futura ſcire geſtiunt, accedant. Dicitur autem diuinatio, Diuinitatis imitatio, quia nullus præter Deum, occulta, & futura ſcire poteſt niſi fuerint ab eo reuelata.

Futura ergo ſunt in triplici differentia. Quædam habent eorum cauſam determinatam, ſed infallibilem, qualia ſunt, quæ agunt de corporibus cœleſtibus, & de eorum motibus, hęc autem

poſſunt cognoſci in eorum cauſis, non ſolum à Creatore, ſed etiã à creaturis, vt eſt Ecclipſis: Solis, & Lunæ coniunctio, & oppoſitiones.

Alia ſunt quæ habent eorum cauſam determinatam, ſed fallibilem, vt ſunt opera naturæ, cum natura determinetur, ad vnum: eſt autem fallibilis, quia poteſt multipliciter impediri. & huiuſmodi poſſunt etiam à doctis cognoſci, & præueniri. Alia tandem ſunt, quæ habent eorum indeterminatam cauſam, & fallibilem, qualia ſunt, quæ à voluntate noſtra, & à libero arbitrio noſtro, quod eſt in determinatum, quia ad oppoſita fertur, pendent, & poteſt diuerſimodè impediri. Iſtech ergo quando euenire debeant, nullus hominum, nec Angelorum, nec diabolus ſcire poteſt, niſi Deus ipſe, qui non dependet à creaturarum cognitione, quia certiſſimè cognoſcit omnia, tàm ea, quæ ſunt, quàm ea, quæ non ſunt, & nobis contingentia. Quare ſicut cognoſcit omnia, ſic ea reuelare certè, & demonſtrare poteſt. Hæc reuelatio appellatur, diuinatio, quia cognoſcere futura eſt actus Diuinus. Diabolus voluit in hoc Deum imitari, ſed id aſſequi non potuit, idcirco occultat ſe amphibologijs, ſicuti quando dixit Pirro. Aio, te Aeacida romanos vincere poſſe, & alibi, quando dixit, ibis redibis non morieris in bello. Qui igitur vult diuinare diaboli arte, aufert à Deo honorem, & diabolo eius inimico tribuit. Verum, etſi diabolus futura in ſe ipſis ſcire non poſſit; iuxta prædicta, eſt tamen tantæ perſpicacitatis, & ingenij acuitatis, vt multa prædicere ſoleat ventura, & reuelationes fingat; tamquam ſi naturaliter futura cognoſceret. Quod ſi obieceris, diabolum prædixiſſe, quod aliquis breui erat in aquam caſſurus, qui poſtea cecidit in eam, & perijt, & ideo verum prædixiſſe. Reſp. ipſum diabolum prædixiſſe malum, quod facere intendebat illi miſero, & diuinauit, quia compleuit malitiam eius, ſed multoties mendax viſus eſt, quia non permiſſit Deus illum complere, quod facere intendebat peruerſè. Oſtendit tandem fictam potentiam ſedandi bella; tribulationes, tempeſtates, & infirmitates, vt homines alliciat ad ſibi ſacrificandum. Quare, hæc diuinationis ars ea eſt, quæ alio nomine Magia dicitur. *De* vana autem obſeruantia tẽporum dierum, & numerorum, infra. Sed vnde nam hæc dignoſci poſſit videamus.

Quo modo dignoſcatur vana obſeruantia.

*D*ignoſcitur primo, ſi conſtet quod effectus ſuperet naturæ vires, & tunc attendendum eſt, an per ſcripturam ſacram, vel Eccleſiæ definitionem, vel approbatam ab ea traditionem effectus iſte *D*eo tribuatur, ſiue cõſtet, effectum hunc eſſe diuinum, quod

ſi

ſi nihil huiuſmodi reperitur, effectus tribuitur pacto cum dæmone inito, & cenſenda eſt magica ſuperſtitio, ſiuè vana obſeruantia, cuiuſmodi eſt remiſſio peccatorum extra Sacramenta, quoad mortalia, extra Sacramentalia, quoad venialia, item diuinatio rerum futurarum contingentium.

Secundo, ſi conſtat rem, cui tribuitur effectus, hanc vim à Deo, vel à natura habere, ex parte effectus, non eſt vana obſeruantia: benè poteſt eſſe vana obſeruantia ratione alicuius vitioſæ circumſtantię, verbi gratia. ieiunium, cilicium, diſciplina, quia affligunt corpus, & macerant, habent virtutem ad arcendas carnales concupiſcentias; ſed ſi his addantur, circunſtantiæ ridiculæ, velut certa hora, definitus numerus, quem excedere, nec minuere liceat; vel vt fiat illa, vel illa manu. flagro ſerico, vel canabeo, & huiuſmodi, erit vana obſeruantia.

Tertio, ſi quis vtatur certis orationibus, ſententijs, etiam ſacris, aut operibus pijs in rebus vanis, & ad Dei cultum, & honorem directè, vel indirectè pertinentibus, quæ in aliquibus libellis à Pio V. damnatis continentur, eo quod dubias indulgentias, & remiſſiones peccatorum, & conſecutionem rei optatæ promittãt, eſt vana obſeruantia. Per certa verò ieiunia, & orationes ſine humano labore, ſed ſecundum inſtituta artis cuiuſdam, ſcientiam infuſione acquirere, pertinet ad Magiæ ſpeciem, quia fit ex pacto cum diabolo expreſſo, & eſt mortale; forma communior huiuſmodi talis eſt, quam deſcribit Martinus Delrio. *b* Iubent diſcipulum in primis expiare conſcientiam generali confeſſione, tum ſæpe communionem ſumere: ieiunia Eccleſiæ ad vnguem obſeruare, & alios quoſdam ſuperaddere ieiunij dies ſponte, præſertim feriam ſextam, in qua ſolum reficiatur pane, & aqua: recitare quotidiè ſeptem pſalmos, & certas quaſdam preces alias: hæc omnia per ſeptem hebdomadas ſunt obſeruanda. Interim abſtinere debet ab omnibus ſecularibus negotijs, quibus peractis, tradit libellum quarundam precum recitandum, & certas figuras exhibet adorandas; Conſtituit etiam certas horas, quibus preces iſtæ, & adorationes ſunt perſoluendæ, nempe, ſeptem primos nouilunij dies, in ipſo quotidie ſolis ortu. Ritibus his per tria nouilunia ter peractis, debere hominem ſibi eligere diem aliquem, quo ſit magis deuotus, & inſpirationi recipiendæ magis accommodatus; tum hora tertia debere ſe ſolum ſiſtere in templo, vel oratorio quopiam, vel in medio agri cuiuſpiam genibus flexis, ac manibus, & oculis in cœlum eleuatis, pronuntiare ter verſiculum illum. Veni Sancte Spiritus. Quod cum fecerit, repentè

b lib. 3. q. 4. mag. quorum.

pentè omni ſcientia impletum iri, adeò vt ipſemet obſtupeſcat de tam ſubita ſui mutatione. Ecce myſteria huius diabolicæ artis, cultum enim hunc, & totum hoc adorationis genus diabolo exhibent, illi ſacras preces, & Eccleſiæ Sacramenta offerunt, cui initiantur. Perditi homines, qui & corpus, & animam periculo exitij manifeſti exponunt, teſtatur enim Cyruelus *c* multos huic arti vacantes, vitæ vtriuſq; iacturam feciſſe. Quare iure optimo hæc ars damnatur, quia vtitur cæremonijs, non ad hunc effectum inſtitutis, dum obſeruat dies, & horas ad hoc nil pertinentes, adorat figuras illas, quæ nec Dei ſunt, nec Sanctorum, ſed vanæ, & magicæ. Non igitur, qui infundit Deus eſt, nec Angelus bonus, ſed diabolus, quia diabolo fundunt preces, diabolum adorant, diabolo ieiunant, & diabolum ſunt habituri remuneratorem.

c lib. de ſuperſti. par. 3. ca p. 7.

Quarto, quando geſtantur reliquiæ: Euang. S. Ioannis, aut aliqui verſus pſalmorum, non ex deuotione tantum, ſed adiunctis vanis circunſtantijs, videlicet, vt ſic, vel ſic ſint ſcripta, vt reliquię ſint in vaſe rotundo, vel triangulato, tribuendo vim formæ, vel materiæ, vt ſcriptum ſit in carta virginea: vel tempori, vt ſcriptũ ſit oriente ſole: vel perſonæ, vt alligatum ſit à virgine: vel modo, vt tot filis, vel talis coloris. Inſuper neceſſe eſt, vt nulla adſit figura, præter ſignum cruces, nulla imago, niſi Chriſti, B. Mariæ Virg., vel Sancti alicuius noti, aut Angeli boni: nulla Dei, vel Angelorum barbara, & incognita nomina, nil tandem ſit vani, vel mendacis.

Quinto, huc referenda vaniſſima omnium animaduerſio, ſiue Omen. Quid enim ſunt omina, niſi vana quædam obſeruantia? Sæpe quis egreditur domo ſua, & videt monoculum, vel claudum & ſtatim, ominatur. Si virgini occurrit, ſterilis dies ominatur. Plurima omina enumerat Auguſtin. *d* ſic ſcribens. His adiunguntur millia inaniſſimarum obſeruationum. Si membrum aliquod ſalierit. Si iunctim ambulantibus, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit: atq; illud, quod lapidem calcant, tamquam amicitiæ direptorem: minus moleſtum eſt, quàm, quod innocentem puerum colapho percutiunt, ſi pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum eſt, quod aliquando pueri vindicantur à canibus, nam plerunq; tam ſuperſtitioſi ſunt quidam, vt etiam canem, qui medius interuenerit, ferire audeant, non impunè: nãque à vano remedio, citò ille percuſſorem ſuum ad verum medicum mittit. Hinc ſunt etiam illa, limen ſuum calcare, cum ante domum ſuam tranſit: redire ad lectum, ſi dum quis ſe calceat, ſternutauerit, Redire domum, ſi procedens offenderit. Cum

d Lib. de doct. Chriſtiana c. 20.

veſtis à foricibus roditur, plus timere ſuſpitionem futuri mali; quàm præſens damnum dolere. Vnde illud eleganter dictum eſt Catonis, qui cum eſſet conſultus à quodam, qui ſibi eroſas caligas diceret eſſe à ſoricibus, reſp. non eſſe illud monſtrum, ſed verè monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur. Hæc Auguſt. dicamus ergo, omina obſeruare, ſemper illicitum eſſe.

Sexto, euenit vana obſeruantia in ſtrenis, primo die anni dandis, vt conſueuerunt Ethnici Calen. Ianuarij facere, ſecundum Suetonium,& Ouidium, qui in honorem Iani illas ſolemniter celebrabant,& ſtrenas inuicem dabant,ad omen bonum ſignificandum. Hic ritus damnatur à D. Auguſtino apud Gratianum,& à Martino Papa, qui ait, non licet iniquas obſeruationes agere Calendarum, & ocijs vacare, neq; lauro, aut viriditate arborum cingere domos, omnis enim hæc obſeruatio paganorum eſt: eaſdem damnat Burchardus in pœnitentiali *e* his uerbis. Obſeruaſti Calen. Ianuarij ritu paganorum, ut uel aliquid plus faceres, propter nouum annum, quàm antea,uel poſt ſoleres facere. Ita dico, ut uel menſam tuam cum lautitijs, uel epulis in domo tua præparares eo tempore,aut per uicos,& plateas cantores,& choros duceres,aut circa tectum domus tuæ ſederes enſe tuo circumcinctus, ut ibi uideres, & intelligeres, quid tibi in ſequenti anno futurum eſſet: vel in biuio ſediſti ſuper taurinam cutem, ut & ibi futura tibi intelligeres: uel ſi panes prædicta nocte coquere feciſti tuo nomine,ut ſi bene eleuarentur,& ſpiſſi, & alti fierent, inde proſperitatem uitæ tuæ eo anno preuideres. Ideo quia Deum Creatorem tuum (hæc faciendo) dereliquiſti,& ad Idola, & illa uana te conuertiſti,& Apoſtata effectus es, duos annos per legitimas ferias pœniteas. Ecce breuem enumerationem ſuperſtitionum illius diei, quas iure merito Concil. Antiſiodorenſe lib. 2. uocat ſuperſtitiones diabolicas,& eas damnat.

e lib. 19. c. de art. magic.

Septimo, eſt ſuperſtitio illa,& uana obſeruantia, dierum,menſium,& annorum, non ad Dei cultum, ſed ad directionem negotiorum ſuorum,& hæc uocatur, ſuperſtitio temporariorum,cum obſeruatur certus unus hendomadæ, uel menſis dies tantum, uel certa diei hora, in euellendis herbis,& lignis præcidendis, ſicuti, qui colligunt herbas in die Sancti Ioannis, ad certos quoſdam effectus, credentes eo die uim naturalem efficationem habere; uel inſerunt arbores ipſo die Annuntiationis Beatæ Mariæ Virg. uel in feſto Sancti Stephani minuunt ſanguinem equorum, attendentes naturalem cauſam,quæ nulla eſt, unde uanè iſta inſtituunt,

quo

quo fit, ut feſta in honorent potius ſic, quam colant. Si uerò iſta directè attribuerent merito Sanctorum, & Deo adſcriberent effectum, ut Sanctos illos honorarent, uiderentur, & ipſi Sanctos illos honorare, & tunc non auderem eos damnare. Huc etiam pertinet, qui obſeruant quoſdam dies, uidelicet, diem Sanctæ Magdalenæ, diem Lunæ &c. tamquam infauſtos, uel ut fauſtos ad iter, aut rem aliquam incohandam. Item cum ſurgunt, an primo induerint calceum, vel femorale dextrum, vel ſiniſtrum, aut quo pede primum tangant terram, vel domo egrediantur, & huiuſmodi nugatoria ſupeſtitioſa. Vel qui obſeruant feſtiuitates certas, vt Conuerſionis S. Pauli, Vincentij, Vrbani, vel aliorum, in quibus ſi pluit, vel cœlum ſit ſerenum, augurantur ſibi ſerenitatem, fertilitatem, & vini copiam, vel inopiam, aut continuatam pluuiam per tot dies, vnde ſuperſtitioſos fecerunt verſus illos, qui incipiunt.

Clara dies Pauli, largos fructus indicat anni &c.

Exempla plurima harum ſuperſtitionum ſuggerunt patres explicantes illa verba Pauli Apoſtoli, ad Galla 4. Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos, timeo vos, ne fruſtra laborauerim in vobis. Quare D. Pater Ambroſius explicat, ſic. Obſeruant dies, qui dicunt, cras proficiſcendum non eſt, poſt craſtinum non debet aliquid inchoari. Si colunt menſes, qui curſus Lunæ perſcrutantur dicentes; ſeptima luna inſtrumenta confici non debent; nona luna ſeruum emptum domũ ducere non oportet. Tempora obſeruant, cum dicunt, hodie veris initium eſt, feſtiuitas eſt, poſt cras Vulcanalia ſunt. Item talia verum aiunt, Poſterum eſt, domum egredi non licet. Poſterum, ſignificat aduerſum, & præpoſterum, quaſi elapſa commoditate ſerum. Annos ſic colunt, dicendo, Calendis Ianuarijs nouus eſt annus, quaſi non quotidie anni impleantur, ſed vt Iani illius bifrontis memoriam recolant, ſuperſtitione hac vtuntur, quæ longe fieri debet à ſeruis Dei, quia ſi Deus toto corde diligatur, ipſo propitio nil nobis obeſſe poteſt. hactenus Ambroſius.

Octauo loco, eſt vana obſeruantia in medendis malis, & morbis ſanandis, vt ſi quis faciat oblationem ex bonis per eleemoſinam collectis credens eam maioris efficatiæ eſſe ad effectum conſequendum. Qui putat crucem ex eleemoſinis emptam, vel factam eſſe ſanctiorem, & efficatiorem. Qui offerunt ceram ſanctis, vel quid tale illi immiſcentes capillos hominis, vel pilos ægri animalis. Qui imaginem mergunt in aquam pro pluuia petenda. Qui faciunt quaſdam ligaturas, ne lac Vaccis ſubtrahatur.

Qui

Qui per annulum deſponſationis metunt, vt liberentur maleficio. Qui ſtramen bipenni diuidunt, vt currentur digitorum, & manuum tumores, & alia huiuſmodi quamplurima. Huc referendæ ſunt innumeræ orationum formę, quibus vulgo vulnera ſanantur, vel morbi curantur, vel infortunia arcentur, vt de his, & alijs exhibet formas, Delio, mag. quæſt. lib. 3. queſt. 4. ſection. 7. 8. & 9.

De ſortibus. Cap. XIII.



SOrtes, incantationes, Veneficia, & diuerſum ſuperſtitionis genus hoc tempore eſt in vſu. Sciendum eſt igitur, ſortium, alias eſſe licitas; alias illicitas. Sors licita eſt, quæ vulgo dicitur, bona ventura, vt Petrus habuit ſortē bonam; Et iuxta hoc genus locutionis, dico cum Auguſtino, quod bona ſors, nil aliud eſt, quàm gratia Dei, qui habet hanc gratiam, bonam habet ſortem, & qui viuit ſine illa, malam habet ſortem. Sed ſi voluerimus propriè loqui, dicemus, quod ſors eſt ars diuinationis, ſiue id omne, quo vtimur ad ſciendum, & inquirendum occulta, quod fit cum expreſſa diaboli inuocatione, vt moris eſt Necromanticorum: aut etiam fit ſine expreſſa inuocatione, ſed non ſine ſua inſtigatione, vt eſt in Geomanticis, & ijs, qui occultant feſtucas inequales: qui iaciunt tales: qui iudicant punctos;

qui iaciunt fabas, & ſimilia, quæ omnia prohibentur fieri, quia qui talia agunt, honorem Dei diabolo tribuere volunt. Nulla creatura eſt, quæ poſſit futura ſcire, niſi ſolus Deus, vt ſupra docuimus. Et ſicut Paulus Apoſtolus vocat auaros, Idolatras, quia adorant aurum, ſic is, qui vtitur ſorte dici poteſt Idolatra, quia à creatura cognoſcit, quod ſolius Dei eſt.

Quot ſint genera ſortium.

Tria ſortium genera inueniuntur apud Theologos. Prima ſors dicitur, diuidens, ſecunda, dicitur, conſilians. Tertia dicitur, diuinans. Secunda, & tertia, ſunt ſemper illicitæ propter allegatam rationem, & propter pœnas à Sacris Canonibus ſortilegis conſtitutas, de quibus dicitur. Anathema ſit, qui ariolos, vel incantatores obſeruat. Et iterum. Sors, nil aliud, quam diuinatio, & maleficium eſſe decernitur. Sorte diuidente aliquando vti poſſumus, cum inter fratres diuidimus hæreditatem, de qua inter ipſos eſt diſſenſio, nec poſſunt aliter conciliari, & de hac ſorte dicitur Eccleſ. in diuiſione ſortis, dà, & accipe; iuſtifica animam tuam. ideſt, dà illi, quod æquum eſt, & accipe, quod iure tuum eſt.

Si autem quis obiecerit, ſortem diuidentem, & diuinatoriam licitam eſſe, quia Sancti Veteris, & Noui teſtamenti his vſi ſunt, cum Ionatas per ſortem inuentus ſit comediſſe mel. Ionas per hanc ſit iactatus in mare, quia cecidit ſuper eum ſors. Et Mathias electus ſit Apoſtolus per ſortem. Reſpondeo, permiſſum fuiſſe in veteri teſtamento, & poſt Aſcenſionem Chriſti, vti ſorte in electionem, & pœnam, tunc quando nondum Spiritus Sanctus venerat ſuper Apoſtolos, & veritas adhuc plenè non fuerat publicata: ſed deinceps amplius ſorte non vſi ſunt in electionibus, ſed factæ ſunt electiones per vota, ſiuè per ſcripturam; patet hoc, quia ſeptem Diaconi electi poſt Pentecoſtem, non fuerunt electi per ſortem, ſed arbitrio Apoſtolorum. Vt tamen in his nullum intercedat peccatum, ſeruandæ ſunt quatuor conditiones.

Primo, debet euentus à Deo expectari, & non à caſu, fortuna, vel aſtris, quare, & Deus inuocandus eſt, iuxta pſal. 30. In manibus tuis ſortes meæ. quod, ſi quis expectaret certè euentum ab aſtris, vel fato, mortaliter peccaret: ſi à caſu, fortuna, (accipiendo fortunam, vt Chriſtiani ſumunt philoſophi) in re graui, foret veniale peccatum, & in re leui, vix eſſet peccatum.

Secundo, debet adhiberi ſimplex ſors, ſine vlla ſuperſtitione, vel abuſu rerum ſacrarum, aut ſcripturæ ſanctæ, vt notat Auguſt. a non tamen eſt mortale peccatum, niſi magna adſit irreuerentia.

a Epiſt. 119. ad Ianua. c. 5. 26. q. 2.

Tertio, neceſſe eſt, vt illi, qui ſortiuntur æquali iure nitantur,

aliter

aliter eſſet iniuſta ſortitio, & quidem grauior, ſi de bono publico ageretur, vt puta, ſi de officijs publicis, digni, & indigni ſortes mitterent: ſors enim poſſet indigno fauere, cum damno Reipub., & iniuria dignorum.

Quarto, vt principalis intentio mittentium ſortes, non ſit inquirere voluntatem Dei modo extraordinario (quia talis modus omnino eſt incertus) ſed præcipua intentio debet eſſe, vt auferantur lites, diſcordiæ, quærellæ, & inuidiæ, quare, ſi aliter concordia poſſet conciliari, res ſorti non eſſet committenda, ſi aliter nequit diſcordia ſedari, bonum pacis ſortem permittit, ſeruatis his conditionibus. his non ſeruatis. dicamus in ſorte, eum impiũ eſſe, qui iſta vtitur, & magis impium, qui adheret incantationibus, & veneficijs diabolicis.

Metus incuſſus Maleficis, imò & verbera, ſunt optimum remedium ad auferendas infirmitates, quas intulerunt. Cap. XII.



Doctrina.

IN confeſſo ferè eſt omnibus, quæ de hoc interrogantur Sagis: quo plus metuuntur, eò audentius nocere, ac minis, & iniecto de carcere metu apud ſe multum profici, vt ſuas faſcinationes repercutiant. Quod autem maleficium poſſit tolli à maleficis ob minas, & terorem illis incuſſum, fieri poteſt, vt liceat, ſi condi- Remigius lib. 2. de monol. c. 3.

tiones quędam adſint primo,ſi certo ſciatur auctor maleficij,quia ſuſpectos tantum, nec iura, nec fas ſuſtinet verberare, aut contumelia afficere. Secundo,ſi putetur nihil ſuperſtitioſi adhibiturus. Tertio,ſi non exiſtimetur morbum in alium tranſlaturus,quod ferè ſemper cõſueuerunt facere;iſta enim videtur diaboli libertas, vt boni nihil vllis hominibus præſtet, niſi cum æquali, vel maiori hominum damno, quo ſpectat narratio D. Greg. Magni lib. 1. moral. cap. 9. de virgine obſeſſa, quæ cum opera Magorum ab vno dæmone fuiſſet liberata,in vnius locum, ſex, vel ſeptem dæmonum millia ſucceſſere.

Quàre multa ſcitu digna notanda ſunt. Primum, tempora ipſa,ſua ſanctitate,ac religione nocendi,vel voluntatem, vel facultatem Sortilegis non adimere: niſi Deus hoc ſua ſingulari bonitate prohibeat,& auertat, vt exemplo illius, quæ aſpergillo luſtrali eam inter ſacra lethaliter conſperſit, quam iniuriæ noxiam alibi opportunius reperire non potuerat,& ſæpius videntur diſiecta, ac proſtrata in delubris Diuorum ſigna fulmine, quod Dæmon aliquis vibraſſe, ac contorſiſſe crederetur. Nam nullibi amant magis dæmones ſua flagitia facere, quàm vbi fuco aliquo beneuola ominatione ſolent prætexere. Nec minus nouum eſt, vt aiunt Gelius *a* & Plinius, *b* reperiri, qui bene ominando, atque impenſius laudando, arbores, ſata, ipſoſq; adeò homines eſtaſcinent, ac perdant.

a lib.9.c.4.
b lib.7.c.1.

Secundum, nunquam eſſe ſolidam gratiam, aut plenum, integrumq; beneficium, quod conferunt Dæmones,(ſi beneficium rectè dici poteſt) ſed ſtatim, vel æquata, vel etiam grauiore aliqua iniuria, atq; incommodo luendum eſt ei, qui imperauit. Vix .n. morbum vllum à quoquam depellunt, quem in alium non illico transferant, & vnius ſalutem alterius interitu ferè ſemper paciſcuntur, prout refert Greg. Turon. *c* factum aliquando à quibuſdam Veneficis pariſienſibus, quæ Mummolum Pręfectum, quem in morbum lethalem mala ſua arte coniecerant, ad valetudinem reducere aliter non potuerunt, quam prius eius conſenſu interfecto vix bimo infante, quem Chilperius pater vnicum in ſpem Regni alebat: quam verſuram ſæpe etiam iniquo fænore feciſſe priſcos illos mortales Dæmonum erroribus imbutos paſſim eius tẽporis loquuntur annales: Nam cum terra medio foro ingenti hiatu Romæ deſcediſſet, reſponſum eſt non aliter eius labem coituram, quàm ſi primæ ſpei adoleſcens aliquis ſe ſe in eum hiatum deieciſſet, In quo eſt facilè videre, quantum inter paternam Dei benignitatem, & tyrannicam Diaboli crudelitatem, & ſæuitiam

c Hiſtor. Francorũ. lib.6.c.35.

interſit

intérſit; quia Deus per aduerſa hominem ad Cœlum vocat; Diabolus verò per proſpera (ſi verè vnquam quemquam proſperare poteſt) ad æternum interitum conuertit, & trahit.

Tertium, quòd per ſummam indignitatem, ac contumeliam, modum, quem Eliſæus, *d* & D. Paulus, *e* & Elias, *f* ſanctiq; patres d Reg.4.c.
multi in reuocandis ad vitam hominibus tenuerunt, ipſæ Sagæ in 4.verſ.34.
ſanandis aſſimulant, & imitantur, dum ſic deductis, paſſiſque ar- e Act.20.
tubus in nouiſſima valetudine conflictatos toto corpore incum- c.verſ.10.
bunt. f Reg.3.c.17.& 21.

Quartum, nihil ad curationem conferre, quæ Sortilegi exterius adhibent morbis à ſe incuſſis remedia, vt cum herbas, vnguẽta, balnea, & huiuſmodi adhibent, ſed ea prætexi quaſi in tegumenta ſortilegijs, quæ veriti legum ſeueritatem palam eſſe metuunt.

Quintum, ſic eſſe dæmoni tenaces manus, vt non facilè ſibi ſinat, quod ſemel comprehenderit; ergo ſi quando ſuorum rogatu morbum immiſit, is vel cum alio etiam grauiore commutandus venit, vt dictum eſt, vel in illud tempus curationem, ſedationem ve eius reijci oportet, quod fruſtra quiſquam ante capere ſuis apud eum precibus ſtudeat, ſic ſemper reliqui eſſe oportet aliquid, quod is lucro deputare poſſit.

Exempla.

Claudius Morelius aiebat, ſe nulla re magis adactum, vt le- Serræ 5.
uaret quas ſemel intulerat iniurias, quàm cum de compre- non.Decẽbr. 1586.
henſione, verberibus, ac vi aliqua terror offerrebatur, & ad hoc lib.3.c.3.
refert Remigius ſequentia his verbis. Vir quidam Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ Conſiliarius, cum de ea re fortè vnà ſermonem haberemus, narrauit mihi; & ſærio quidem, cum aliquando renunciatum illi eſſet filiolum ſuum in ſubitum incidiſſe morbũ, atq; vt is ab Anu quadam per veneficium allatus exiſtimaretur, de tota re primum nutricem eſſe percunctatum, nam tum forte ab ea geſtabatur filiolus, cum illum morbus inuaſerat, tum accuratè perpẽdiſſe, atq; æſtimaſſe qualis is morbus eſſet, ex eorumne genere, nec ne; quibus via peruulgata naturæ conſueuit ea ætas eſſe obnoxia: ac cum haud dubiè comperiſſet, non niſi mala arte, ac per faſcinum illi confici potuiſſe, ſecum tandem ſingula reputans eò coniectura peruenit, vt nihil iam putaret ſibi eſſe reliqui, quominus hanc filiolo ortam à bona illa Anu iniuriam crederet. Iubet igitur illam accerſiri, atque admiſſam ſolam in ædes

interiores primum blandè appellauit, vt ſi quid opis huic malo conferre poſſet, libenter faceret, neque ingrato locaturam beneficium. Ac cum illam multa cauſari vidiſſet, quo ſuſpicionem veneficij à ſe remoueret, tum de facienda medicina preces obſtinatiùs reijcere, arrepto fuſte, quem ob id parauerat, ſic illi humeros, latuſq; perfricuit, vt paratam ſe diceret, quæ imperaret facere. Poſtulat modo paululum temporis apponi ſibi dum curat, quæ ad eam rem eſſent neceſſaria. Nec mora, dato illi, quod poſtulabat ſpatio, & facta copia, quæ vellet, ægro impartiendi, non multo poſt admotis quibuſdam, in ſpeciem ſcilicet, ac ad tegendam artem potius, quam quòd ijs ita opus eſſet, illum priſtinæ valetudini reſtituit.

Simile eſt ſequens, eiuſdem authoris his verbis. Neceſſarius meus Antonius Blyeſtem in Dommartinenſi ditione quæſtor ærarius idem filiolo cuidam ſuo eueniſſe olim mihi narrauit. Cum is, ait, vt pueris mos eſt, in æde ſacra à matre ludens longius euagaretur, præteriens vetula quædam illi manu quaſi blandiens caput demulſit, ac benè precata, ceu aliò properans, foras exiuit.

Tum puer illico caput demittens, ac iam ægrè ſe ſuſtinens, voce lamentabili morbum facilè indicauit. Eo igitur domum relato, ac morbo in horas ingraueſcente, haud dubiè eius cauſam reiecere omnes, qui rem vti geſta erat, audiebant, in vetulam illam multorum veneficiorum iam ſuſpectam, ergo per vim a vicinis quibuſdam ea deducta, vt illatum morbum tolleret, ſtatim, vt fuit coram cœpit iiſdem modis, quibus ille conflictari, ac primũ toto ore eſſe liuida, tum ſpumas agere, cum tanto aſpicientium horrore, vt in rabiem iam iam itura videretur, ſucceſſit nox, quam in eodem lecto cum puero ducere voluit, nonnunquam illis paſſis incumbens brachijs, ac os ori componens quaſi quæ fouendo, atq; aſpirando labetem eius vitam recreare conaretur. Matronatũ etiam qui aduigilabant, ſermonibus diuulgatum eſt genus impuri tabani ſonum qualis feruente æſtate eſſe ſolet, tantiſper circa puerum auditum, dum deſijt videri euangelici textus fragmentum, quod amuleti inſtar eius fortè pileo inſutum hærebat, dubium reuellerit Saga, an eius dæmon; certè, qui pridie conceptã præcordijs mortem continere putabatur puer, primo diluculo valens, ſaluuſque euaſit: ſed nec id bonæ illi nihil fuit, nam ipſa ſibi beneficiũ, vt aliquatenus fœneraret, non longè abijt, quin in maximam pecoris partem, quod in illis ędibus ſtabulabat malè perderet.

Nicolea Stephana Sanpauliana mercede accerſita, vt Domar-

ſhenſe caſtrum peſtilentia, qua tum affectum credebatur repurgaret (nam ei rei operas ſuas locare conſueuerat) id quidem officium non indiligenter exequuta eſt, ſed cum iuſti dies exceſſiſſent, poſt quos contagionis metus ceſſare ſolet, ac ei numerata mercede facta eſſet abeundi copia, dolens quòd opinione citius mutandam ſibi videret, non alioqui tenuis, ac illiberalis victus conſuetudinem, putauit aliqua ratione eius abitionis tempus ſibi eſſe trahendum, ſimul, & Caſtellani vxorem malo aliquo impertiendam, quòd in ſe ableganda præceps eſſet, ac diligens. Ergo abiecta omni cunctatione placuit illam morbo aliquo diſtinere, in quo ſubleuando denuo rogaretur operam, ſtudiumq; ſuum impendere. Nec mora ei aſtans ad fores cubiculi; en inquit, hera Strophij tui plicaturæ diſturbatæ ſunt; ſine illas, vt paululum reconcinnem, adductaque per ſpeciem officij ad collum manu ſolertiſſime excuſſit in eius dorſum pulueris venenati, quem digitis tegebat, micas aliquot, quo facto, tanto fuit illico membrorum omnium horrore correpta, quanto ſolent maximo quos febris primum occupauit: Nec adeò multo poſt tantis præterea pedum doloribus differri cœpit, vt ijs fœde auerſis, ad talos digiti ſtatim diſtorquerentur; qua re omni à domeſticis perſpecta, & intellecta, comprehenſam, aſſeruatam, ac denique verberum iniecto metu exterritam, non prius dimiſſuros ſe ſunt minati, quam faſcinatione ſublatam heram in priſtinum valetudinis ſtatum reſtituiſſet, nam & hoc veneficij ſuſpitionem augebat, quòd ab ea aliquando audierant, ſe quidquid huius ſciret, quo ſic ad prohibendam, auertendamque peſtem vteretur, acceptum referre cuidam Matthæo Amantio, non pridem ob ſortilegij crimen capitis damnato, à quo etiam in tirocinij pretium ſtuprum paſſa, atque ex eo grauida facta fuerat.

Domarti-ni menſe Decembri 1587.

Primum igitur magnis clamoribus teſtari inſignem ſibi fieri iniuriam, cui pro beneficio tanta calumnia reponeretur, ac de ſuſpendio minas etiam iactare: ſed cum nihilominus illos in ſententia obſtinatè manere videret, ac nihil iam à ſe ea via profici, conſilium orationemque mutans, cœpit rogare, vt quando ea ſibi medendi neceſſitas imponebatur ſuſtinerent dum ad memoriam renocaret, ſi quod olim ſimili morbo remedium audiſſet prædicari.

Ac non multo poſt reuerſa dixit, reperiſſe ſe, in quo iam exploratæ ſalutis ſpem ponere, ac defigere poſſent: noſce enim ſe herbas quæ in balneis aſtrictæ eis dolori medicamentum præſtantiſſimum eſſent allaturæ, orare modo, ne ægrè illis eſſet, ſi quæ mora

valetudini

ualetudini intercederet, neque enim eiuſmodi morbum eſſe, qui ita ſit ad ſanandum facilis.

Inter hæc is, quem tum ſecum habebat filius, cum uideret matrem accipi, ſibi idem timens, qui ſciret ſe conſcium, nocte intempeſta è murorum pinnis per funem ſe demiſit, ſed poſtridiè è fuga retractus, uinctus, ac cur ſic clam ſe foras eieciſſet iuſſus fateri, rem omnem, uti hic narratur, explicuit. Hoc addens ſe toti ei fuiſſe caput, qui matrem ad illam impuliſſet, dum cauſam quærit, qua paratæ abitioni moram aliquam produceret, præterea nihil ad ſalutem conferre illa omnia fomenta, quæ ea ſic accuratè ægræ adhibebat, ſed ijs ita fucum fieri oportere, ut uideatur per conuenientia naturæ remedia proceſſiſſe curatio.

Nam iam tum ab inteutatis illi nerberibus latenter antidotum eam admouiſſe ſed illo uinci, ac contrahi non poſſe, qui ab initio fuerat morbo impoſitus temporis modus: expectarent igitur dū ìs, hebdomadæ dies, eaque hora bis recurriſſet, qua præbitum eſſet venenum, certo enim tum ęgram conualituram, ſaltem ab omni doloris ſenſu iri liberatum, ſola membrorum reliqua laſſitudine, in quo datam expectationem neutiquam fefellit, nam, in illo ipſo, quem præſtituerat temporis articulo morbus eſt ſedatus.

Verum ſequenti nocte recruduit etiam acerbior, nam Veneficam, vt poſtea eſt compertum, adhibiti remedij pœnituerat, quòd videret paratam inde rationem ad ſe maleficij coarguendam, ac etiam indubitato teſtimonio obruēdam, nam niſi ab ea venefica, quæ morbum fecit, tolli, aut ſedari vix poſſe certum eſt, vt ſupra docui in eorum legibus, ob idque ab illa repetitum iteratumque fuerat venenum.

Cum igitur poſtridiè filio prædictionis mendacium obiectaretur, multa malitioſè muſſitans, hoc tantum dicere voluit, matrem, vt verberibus, quàm poſſent indigniſſimè acciperent, hoc enim vti aduertebat vnicum ſupereſſe contra eius tragiuerſationem remedium. Arreptam igitur, denuo duo Validiſſimi Ruſtici, non prius ceſſarunt vitium malleolis contundere, pedibus obterere, pulſare, agitare, ac denique in obiectum ignem detrudere, quàm fidem ſuam aſtrixiſſet, ſe ægram eo ipſo die imò hora perſanaturam, quod & præſtitit, poſtquam pomum illi comedendum præbuiſſet, quod ante candidulo puluere videntibus nonnullis medicauerat ſic tandem facta abeundi copia, vti de hoc illi ante data fides fuerat, in lictores, eam ad caſtri portam præſtolantes incidit; à quibus ex Iudicis, qui in eius vitam, moreſq; inquiſiuerat, decreto comprehenſa, ac in vincula coniecta, de tota

ſte, ſicuti hic habetur haud cunctanter confeſſa eſt, ac tandem igni vnà cum filio eſt donata.

Stephanum Noachum Madrenſem perpetui triennij morbus vſq; adeò exercuerat, vt res illi parum abeſſet ab inſania. Ergo deſperatus ab omnibus periclitatiſq; in caſſum, quæ ſolers medicorum cura ſuggerere ſolet, remedijs tādem ad ariolos animum conuertit. Erat tunc temporis Cranuillei quidam præ cæteris eius artis fama clarus, ad illum præſentem præſens rem omnem defert, edocetur, hoc ipſi malum ab ea muliere confectum fuiſſe, quam domum reuerſus vnà cum vxore colloquentem eſſet reperturus. Compararet igitur è lento aliquo ſarmento vinculum, quod eius collo ſtatim, ac coram eſſet, inijceret, minareturq; ferocius, ſe illi animam mox eſſe intercluſurum, ni labefactatam valetudinem iamiam reſtitueret. Ingreſſus domum, vetulam offendit vxori ad focum aſſidentem, huic nomē erat Pariſete Noruuilanæ, eam vti monitus erat, re, verbiſq; quantum poteſt perterre facit. Illico eius genibus illa aduoluitur, veniam petit, ac ſartam tectam ab omni morbo valetudinem certo promittit, modo in ijs, quæ præſcriberet obſequi vellet, ea verò eſſe, quam primum ne grauaretur pirum, quod erat illi datura comedere, quod enim ſilicis inſtar durum primo contactu videri poſſit, id non ita eſſe, manu enim attrectatum, proinde emolitum iri, ac ſi bene coctum conditumq; eſſet, tum, vt ſe ſtatim lecto componeret, futurum enim, vt illico morbus ingraueſceret ob id è vicinia lectas Matronas duas, quæ illi ea nocte vigiliam ſuam traderent, harum peſſima præſentia ſe defendere parabat, ſi quid obijceretur mala arte factum, quo adeò grauis, diuturnuſq; morbus tam facilè, ac cito abſceſſiſſet, neque enim huius, quod ad id ornabat quidquam palam facere decreuerat. conditionem nullam reiecturum ſe declarat Noachus, modo ex tam incommoda valetudine euaderet. Acceptum tamen pirum, primum negat morſu diuidi poſſe, vt quod planè eſſet ferreum, ſed dum hæc loquitur, ac paululum interim illud contrectat, ſenſit, non ſine admiratione in lanæ molitiem propè abijſſe. Eo igitur deuorato (nam erat guſtu inſuaniſſimum) ſtatim illi ſtomacus tanto ardore conflagrare cœpit, quanto vix maiorem candentes carbones excitare potuiſſent; ergo in lecto properè collocatur, agenti animam haud ita diſſimilis, adhibet trepida uxor, quæ ſecum ea nocte illum obſeruarent, Matronas duas, quibus ſe tertiam bona illa ultro adijcit, vultu adeò ad mæſtitiam compoſito, ut præ illa ſictè uideri potuiſſent uxoris illius lachrymæ. Iam non indiligens uigilia ad

Caſtine menſe Iulio 1586.

mediam uſque noctem proceſſerat, cum Venefica clam eſpertas comites letheo ſuo puluere, ceu Mercurius aliquis, arctiſſimo ſomno complectitur, ac interea ſublatum ægrum humeris transfert in proximam aream ibique oblato immani vrſo imponit. Tum repetitis ſpatijs ſæpius vehit, ac reuehit ipſa quaſi onere iniquiore opprimeretur non ceſſante ingemiſcere belua, ea verò vox erat dolentis Dæmonis, quòd præter ingenium tali valetudinis beneficio operam ſuam accommodare cogeretur, ſed eius tarditatem illa increpans magisque, vt viam pergeret iſtis vrgebat verbis. Agedum ignaua, atque odioſa belua, nunc factis digna recipis tuis, quæ me primum ad hunc mulctandum, vel inuitam impuliſti; hæc à ſe audita trepidus ſeſſor poſt magna fiducia teſtatus eſt. Inter hæc, experrectæ, quæ ad cubile pernoctabant mulieres, id vacuum nactæ, totam feſtinanter inueſtigant, ac perſcrutantur domum ſicubi deſideratum hominem reperiant, ac tandem ſolum cum ſola Venefica in area offendunt, rogant ecq; ſe inſcijs, ita nudo, ac incomitato ſecedendi cauſa fuerit. an non aduertitis huc ea gratia à me pertractum, vt ſtercus faceret? ſed nullis cum ea commutatis verbis hoc ſolum ſatagerunt, vt hominem tollerent, ac quàm citiſſimè in lectum reponerent. Verum dum id moliuntur vix omnes ſimul magno nixu reportando præſtant, quod illa ſola nulla difficultate aſportando perfecerat. Porrò cum ea lex pacti præcipua fuiſſet, vt Noachus ſupradictis omnibus defunctus morbo penitus ſubleuaretur, & adhuc tamen doloris nonnihil ſupereſſet, cauſata eſt Venefica importunum mulierum aduentum, quo impedita fuerat, vt benè incœpta ad exitum perduceret, ſed ad ſummum ferendam eſſe octo dierum moram, poſt quos ſine vlla fruſtratione integra futura eſſet illi valetudo, quod & euenit. In his atq; alijs multis manifeſto deprehenſa, tandem eſt in carcerem incluſa, cuius tamen ruptis vinculis cuſtodiæ in curia euaſit, & abijt.

De ſomnijs, reuelationibus, viſionibus, ſeu apparitionibus.
Cap. XIV.



Doctrina.

TRia ſomniorum genera, vt hinc exordiamur, reperiuntur. Vnum naturale, diabolicum alterum. Tertium Diuinum. Macrobius, *a* quem ſequitur Salisberienſis *b* diuidit ſomnia, in inſomnium, ſpectrum, ſomnium, viſum, & oraculum. Sed Artemidorus hæc quinq; ad duo reducit, videlicet ad inſomnium, & ſomnium. ſub inſomnio, ſpectrum; ſub ſomnio, viſum, & oraculum comprehendit. ✠ a lib. 1. de ſom. ſcip. b lib. 2. c. 2

Somnium igitur ſtrictè ſumptum, vt opponitur inſomnio, definiunt gentiles, motum, aut figmentum animæ, multiformæ futurorum bonorum, vel malorum ſignificatiuum, & huius prædictionis fundamentum ſtatuunt experientiam, & quandam proportionis ſimilitudinem rei ſomniatæ ad euentum. Primo inueſtigant ſomnium ex quodam more, ac conſuetudine. Verbi gratia. Abradi caput, honeſtum eſt *Monachis*, quia moribus ipſorum, & regulis conſentaneum eſt; ſi ergo Monachus id ſomniet ſibi accidere, proſperum erit ſomnium: ſi verò id ſomniet coniugatus dicet infauſtum eſſe præſagium, quia dedecus eſt coniugatis incedere raſo vertice. Secundo, ex vocabuli ſignificatione, vt

ſi quis audit, vel legit Serapidis, nomen, morietur, quia Serapis idem eſt, quod Pluto, & orcus. Tertio, ex rei ſignificatu hieroglyphico, vt ſi quis ſomniet cathena ad templum alligari, fiet ſacerdos, & templo illi ſeruiet in æternum. Quarto à fabuloſis narrationibus, vt ſi quis ſomniet, ſe in mari filium ſuum quærere peribit filius merſione. Quinto, de aliqua narratione phyſica, vel Aſtronomica longè petita, vt ſi quis ſomniaret ſe lumen à luna petere, cæcus fiet, quia luna proprio caret lumine. Item, ſi quis ſomniet, ſe manus vrſi habere, damnatus ad beſtias, & ad palum alligatus, ab vrſo deuorabitur, quia vrſus intra ſpelũcam latitans ori manum inſerit, & veluti edens exſugit, & inde ſumit nutrimétum. Sed huius artis fundamenta, etſi videantur ingenioſa, ſunt puerilia, & ridicula cum Artemidoro, quia, quod vni ſemel accidit, trahit in conſequentiam. Merito igitur damnantur, qui ad huiuſmodi ſcripta animum adijciunt, ſicuti, qui legunt libellum ſomnialem, qui Danielis prophetæ nomine falſo circumfertur, de quo agitur in Decreto Gratiani. Dicendum ergo, quod quædam ſomnia verum euentum pronuntiant. Videlicet naturalia ſomnia, quando naſcuntur à cauſis naturalibus, iuxta diſpoſitionem, ac temperamentum corporis, vt ſi illud ſit media exauſtum, vel crapula repletum, vel ſi humore aliquo predominãte ęgreſcit, vel alio interiore vitio laborat. Illi ergo, quibus ſanguis eſt copioſior, ſomniant roſas rubras, crocum, hortos, conuiuia, choræas, amplexus, aerem, volatum, & læta omnia. Phlegmatici ſomniant mare, aquas, balnea, nauigationes, ſubmerſiones, onera grauantia, tardam, & impeditam à noxijs fugam. Colerici ſomniant colores flauos, rixas, pugnas, & incendia. Melancholici ſomniant fumos, caliginem, tenebras, per loca ſola nocturnas oberrationes, tetra ſpectra, mortes, & huiuſmodi triſtia. Qui habent veſicam humore plenam ſomniant de lacubus, fluuijs, imbribus &c. Qui habent ſucus puros, & ſinceros, ſomniant ſe volutari inter odoratos, & ſuaues flores. Contra vero, qui habent humores putridos, & ſordidos, ſomniant ſe eſſe in ſordidis cœno, cloacis, cadaueribus &c. Qui habent partes cerebri obſtructas humore viſcoſo, ſibi in ſomnijs videntur comprimi, & ſuffocari. Quare omnia deducta ſomnia ex his naturalibus cauſis, licitè poſſunt obſeruari, & interpraetari, quia pendent à cauſis naturalibus, & in hoc conſentiunt Hippocrates, Galenus, Theologi. Quædam nullum, vel illuſorium, & ſic quędam obſeruare, & quędam non. Hoc egregiè confirmatur à Prudentio in Hymno, his verſibus.

Sed dum pererrat omnes
Quies amica venas,
Pectuſq; feriatum
Rigat placente ſomno;
Liber vagat per curas
Rapido vigore ſenſus,
Variaſq; per figuras
Quæ ſunt operta cernit.
Quia mens ſoluta curis,
Cui eſt origo cœlum,
Puruſq; fons ab æthra
Iners iacere neſcit.
Imitata multiformes
Facies ſibi ipſa fingit,
Per quas repente currens
Tenui fruatur actu.
Sed ſenſa ſomniantur
Diſpar fatigat horror,
Nunc ſplendor inter errat,
Qui dat futura noſſe.
Plerumq; diſſipatis
Mendax imago veris
Animos pauore mæſtos
Ambage fallit atra.

Eccleſ. 5. ait, vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri, tu verò Deum time. Item Eccleſ. 34. ſomnia extollunt imprudentes, quaſi qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum ſic, & qui attendit ad viſa mendacia. Vnde infertur, eum peccare, qui ex naturalibus ſomnijs, etiam intrinſecis, futura contingentia diuinat, vel quæcunq; ab arbitrij libertate emanant, ſiuè ſomniantis, ſiuè alterius, multoq; magis, qui de ijs, quæ ſunt gratiæ ſolitæ à Deo dari.

Diabolica ſomnia ſunt, quæ mali ſpiritus, inſidioſè dormientibus immittunt, vel ad perturbationes animi excitandas, vtpotè, libidinem, iram, odium, deſperationem; vel ad occultorum, aut futurorum ſignificationem. Eccleſ. 34. multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in eis. De hoc genere fuit illud, quod de Venere Gazea ſcribit Marcus Hiſtoricus *c* teſtis oculatus. In loco, ait, qui vocatur quadriuium ſtabat ſtatua marmorea, & dicebant eam eſſe Veneris. Erat autem ſuper Aram marmoream; ſtatuæ verò effigies erat nudæ mulieris, quæ palam oſtentabat verenda ſua. Statuam autem in honore habebant omnes ciues, maxime verò mulieres, lucernas accendentes, & Thure ſuffientes, dicebant enim eam in ſomnis reſpondere ijs, quæ volunt matrimonio iungi. Decipiebant autem ſe inuicem mentientes: ſæpe verò iuſſi à diabolo inire matrimonium, tantū abfuit, vt id rectè eis procederet, vt inter eos fierent diuortia, aut malè cohabitarent. Huiuſmodi ſunt ſomnia Anabatiſtica, & admiranda quædam gentilium, quæ ad naturales cauſas, nullo modo ferè, poſſunt referri. Huc pertinet, quod ſcribit Bleſenſis; *d* non ignoramus aſtutias Satanæ. Mentibus hominum phantaſticas illuſiones immittens, nunc auium volatu nunc incurſu hominum, nunc ferarum, ſomnijſq; aut alijs modis promittit ſcientiam

c in vita s. Porphirij Epiſ.

d Epiſt. 65

tiam futurorum, & ſic rerum euentus lætos, vel infauſtos denunciat, vt quietem cordium vana curioſitate ſolicitet, atq; vt aliquid paulatim de fidei ſinceritate diminuat. Verumtamen, vt fidem habeam ſomnijs, nulla me ſomnia inducent; didici enim experientia ex ea viſione, quæ mihi gaudium quandoq; nunciauerat, poſtea contrarium reportaſſi, ſomnia, itaq; ne cures amicæ cariſſimæ, ſic ille.

Dæmoniaca ſomnia obſeruare, vt fraudem diaboli caueas, licet, ſed ad occultorum ſcientiam, vel euentus futuros, non licet, nec expedit. Prior pars patet, quia illud animæ eſt ſalutare, & quandoq; neceſſarium: poſterior pars probatur, quia hoc Diuina lege prohibitum eſt. *e f* Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia. Item, quia horum interpretatio, non poteſt citra miraculum haberi, niſi ex pacto cum diabolo, quod illicitum eſt. Accipe ex Delrio *g* exemplum non contemnendum.

e Deutrō. 18.
f Leuit. 19

g Lib. 4. q. 6. c. 3. mag. queſt. prope finem.

Cum Louanij degerem (ait ille) incidit quadam die, de ſomniorum vaticinijs ſermo cū Iuſto Lipſio mihi familiariſſimo, qui mihi retulit fuiſſe Bruxellæ ſutoris cuiuſdam vxorem, annis, præteritis viginti, quæ plurima prædicebat varijs ab euentu ad vnguē comprobata. Spellium quendam (erat enim inſignis prædo) in cruce ſuſpendendum. Ludouicum Raqueſcenium Gabernatorem, ex morbo mox obiturum. Concilium ſupremum Regis vim paſſurum: & pleroſq; Conſiliarios carceri mancipandos, & ſimilia non pauca. Hanc ſe non, ſemel vidiſſe, & audiuiſſe ſolitam dicere, in ſomnis ſibi ſpiritum quendam ſe ingerere ſpecie diffuſi corporis candidi, cuius non poſſet lineamenta diſcernere; ab eo ſe doceri omnia. Cumque appareret, ſemper ſe tanto, tamq; cōtinuo horrore perfundi, vt animo linqui ſibi videretur. Hunc cogere eam poſtea, vt vel cum vitæ periculo denuntiaret alijs, quæ in ſomnis erat edocta, nec ſinebat quietam, donec iuſſa peragerer. Fuit hæc muliercula ſatis alioqui contemptibilis, & ſimplex, non quidem diffamata, ſed nec compertæ ſanctitatis.

Varia ſubit animum de hac re cogitatio, vtrum Diuina, an diabolica fuerit. Solent Diuina mulieribus non minus, quam viris contingere; nec obſtare vilitas, nec paupertas perſonarum. Solitus horror quidam Diuinas etiam apparitiones comitari: ſolita accedere ad dicendum coactio. Verum, cur potius ſuſpicer ab atro, quam à candido ſpiritu iſta eſſe deducta? Primum ſpecies illa diffuſi candoris in formis ſemper, & continuum afferens horrorem, non cumulatum ſequenti mentis lætitia, & tranquili-

tate, indicium facit non obſcurum, authoris ſui candorem mẽtientis. Sexus ſuſpectus, & conditio nihil commendans, quam nec ſanctitas, nec prudentia, nec deuotio, vel alia huiuſmodi ſigna comitabantur: at lucrum illi nullum hinc ſequebatur, ſed ſæpe verbera, & conuitia ferè ſemper, ſic ſolet ſagis accidere, & hanc mercedem ſolet diabolus ſuis rependere. Quæ prædicebat erant de rebus publicis, & eorum cognitio in publicum parum erat neceſſaria, quia tunc prædicebantur, quando vix præcaueri poterant, exiguo videlicet paucorum dierum interuallo, antequã euenirent. Fruſtra, item prædicebantur a ſola muliercula, cui fidem præſtare nullius prudentis viri fuiſſet: Non conſueuit autem Deus, quæ præſciri, & præcaueri vult, ſic nuda à perſuaſionum momentis omnibus indicare. Tandem, quæ prædicebat, huiuſmodi erant, vt non ſolum dœmonis, ſed etiam humanæ prudentiæ, & coniecturæ ſubiacerent. Spellij ſuplicium, quia ſciebat diabolus eum iam reum eſſe, & per crebras accuſationes occultarum delationum ſerio in eius actiones, & vitam inquiri. Ludouici Requeſcenij morbus; laborabat Anthrace, corpore ſimul obeſo, & admodum bilioſo, quis eum lethalem non iudicaret? iudicant Medici ex externis indicijs. Ordinum molimina contra Concilium ſtatus iam diù degerebatur ex conſiliarijs, qui inuiſi, qui magis, qui minus, probè omnia nouerat diabolus, quid futurum, & quæ ex ſimilibus conſequentia, non erat magnæ, neq; ſupernaturalis ſagacitatis inueſtigare hæc ille.

Diuina ſomnia, viſiones, ſeu apparitiones, nobis à Deo mediantibus Angelis bonis inſeruntur pluribus de cauſis. Primo, vt quis à malo terreatur, ſicut factum eſt Abimelech Gen. 20. Regi Gerare, & Labano Gen. 31. Secundo, vt conſoletur afflictos, & mœſtos perfundat lætitia, vt ait de ſe B. Angela di Fuligno cap. 16. Tertio vt adhortetur ad aliquod bonum, vt Gedeonem Iudic. 7. & Iudam, eiuſq; Exercitum 2. Machab. 15. Quarto, vt doceat quid agendum ſit, vel fugiendum, vt S. Ioſeph, & tres Magos. Matt. 1. & 2. Vnde Iob cap. 33. hanc cauſam ſuggerit, his verbis Per ſomnium aperit aures uirorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina, ut auertat hominem ab his, quæ facit. Quinto, ut ſpiritum prophetię, uel aliud ſpirituale donũ largiatur, ut legitur de Moyſe. num. 13. his uerbis. Si quis fuerit inter uos propheta Domini, in uiſione apparebo ei; uel per ſomnium loquar ad eum. Item Ioel. cap. 2. Senes ueſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes ueſtri uiſiones uidebunt, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij ueſtri. Sic datum fuit donum

ſapientiæ Salomoni in ſomnijs 3.Reg.3. Sexto ad reuelationẽ, alicuius Diuini myſterij. Gen. 28. & Daniel 7. Dicamus ergò, quod Diuinorum ſomniorum obſeruatio licita eſt; ſed interpretatio ſatis conuenit illis, quibus à Deo facta eſt interpretationis reuelatio. Antecedens patet, quia immittuntur à Deo, vt obſeruemus, & ea nos doceant, moneãt, cõtingant; ſubſequens probatur verbis Dan. cap. 2. Myſterium, quod Rex interrogat, ſapientes, *Magi*, Arioli, & Aruſpices nequeunt indicare Regi, ſed eſt Deus in cœlo reuelans myſteria &c. poſtea ſequitur. Mihi quoq; non in ſapientia, quæ eſt in me pluſquam in cunctis viuentibus, Sacramentum hoc reuelatum eſt, ſed vt interpretatio Regi manifeſta fieret. Et paulus Corint. 2. ait, quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei. Quomodo autem dignoſcantur Diuina ſomnia viſiones, ſeu apparitiones à diabolicis, nunc videamus.

Quomodo cognoſcantur veræ apparitiones a falſis.

Sciendum eſt ergò, quod quando viſio docet aliquid contra Catholicam fidem, contra bonos, & pios mores, fugiendum eſt ab his viſionibus, quia is, qui apparet diabolus eſt ſeminator praui conſilij, hereſum inuentor, & ſcandali amicus. Secundo, attendendum eſt diligenter, ſi in ſermonibus illis, qui fiunt ab apparente, inſit aliquid falſi, vel habeant vmbram aliquam falſitatis, quia tunc fugiendum eſt, & recurrendum ad Chriſti Domini noſtri auxilium; recordari enim oportet, Chriſtum, & Apoſtolos aſpernatos fuiſſe diaboli teſtimonium, quia is ſemper inter vera, aliquid erroris ſeminat nec nõn mendacij, & tunc firmiter credẽdum eſt, huiuſmodi viſionem eſſe falſam. Tertio ſi apparens adulatur, laudat, & exaltat illum, cui apparet, certum eſt tunc nihil ineſſe boni, ſed eſſe fictitium, & damnabile tale apparitionis genus. Quarto loco diligenter attendendum, ſi viſio, quæ apparet eſt vniformis viſionibus illis Diuinis Patriarcharum, Prophetarum, & Sanctorum noui Teſtamenti: nec quis debet eſſe credibilis, nec facilis ad conſilia, ab apparente oblata. Hoc fecit Iacob Patriarcha, cui, cum narrata eſſet viſio filij eius Ioſeph, per quam aliorum fratrum ſibi parauit inuidiam, tunc pater nihil certi voluit adiudicare, ſed vt ait hiſtoria, rem pater tacitè conſiderabat. Apparet Angelus Ioſue filio Num, forma viri armati; perquirit ille quis ſit, nec adorat incognitum. Audit Samuel Deum, qui illum uocat, nec reſpondet Domino, ſed currit ad Heli, donec monitus fuiſſet ab eo, qui erat Sacerdos Domini, quomodo ſe gerere deberet. Helias diſcernit inter turbinem, commotionem, ignem, & auram lenem, & cognoſcit prudenter, in quo illorum Deus, ſe manifeſtaret. Beata Maria Virgo Dei Mater,

cùm ab Angelo ſalutaretur, ſuſtulit iudicium, & examinauit Angeli verba, & cogitabat qualis eſſet illa ſalutatio non id leuiter, ſed maturè,& diù cognito,an illa eſſet illuſoria à diabolo, an vera à Deo. Diuus Pater Ambroſius, quando per reuelationem didicit vbi nam eſſent, corpora Sanctorum Martyrum Geruaſij, & Protaſij, non irruit ſtatim præcipiti iuditio ad videndum, ſed prius prudenter voluit probare, ſi vera eſſet viſio, vt ſequeretur Pauli conſilium, qui ait, probate vtrum ſpiritus ex Deo ſint. Hoc fecit Epiſcopus Cyprius, cum D. Barnabas illi ſe manifeſtauit.

Tutum eſt nos non debere quærere, nec petere viſiones à Deo, quia multi decepti fuerunt, vt ait Auguſt. Et poſt illum monemur à Gerſone, his verbis. Enarrantur exempla Sanctorum Patrum, qui curioſitatem huiuſmodi viſionum, vel miraculorum, tamquam pernitioſiſſimam, & fallaciſſimam fugerunt, à qua ſe Auguſtinus gloriatur ſuis confeſſionibus in Domino; quam etiam D. Bonauentura abhorrendam nimis eſſe determinat, totoq; conatu repellendam orationibus,increpationibus, flagellationibus propriæ mentis, & corporis,exemplo illius Sancti Patris,qui dum ſibi diabolus transfiguratus in Chriſtum diceret, Ego ſum Chriſtus, te perſonaliter viſitans, quia dignus es, confeſtim clauſit oculos, vtraq; manu dicens; Nolo hic Chriſtum videre, ſatis eſt ipſum in gloria, ſi videro;& ſtatim euanuit diabolus. Alter ſub alijs verbis ſimilem ſeruauit in huiuſmodi illuſionem, humilitatem. Vide, inquit, ad quem miſſus ſis, ego certè talis non ſum, qui ſim dignus hic videre Chriſtum, ad hæc autem nulla magis diſpoſitio reperitur, quàm ſolidæ humilitatis, quia ſolis humilibus à Deo hæc cognitio datur,vt docet Moſes apud Caſſianum.

Subdit idem Gerſon, pro cautella, vt non modo ſuſpenſum teneat iudicium, ſed reuerenter quoq; cum Petro Apoſtolo dicat. Exi à me Domine, quia homo peccator ſum;quia vilis ſum, & viſionibus tuis indignus ſum, illas enim hic, neq; quæro, neq; accepto, ſed repello: ſit in alio, non in hoc ſeculo viſio tua, tota merces mea Domine Deus,& ſufficit. Sic etiam prudenter ſe geſſit B. Virgo Coleta,quæ ipſi Deo multa ei ſecreta reuelare volenti, reſpondit. Domine Deus ſufficit mihi te ſolum cognoſcere,& peccata mea, eorumq; veniam à te obtinere. Quoniam verò, vt plurimum, qui reuelationes, vel viſiones habent, recurrere ſolent ad ſuos Confeſſarios, vt decet,à quibus conſilium petant,ipſis Confeſſarijs Gerſon præſcribit regulam,ſic dicens. Caue,quiſquis eris auditor, aut conſultor, vt non applaudas tali perſonæ, nec laudes eam; non mireris quaſi ſanctam, dignamq; reuelationibus

Gg nibus

nibus atq; miraculis. Obſiſte potius, increpa durè ſpernè eam cuius ſic exaltatum eſt cor, elati ſunt oculi, vt ambulet in magnis, & mirabilibus ſuper ſe, vt digna ſibi videatur, quæ non humano more operetur ſalutem ſuam per doctrinam ſacrarum Scripturarum, & Sanctorum, cum dictamine rationis naturalis, niſi conſilium habere præſumat, & putet, ne dum ab Angelis, ſed à Deo, nedum ſemel in neceſſitatibus, ſed penà iugiter, velut in quotidianis collocationibus. Talem admone non ſublimè ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, quoniam veriſſimè, ait, qui dixit, ſuperbia meretur ludi, & eo dignius, quo inſtar phariſei latentem, herentemq; oſſibus ſuperbiam. hæc ille.

Certum eſt enim Deum, numquam eſſe Deum diuiſionis, idcirco ſi ab ipſo ſit viſio certa, nunquam per alterius iudicium contrarium eam impugnabit, ſed potius illi, quem vel vt ſuperiorem, vel vt conſiliarium ſaltem humiliter conſuluerint, idem, inſpiraturum, atq; in mentem miſſurum. Non enim patitur Deus, ſperantes in ſe, & timentes, & quod in ſe eſt facientes in tanti momenti negotio falli. Debet autem ei, qui vidit reuelationem hęc ipſa certitudo, quam dixit, de ſuperbia, & pertinacia eſſe ſuſpecta, & tunc tutior pars eſt eligenda. His ſic habitis, vt vno verbo concludamus, docemur à Sacra Scriptura infallibiliter, quę nam ſit uera uiſio, accipit enim uerba Iacobi Apòſtoli dicentis. Sapientia, quæ deſurſum eſt, pacifica eſt, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, miſericordia, & bonorum operum plena, abſq; ſimulatione iudicans. Si uiſio impellit ad pacem, modeſtiam, obedientiam, miſericordiam, ad bona opera, & ad rectè iudicandũ, bene, bona, & ſancta eſt uiſio, ſi uerò contra ſuadet, non cæleſtis, ſed diabolica eſt; Reſtat nunc uidere alias conſiderationes circa perſonam uidentis, ex quibus poteſt detegi fallacia diaboli.

Circa reuelationes, ſeu uiſiones plurima ſunt conſideranda quo ad perſonã uidentis, ut detegatur error à ueritate. Primò conſideranda eſt fides illius, an ſit ſincere catholica; quia non eſt credendum reuelationibus dæmonicolarum, uel hæreticorum, ſicuti fuit Anno 1601. in Oppido Gretij. Duo, Maritus, & uxor, qui penes ſe ſolos eccleſiam rèmanſiſſe incolumem pertinaciſſimè iactabant, ideò communes liberos pater baptizabat, mater patrini more ſpondebat. Hi mundum illo anno periturum prædicebant; ſed eorum morte ſuſpenſi interitum mundi præuenere.

Secundò uidendum eſt, an ſint perſonæ arreptitiæ, quia harum reuelationibus, uel prophetijs nihil credendum; deluſos à quadam multos tradidit Firmilianus ad B. Cyprianum.

Tertiò, num fidei ſinceritatem, uitæ, ac morum integritas, uirtuteſq; commendent, an uerò uitia, & imperfectiones notabiles eam dehoneſtent: ideo non credendum ſuperbis, ambitioſis, impatientibus, carnalibus, ebrioſis, iram fouentibus, odia exercentibus, diſſidia ſeminantibus, uel alios diffamantibus: nec etiam hypocritis, qui ſingularia quædam affectatę deuotionis, & pænitentiæ ſigna, per ſuperiores eccleſiaſticos non approbata, oſtentant. Extat inter Cypr. Epiſt. nu. 75.

Quartò, conſideranda corporis conſtitutio, nam ſi ualetudo parum firma, ſi præferat redundantiam bilis atræ; ſi habitus corporis media, uel inſomnia plus æquo deformatus: ſi ſit cerebro læſo, uel nimis apprehenſiuus, aut imaginationis turbidæ, & a quo uehementioris; quia tales, ut dici ſolet, etiam uigilantes putant ſe uidere, audire guſtare, quæ nec guſtu, nec auditu, nec oculis percipiunt, talibus dæmon facilè imponit, quia falſarum rerum imaginibus obſeruantibus tenaciter adhærent, & aſſentiuntur.

Quintò, nec ætatis, nec ſexus differentia negligenda eſt, nam ſi caduca ſit ætas, delirijs periculum eſt, ſi puerilis, leuitatis, & morbi imaginoſi, quia humidiore, quam par eſt ſunt pueri cerebro, & pleni uaporibus, qui paruo negotio commouētur: quare per eos, ut aptiores ſuis conatibus, olim dæmones amabant oracula fundere. De femineo ſexu conſtat hunc eſſe ſuſpectionem, ut notat Io. Niderius. in 1. præcep. c. 11. q. de diuinat.

Sextò, conſiderare oportet, vtrum ſit in ſpirituali exercitatione perſona veterana, an verò nouitia tantum; an alias Diabolus eam ſic decipere conatus fuerit, aut deceperit; an quæ illi aliàs reuelata vera fuerint: item quæ vera; quæ falſa fuerint. Si fuerit tyro, dubitandum de fraude, quia iuxta Gerſonem nouitius feruor citò fallitur, ſi caruerit regente, præſertim in adoleſcentibus, & fæminis, quarum eſt ardor nimius auidus, varius, effrænis, ideoque ſuſpectus. Hoc indicio Franciſcus Picus detexit falſitatem cuiuſdam reuelationis, viſioniſq; poſt & alia indicia acceſſerunt, vt quòd vana quædam bonis mixta, diabolus in forma Chriſti Domini cœpit ſuadere. Lib. 9. de prænot. c. 3.

Dixi ſuperius, quod ſexus ratio eſt habenda, quia ſi cætera ſint paria, plus fidei virorum reuelationes merentur, quia cum ſexus fæmineus ſit imbecillior, naturales vel dæmoniacas ſuggeſtiones plurimum habet pro Diuinis. Sunt etiam fœminæ naturæ humidioris; & viſcoſioris, humidum verò facilè commouetur, & varias figuras percipit, ægrius autem, ac ſerius, à motu ceſſat, ideo mu-

lieres citius imaginantur, ſed viri minus pertinaciter imaginationes fouent, & cum illæ minus ratione polleant, minus etiam prudentiæ habeant, procliuius eſt dæmoni eas ſimilitudine falſa, & apparente decipere.

Inſuper conſiderandę feminæ in earum moribus præcipuè præter laſciuiam luxum, auaritiam (vt notat Apolonius) vtrum garrulæ ſint, vagæ, criminatrices, laudis cupidæ, aut cerebroſæ, & quæ ſe in docendi, vel prædicandi in Eccleſias, aut ſacramentorum adminiſtrationes contra doctrinam Apoſtoli, ingerant. Nam quæ ſunt huiuſmodi, non ſe ipſas duntaxat fallunt, ſed & viros eruditos tandem, ſi nimis illis credant, in præceps trahere conſueuerunt, vt patebit per exempla.

Exempla.

Ioſephus à Coſtalde nouiſſim. tẽporibus lib. 2. c. 11

FVit in Peruenſi Regno vir magni pro illo tempore ingenij æſtimatus, doctus Theologus, ac Theologię profeſſor, idemque catholicus, ac pius diu habitus, & penè tunc huius orbis miraculum. Is familiaritate mulierculæ cuiuſdam, quæ ſe edoceri ab Angelo magna quædam myſteria iactabat, quæq; extra ſe interdum rapiebatur, aut rapi ſimulabat, velut altera olim Philumene, aut Maximilla montani, ita deuinctus eſt, vt illam de ſummis Theologiæ quæſtionibus ſæpe conſuleret, in omnibus pro oraculo haberet, magnis reuelationibus plenam, & Deo valde charam prædicaret, ſatis alioqui ſordidam, & per exiguo ſenſu præditam, niſi ad inſtruenda mendácia. Igitur, ſiue à Diabolo corriperetur (quod eſt facilius credere) cum eiuſmodi eſtaſim pateretur, ſiue callidè eam fabulam ſimularet (quod nonnulli viri prudentes exiſtimarunt (ille Theologus, quod à muliercula magna, & mira de ſe audiret, ac multo grandiora futura conciperet, libenter ei ſe diſcipulum addixit, cuius patrem ſpiritualem agebat. Quid plura? eò abductus eſt homo, vt miracula facere tentaret, & fieri ſibi perſuaderet, cum miraculi veſtigium, ne tenuè quidem extaret, ob hæc, & quòd propoſitiones aliquot ab illa prophetiſſa accepiſſet, à ſenſu catholicæ Eccleſiæ alienas, à Sanctiſſimę Inquiſitionis Iudicibus toto Regno ſtupente comprehenſus eſt, ibi per quinquennium ferè auditus, toleratus, examinatus, ac tandem patefactus eſt homo omnium ſuperbiſſimus, ac inſaniſſimus; Cum enim Angelum ſibi Diuinitus datum, à quo omnia quæ vellet diſceret, ac deinde ſumma Dei ipſius familiaritatę, ac immediato colloquio ſe poſitum pertinaciſſimè diſſere-

ret,

ſet, in eas nugas delatus eſt, quas niſi ab homine prorſus mentis emotæ dici nullo modo ſibi quiſquam perſuadeat. Erat verò ille tam integro ſenſu, quoad cerebrum attinet, vt mihi integrior nō ſit. Itaque, & ſerio affirmabat, ſe, & Regem futurum, & Pontificem ſummum, Sede Apoſtolica ad hæc regna tranſlata: conceſſam quoque ſibi ſanctitatem ſuper omnes Angelos, & cæleſtes choros, atque omnes Apoſtolos, quin etiam oblatam ſibi à Deo vnionem hypoſtaticam, ſed ab ipſo non eſſe admiſſam; datum quoq; ſe Redemptorem orbis quoad efficaciam, vt ipſe loquebatur, quòd Chriſtus ſolus quoad ſufficientiam fuiſſet. Omnem ſtatum Eccleſiaſticum abrogandum, leges verò alias, ſe editurum faciles, & apertas, ſecundum quas cœlibatus clericorum tolleretur, multitudo vxorum concederetur, confeſſionis neceſſitas excluderetur: hæc atque alia tanta contentione affirmabat, vt nos teneret attonitos, quòd homo talia ſentiens, non inſaniret. Denique diu euolutis illius geſtis, & pluſquam centum, & decem propoſitionibus hæreticis, aut à ſana doctrina Eccleſiæ alienis, condemnatis, iuſſi ſumus, vt habet de more ſacrum illud Tribunal, cum homine diſputare, ſi forte ad veritatem, & fidem hominem reuocare poſſemus; conuenimus cum ipſis Iudicibus, & Epiſcopo Quitenſi tres alij. Eò introductus homo, ea libertate, & facundia perditiſſimam ſuam cauſam defendit, vt ego in hodiernum diem etiam admirer, eò adigi poſſe mentis humanæ ſuperbiam. Profeſſus eſt doctrinam ſuam non poſſe monſtrari, niſi Diuina Scriptura, & miraculis, quòd eſſet ſuperior omni humana ratione: Scripturæ autem teſtimonijs longe ſe apertius, & efficacius explicaſſe, & probaſſe, quam probauerit Paulus Ieſum Chriſtum fuiſſe verum Meſſiam. Miracula autem ſe perpetraſſe plurima, eaq; tanta, vt Chriſti Reſurrectio non fuerit maior, nam & ſe veriſſimè eſſe mortuum, & reſurrexiſſe, atque id euidentiſſimè (aiebat ille) eſſe oſtenſum. Scripturas verò proferebat memoriter, cum nullum librum haberet (atque ipſo etiam Breuiario eſſet ſpoliatus) ex Prophetis, ex Apocalipſi, ex Pſalmis, & alijs locis, tot, & tam longas, vt vel memoria eſſet admirationi; eas verò ita ad ſua commenta adaptabat, ita allegorizabat, vt quiſquis vel rideret, vel fleret. Poſtremò ſi miraculis rem agere nobis placeret, ſe libenter ea ſtatim exhibiturum. Hæc ita dicebat homo, vt vel nos inſanos putare videretur, vel ipſe inſanire, nam & per reuelationem ſibi innotuiſſe iactabat Sereniſſimum Ioannem Auſtriæ bello nauali à Turcis eſſe ſuperatum, & Regnum Hiſpaniæ à Philippo inuictiſſimo iam penè amiſſum, & Concilium Romæ habitum,

tum, vt de Gregorio XIII. deponendo, & alio ſubrogando ageretur, quæ ideo nobis ſignificaret, vt quoniam erant nobis certis nuncijs nota, ſciremus ei, nonniſi Diuinitus innotuiſſe, & cum eſſent omnia adeò falſa, vt amplius eſſe non poſſent, ab illo tamen aſſerebantur, vt notiſſima nobis. Denique, cum nihil profeciſſemus per duos dies diſſerendo, & ad publicum ſpectaculum eſſet cum cæteris, vt in hiſpania fieri ſolet delatus, intuebatur ſemper in cœlum, ignem in inquiſitores, & omnes graſſaturum cœlitus expectans, vt illi erat pollicitus diabolus, atq; ignis quidem nos nullus ex alto corripuit, illum verò, & Regem, & Pontificem, & Redemptorem, & Legiſlatorem, ex imò flamma rapuit, atque redegit in cineres. Hactenus Ioſephus.

Surius 1. Iunij. Legitur quòd B. Simeon Monachus Treuirenſis in verticem montis Synai iuſſu ſuperiorum miſſus fuit ibi habitaturus: nocturnis horis illi dæmon in Angelica ſpecie apparuit, & vt miſſam celebret hortatur. Ipſe nec planè dormiens, nec perfectè vigilans contradicit, non debere ſine presbyterij ordine aliquem hoc miniſterium implere; contra inimicus inſtat, ſe Dei legatum eſſe, Chriſtum hoc velle, nec decere ſanctum locum miniſterio tali diutius priuari. Renitentem ergo, & contradicentem, adiuncto ſibi conſortio alterius dæmonis, de lectulo educunt, ante altare iam vigilantem ſtatuunt, alba induunt, de ſtola vtrinque altercantur: hoſtis more presbyteri, Simeon more diaconi contendebat ſibi imponi debere. Tandem Dei famulus ad ſe reuerſus virtute orationis, & ſigno crucis inimicum repellit, ſeque deluſum ingemiſcit.

Surius, 6. Iunij capi 27. Inter Religioſos Præmonſtratenſes fallax ille ſpiritus conſiderans quoſdam idiotas, & ſua illos quondam recognoſcens fuiſſe vaſcula, in quibus ſuæ quieti, & voluptati indulgere conſueuiſſet, ita illos falſa ſuæ illuſionis ſapientia repleuit, vt qui prius in libris vix legere nouerat, iam ex libris magna quædam dicerent, & de futuris prophetando maiora, & ſtupenda prædicerent. Danielis deniq; vnus ex eis prophetiam ſe ſcire aſſerebat, & de ea quædam duce mendacio loquebatur, vbi de quatuor, & ſeptem, & decem cornibus, & Regibus propheta ſcribendo inducit, & de Antichriſto, in quibus iam ſimpliciores quoſque attentos reddiderat, & ſi fieri poſſet etiam ipſum Dei hominem, & Venerabilem Abbatem Simonem Sancti Nicolai in errorem induxiſſet, iam enim eo vſque progreſſa erat eius arrogantia, vt ipſis aſſidentibus, etiam in capitulo ſermonem facere auderet, & qui vidit, & audiuit præbet huius rei teſtimonium: & hoc ſignum eius, quia de ſermone profert

fert initium. Erat enim hic ſermo. Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente. Hæc ſpiritus ille mendax per organum illud ſuum proferebat, ſed ad veritatem, quæ ſequitur, videlicet, & accipietis regnum æternum, haud quaquam procedere nequam valebat; Porrò cum ab auditoribus veritatis, & dulcedinis fallax ille ſpiritus ſe ex parte deprehendi cerneret, vt eſt mirè atifex, maiori arte ad alia fallendi genera ſe conuertit, vt quia manifeſtè operationi intentos non poterat ſubuertere, ſaltem contemplatores quoſlibet auerteret a contemplatione: nam idem ille Clericus laboris huius miniſter, ſubita quadam, & grauiſſima infirmitate corripitur, & qui prius de viſibilibus reſponſa dabat, iam in cœlum os ſuum ad inuiſibilia, & ineffabilia promenda ponere non verebatur, concurrunt fratres, vt conſuetum eſt inungendum eum, concurrunt ad ea, quæ dicebat audienda, de ſe quidem magna, ſed de pluribus circumſtantibus aſſerebat maiora: de ſe, quòd eodem veſpere, aut futurus eſſet cum Angelis in cælo, aut ſtaret ſanus cum cæteris fratribus in choro: de alijs verò, ſingulorum conſiderans habilitatem, quaſi prophetando, & augurando dicebat; Hunc cum nuper in Eccleſia ad ſuperiora raperer, vidi ad æternitatem vocatum, & ſic de alijs varia.

Attende hic lector gradus ſuperbiæ, quando Idiotas ſibi eligit dæmon, & facit videri doctos; deinde facit illos ſcripturam interpretari, & etiam coram maioribus diſſerere in locis, vbi tacendum.

In Belgio paucis iam annis elapſis, cum in vna Vrbium Hannoniæ Religioſa quædam credita Energumena, & adducta ad Superiorem eiuſdem ordinis, vt exorcizaretur, dum res in longum abit, & illa vocibus diuerſis ſucceſſiuè loqui incipit, quarum vna tenuior ſe Deum Chriſtumque Dominum noſtrum fingebat, alia Dæmonem craſſior imitabatur: hac multa palam impia effutiebat illa, quædam ad pietatem (vt videbantur) pertinentia, ita creditum à quibus minimè decuit, in illa modo Ieſum, modo diabolum loqui. Sic periculi plena, & fallaciæ res eò progreſſa eſt, vt muliercula ſolemni ritu, quaſi per eam Chriſto loquente, hoſtiam incruentam, prolatis verbis canonicis conſecrare auderet (& proh dolor) pij, ſed vel indocti, vel incauti conſecratas (execratas potius dicendas) ab hac ſacerdotiſſa (non tamen ſecundú ordinem Melchiſedech) azimas panis eulogias acciperent, & tanquam verum Domini corpus, allatis, & prælatis cereis in altari collocarent, & venerarentur. Duo tamen hic erant impoſturæ indicia; tum quòd erat Energumena, tum quòd auderet Sacer-

Ribadeneira lib. 5. c. 10. in tractat. de B. Ignatio.

dotale,

dotale,ac virile officium vſurpare: Sed Domine libera nos à ſimilibus.

Ex ſuperioribus exemplis duobus conuerſationis muliercularum fictè ſanctarum, en quales fructus ſunt pullulati: addam hoc loco tertium ſuccinctè, de quo teſtis ipſemet Tertull. ſui temporis doctiſſimus, qui dum viſionibus muliercularum (vt ille qui de animæ quantitate, ac colore) confidit,immemor eorum,quæ doctiſſimè,& veriſſimè contra has ipſas ſcripſerat, in abſurdiſſimos errores dilapſus eſt.

Lib.de anima c.6.

Exemplum ſubdit Franciſcus Bencius ſic. In Oppido quodam ſuburbano prope Aronam, ad triginta mulieres dæmone agitantur, omnes ferè virgines, infimæque conditionis, eæ præſertim, quæ ſunt voto virginitatis aſtrictæ, mirum has quibus dolis circumueniat, quibus artibus oppugnet, varias inducit formas, vt alliciat ad nefanda, ut deterreat ab honeſtis; aſſimulat modo perſonam, & pietatem Monachi, & quod audire aures horrent, ipſiuſmet Chriſti crucifixi hortantis ad Inopia; quin & Vrſum, Leonem, Serpentem impetum facturus in virgines hianti ore, & deuoraturus vno hauſtu: minacem etiam militem cum ſclopo parato,& inſtructo iam iamq; extruſo pernicialem glandem cum flamma, tonitruque, niſi extorqueat aſcenſum, ſed ſimplicitas virginum vincit omnem aſtutiam Deo nixa. Magna omnino earum fides, eoq; clipeo ignea nequiſſimi tela extinxere; è plurimis narrationes duæ reponentur. Ex earum numero, quædam nobilibus orta parentibus,& molliter educata, cum haberet aliquando noctem infeſtam à diabolo inſidiante, ſtratum deſerit, & hyeme licet media, ac tempeſtate perfrigida in nudo pauimento nuda dormit, cum creſceret nihilominus flamma (vt magnum incendium aqua ingeſta) clam cubiculo egreſſa in hortum ſecedit, ibiq; magni emulatione Franciſci, quem eadem factitaſſe acceperat, corpus proiecit in aggerem niuium, tandiuq; peruolutauit, obſtrepente licet dæmone (qui ab ea videbatur) & dentibus frendente, vt internum ignem externo frigore reſtrinxerit. Alteri item dæmon noctu ſe oſtendit imagine B. Vrſulæ crucis vexillum præferens cum multarum virginum comitatu, atque ita loquutus eſt. Videt Deus amatque tuum iſtud ſtudium tuendæ pudicitiæ, ſed quoniam difficilè admodum eſt, in paterna domo in tanto ſtrepitu,occurſantium, & periculorum obiectu, non contaminari mentem aliqua ex parte,nos allegauit,vt te duceremus in Cænobium ſacrarum virginum, omiſſis curis omnibus ipſius numini ſtudioſè famulantium. Hæc Virgo Deo aſpirante, cum

Ex annis litterr. prouinc. Mediol. anni 1590.

verens

verens diaboli inſidias, dexteram duxiſſet manum à capite in pectus, moxque à ſiniſtra produxiſſet in dexteram, vt efformaret crucem, ſe talibus viſis, tantoq; honore indigniſſimam eſſe profitetur: neque verò vobis habeo magnam fidem, timeo, & in ſpecioſis conſilijs fictos dolos, quòd ſi Dei legatione fungimini, has Sanctorum Reliquias (habebat enim illas ad collum alligatas) humiliter veneramini. Mirum dictu, procubuerunt in genua Larux venerabundæ, & tanto magis vrgent, vt maturet profectionem: At illa, mihi non licet quidquam grauius ſtatuere patris mei ſpiritualis iniuſſu, neque ad eum ire decet nocte intempeſta, conuenite vos illum, & exponite mandatum Dei, vbi diluxerit ego accedam, & vtar conſilio illius: hoc reſponſo dæmones abiecta omni ſimulatione, in ſuas ſe tenebras abdiderunt, cum fremitu in irridentem puellam, quòd lingua ſolum bellarent, gratiaſq; Deo ſuppliciter agenrem, contumelias & probra certatim ingerentes. Quid hac Virgine ſapientius? ſed decebat illum nimirum vera ſapientia, cui ſe pudicitiæ zona colligarat.

Adeam ſingularis cautelæ exemplum, quo docemur, nihil tutius eſſe, quam timere ſuum ſequi iudicium, aut ab obedientia maiorum vllius reuelationis etiam certæ fiducia recedere. Genebaldus Laudunenſis Epiſcopus per incautam cum vxore, quam deſeruerat familiaritatem ex bono principio ortam, tandem quæ humana fragilitas eſt, cum ea corpus miſcuerat, ſed poſtea ad cor reuerſus, & B. Remigio Remenſi confeſſus, in anguſtiſſimum locum inſtar ſepulchri recluſus fuerat, vbi cum ſeptem annis pœnitentiam aſperrimam egiſſet, ſeptimo anno in vigilia Cœnæ Domini, cum idem Genebaldus in oratione Domini pernoctaret, & ſeipſum defleret, circa mediam noctem Angelus Domini cum magna venit, ad eum luce, in oratorium vbi pronus iacebat, & ait ad eum. Genebalde exauditæ ſunt pro te orationes patris tui Remigij: ſuſcepit quoque Dominus pœnitentiam tuam, & dimiſſum eſt peccatum tuum. Surge, & hinc egredere, facq; Epiſcopale officium, & reconcilia Domino pænitentes criminibus. Genebaldus autem nimio terrore perculſus reſpondere nihil potuit; tunc Angelus Domini confortans eum ne timeret, hortatus eſt, ſed vt gauderet in miſericordia Domini ſibi collata, qui animatus dixit ad Angelum, non poſſum hinc egredi, quia Dominus, & pater meus Remigius clauem huius oſtij ſecum habet, quod & ſigillo ſuo ſignauit: & Angelus ad eum, ne dubites inquit, ego ſum à Domino miſſus, ſicuti patet tibi Cœlum, ſic & oſtium illud patebit, & ſtatim ſaluo ſigillo, ac cera, oſtium illud apertum eſt. Ecce

Apud Surium 13 Iannarij

vere viſionis indicia, prius perturbatur, poſtea conſolatur, verum, ac apertum miraculum ſigilli, & ceræ integritas.

Simeon Metaphr. ex ephremo. apud Suriũ 16. Martij.

Vah, quam contraria fuit illa Gandenſis Virgo noſtris temporibus: miſella diu vacauerat orationi, & ſacramenta frequentarat, ſed vel non ſatis exercitata, nacta fuerat confeſſarium, vel ſi nacta, ei ſua ſecreta ſpiritualia non pandebat, vel bene monenti non credebat, quidquid horum fuerit, paulatim varijs reuelationibus eam Diabolus ſuperbiæ ſpiritu inflauit, tandem perſuaſit, meritis reliquis parem eſſe Virgini Mariæ, deeſſe fæcunditatem iunctam virginitati illibatæ, ſi pergat id quoque conſequuturam. O Vafrum commentum, & muliebri ingenio accommodatum, iam illa ſe confeſſionis indignam non eſſe rebatur, itaque per annos aliquot eam intermittens, non abſtinebat tamen à ſacra communione. Quid plura? ſemel dum in templo verſatur, & communionẽ expectat, ardentiuſq; beneficium illud reliquum poſtulat, audit, bono ſis animo dilecta, exoraſſe te ſcito, conceſſa tibi fœcunditatis cum caſtimonia prærogatiua, quam petis, de cœlo confide te grauidatam (commiſcuerat enim ſe cum Dęmone, qui Angelum mentiebatur) domum reuerſa, ſentit vterum tumeſcere, iuſto poſt partus tempore adueniente, pium quendam, & prudentem adit Ciuem, bene notum, narrat rem totam, petitq; vt in domus penetralibus ſibi liceat parere, & ſtipulatur arcanum fore: ille nec credulus dictis de reuelatione, nec tamen ſuſtinens Virginem domo excludere, veritus ne graſſari iam incipientibus ſectarijs materiam res vulgata præberet blaſphemis hæreticorum dicterijs, atq; lædorijs, eam ſuſcepit, & adhibita fida obſtetrice partum expectat. Miſera doloribus vehementer torquebatur, tandem magnam pro prole humana, horridorum, & villoſorũ, fædiſſimorumq; vermium copiam effudit vtero, quorum tam dirus erat aſpectus, vt omnes exhorreſcerent, tam teter odor, vt fœtore penè exanimarentur. Sic demum miſella ſe deluſam intellexit, & ſuperbiæ ſuæ fructum à ſuperborum Principe retuliſſe, quem oportebat, ſic fuit mulier decepta.

Greg. Turonen. de vita patrum cap. 10. & Surius primo Augusti.

Sanctus Friardus, cum Secundello Diacono eius ſocio in inſula ſtetit immobilis, habebat tamen vterque eorum propriam cellulam, ſed procul inter ſe poſitam, cumque ſtrenuè in oratione perſiſterent, nocte Secundello Diacono apparuit Tentator in ſpecie Domini dicens; Ego ſum Chriſtus, quem continuo deprecatis, iam enim Sanctus es, & nomen tuum in libro vitæ cum reliquis ſanctis meis adſcipſi, egredere nunc ab hac inſula, & vadens fac ſanitates in populis: his & ille illectus deceptionibus diſceſſit ab

inſula,

inſula, nec ſocio nuntiauit, tamen cum infirmis in Chriſti nomine manus imponeret ſanabantur, reuerſus autem poſt multũ tempus ad Inſulam, venit ad Socium cum magna gloria dicens; abij extra inſulam, & virtutes multas in populis ſeci: cumq; conterritus ille interrogaret quid hoc ſibi vellet, cunctat, fecerat ſimpliciter manifeſtauit, at ſenex obſtupeſcens, ſuſpiranſq;, ac lachrymans ait; Veh nobis in quantum audio à tentatore deluſus es, vada age pœnitentiam, ne vltra tibi præualeant eius doli. Secundellus intelligens ſe periſſe, timens cum fletu ad pedes eius proſternitur, rogans, vt pro ſe Dominum deprecetur, cui, veni inquit, & pariter eius omnipotentiam pro ſalute animæ tuæ poſcamus, non eſt enim difficilis Dominus ſe confitentibus miſereri, cum ipſe per prophetam dicat: nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Orantibus autem illis, aduenit iterum tentator in ſimili ſpecie ad Secundellum Diaconum, dicens; Nõne præceptam tibi eò quòd oues meæ morbidæ eſſent, & paſtore indigeret, vt egredereris, & viſitares, atque opem ſanitatis eis tribueres? & ille, in veritate comperi, quòd ſeductor ſis, neque te Deum credo, cuius te ſpeciem mentiris habere, tamen ſi Chriſtus es, crucem tuam, quam reliquiſti ipſam oſtende, & credam tibi, cumq; non oſtenderet, Diacono crucem in os eius faciente confuſus euanuit.

Narrat Albertus Leander, quòd cum B. Iordanes prædicatorũ ordinis Magiſter Generalis febribus acutiſſimis laboraret, fortè cum Vener. Patre erat quidam Cœnobij cuiuſdam præſidens, quẽ Priorem appellant eiuſdem ordinis, vir diſcretus, ſolers, prouidus, litteris callens, & moribus compoſitus, qui aliquando medicinæ operam dederat. Is igitur Iordanis Patris animum non ignorans, & ſciens eum in ægtotatione ſibi ipſi rigidiſſimum dixit. Pater, oportet ægrotum in omnibus medico ſe ſubijcere, ſi priſtinam cupit nanciſci ſanitatem. Quapropter licet ſis noſtræ Religionis præfectus, & caput, ægrotus præfecturæ authoritatem dimittas, mihiq; te ſubdas, & obedias neceſſe eſt, quod ſi feceris, haud vereor quin breui incolumis hinc exeas. Annuit Vener. Pater humiliter, præter ergo ordinis conſuetudinem ſuper plumas ægroto quieſcenti (ſic enim prudens Prior iuſſerat) nocte Diabolus formam præſeferens Angelicam apparuit, dicens; veluti admirabundus. Eſt ne hic Iordanes fama, & opinione apud omnes tam præclarus? Præfectus, & pater tam inſignis Prædicatorum ordinis? eſſem anceps, niſi te ante hac diu nouiſſem. O quàm vilis, & imprudens factus es, qui veluti vnus de Dominis terræ in

In vita B. Iordanis cap. 21. & 22.

ſtrato plumis, & ſericis ornato quieſcis. O infœlix quale ordini tuo, & fratribus exemplum præbes? ſed non eſt tui Deus in finem oblitus, qui ad te corrigendum me miſit. Surge igitur è grabato, terræque protinus ſupplex inhæreas: ſtatimq; diabolo euaneſcente perterritus Iordanes in terram corruit, & ſic iacens poſtquam illuxit, à Priore, & fratribus inuenitur, quem Prior ſeuerè corripiens, coegit ex merito obedientiæ in ſtrato præparato decumbere. Sequenti nocte iterum Diabolus priſtina forma aſſumpta aſtitit, & durius, quàm antea redarguit velut ſibi inobedientem, moxque in ſolum ipſum deſilire præcepit, quem cum mane eius diei Prior iterato ſuper ſolum iacere vidiſſet, apprimè indignatus dixit. Miror tuam ſimplicitatem, ne dicam inſcitiã, qui non ſolum in corporis, ſed & animæ præiudicium contra obedientiam hoc facere præſumpſeris. Ego enim Deum Cæli terræque teſtor Dominum, quòd noluiſſem pro toto terrarum orbe, ſic grauiter contra Deum, & ordinem deliquiſſe, & hæc dicens in fletum maximum prorupit, quod cernens Ven. Pater, & ipſe lachrimans procidit ad pedes eius narrans viſiones, ſed magis illuſiones, & qualiter, vt conijcere poterat, diabolum illum fuiſſe, qui in Angelum lucis fuerat transfiguratus. Prior verò admiratione captus, ac quadam commiſeratione illius aliquantulum lenitus, iuſſit ipſum ſtratum aſcendere, ex hoc enim tantam membrorum debilitatem contraxerat, ſicque humores indurati fuerant, vt vix ſpiritum ad quieſcendum haberet. Tertia nocte diabolus, vt prioribus adfuit, quem vt conſpexit vir ſanctus, ait, ò impudice canis, ò nequiſſime humani generis hoſtis, ò immunda belua, quomodo meam auſus es ſimplicitatem deludere, ceu zelum qualemcunq; erga ordinem præterferrens? Et ego quidem niſi hoc omnipotentis Dei diſpenſatio permiſiſſet, ſapientius aduertiſsẽ, quòd multò melior eſt obedientia, quàm ſtultorum victimæ, & in in faciem expuens fugauit.

B. Meinulfus Diaconus, & Confeſſor, non longè ab obitu ſuo cuidam cubiculario ſuo per viſum in ſomnis apparuit hortans eum, vt mundo, & pompis eius ociùs renunciet, & in Regis æterni ſe conferat militiam at ille viſionem illam, non alio, quam illuſionis loco habens, nihil de vitæ emendatione curauit. Sanctus autem vir eius infirmitati compatiens, iterum eum, vt prius admonuit, ſed cum neq; ſic quicquam de vita rectius inſtituenda cogitaret, Tetio ei apparuit, aitq; ad eum neſcis miſer, neſcis quam immanis prædo mentem ſibi vendicet tuam, qui tibi author, & ſuaſor eſt, vt neque mittenti Domino, neque mihi ab eo miſſo obtem-

Apud Surium 5. Octobr. in vita Sancti Meinulfi.

temperes; certè cum tu malè viuendo planè deſipias,neq. ab hac ſtultitia ſponte recedere velis, diuina te admonuit reuelatio, vt vel ſic ad frugem meliorem te reciperes. Tu autem ſtultè tibi pateris miſerè, & perniciosè illudi, qui veram reuelationem pro phantaſtica habes illuſione, neque enim quiſquam fidelium ambigit illam viſionem eſſe illuſionis expertem,quæ ad Chriſtianam pietatem, & Religionem inuitet, quod ſi quilibet faceret tibi vigilanti, nequaquam negligere deberes, ſed quando te verba non corrigunt, ad facta veniendum eſt, itaque planè efficiam,vt viſionem, quam tu intelligere diſſimulas, re ipſa veriſſimam eſſe certo experiaris; His dictis ille expergiſcitur, ſentit à mento totam barbam auulſam, fugit procul ab oculis omnis ſomnus.

Quidam ex amicis eius (B. Mariæ Oigniacenæ)præcipuis à dæmonio meridiano perambulante in tenebris, aliquando tanto periculoſius quanto ſubtilius infeſtabatur. Callidus enim hoſtis transfiguratus ſe in Angelum lucis ſub ſpecie pietatis ei familiariter in ſomnis apparebat, nonnunquam eius quædam vitia reprehendens, ad quædam etiam facienda bona eum fraudulenter adhortans,vt prius tãquam antidoti cuiuſdam falſa ſpecie oblata poſtea occultius venenum inſtillaret,& mellita lingua blandiebatur exerta, vt poſtmodum dentem infigeret, & ad extremum caudam ſuam quaſi cedrum ſtringeret. Cum enim iam illi fides tanquam veraci haberetur, tum inſtar ſophyſtæ, & impoſtoris veris quibuſdam proditor ille falſa permiſcebat bonorum intermixtione falſis quandam vmbram inſidiosè prætexens; tandem ſuis machinis eò perduxit fratrem illum, vt res eius peſſimum exitum fuerint habituræ, ſi non ancilla Chriſti reuelante Spirituſancto callidi veteratoris fraudes didiciſſet, cum autem diceret homini reuelationes illas non eſſe à Deo, ſed maligni dæmonis illuſiones eſſe, & ille è diuerſo, non ſancto, ſed ſuo ſpiritu obijceret, cum tot beneficia præſtiterit mihi ſpiritus ille, tot vera, & futura prædixerit, nullo pacto mihi vult imponere. Illa ad ſolita orationis arma confugiens (en bonum remedium, & ſcutum) pedes Domini rigat lachrymis, cœlum precibus inſtanter pulſat, nec facit finem, donec impius ille impoſtor, cum multo gemitu, & pudore ipſi nocte in cellula ſua oranti aſtaret, quem illa commentitio ſplendore præditum intuens, quiſnam es tu,inquit? aut qui vocaris? ille ſuperbo, vt erat vultu, iam toruis oculis viciſſim aſpiciẽs: Ego ſum, ait, quem tu maledicta precibus tuis compuliſti uenire ad te,quæ meum mihi amicum per uim auferre conaris ſomnium autem ego uocor: multis enim,præſertim Religioſis in ſomnis inſtar

Iacobus Vitriacens lib. 1. c. 9. B. Mariæ Oigniacenæ.

ſtar Luciferi appareo, mihiq; obediunt illi, & ex meis conſolationibus animis efferuntur, dignoſq; ſe putant, qui Diuinis, & Angelicis fruantur colloquijs: amicum illum meum, quem pro tua voluntate mihi abſtuliſti, iam eram à bono propoſito retracturus, & id ſanè èuentus rei docuit, ſed oua aſpidum rupta ſunt, & maligni illius fraudulenta conſilia in lucem prolata.

Nicolaus Sanderus lib. 2. de ſciſmate Angelicano.

Hæretici inquietum, & turbulentum genus hominum ad commouendum Londinenſem populum, & ſeditioni, & hæreſi valde deditum, inauditum adinuenerunt ſtratagema. Induxerunt quippè quandam puellam 18. annos natam hæreſi ſimul, & prętio corruptam in eam improbam ſimulationem, vt ſe permitteret in abdito inter duos muros cuiuſdam domus angulo ad tempus includi, & per fiſtulam ad id aptatam eas voces ædere, quas iſtius ſtrophæ artifices ſibi ſuggererent. Nomen puellæ Eliſabeta Crofta erat; Doli author Dracus quidam: ita illa virgo inſtructa, & in loco ad fraudem accommodato locata; mirabiles emittit continuo ex antro ſuo voces, eaſque tam ſonoras, vt per omnes vicinas audiretur. Accurrunt vndiq; Ciues, quid ſit inquirunt, mirantur voces non mortalis hominis, ſed Angeli eſſe clamabant. Vrbi ac Reipublicæ ſpiritus iſte minatur miſeriam, ærumnas, mala omnia, ſi nuptias cum Hiſpano, aut communionem cum Papa Romano admittant: multa item contra ſanctum ſacrificium, & reliquam fidem catholicam quaſi oracula fundebat, erant ex conſpiratoribus, qui data opera ſe turbis aſtantibus ſemper ingeſſerant, qui huius ſpiritus propheticas, & obſcuriores ſententias ad Religionis euerſionem, & ſeditionem mouendam interpretabantur. Magiſtratus autem, ad multitudinem compeſcendam, & quid rei ſit luſtrandum accedit, fraus difficillimè apparuit. Sed tandem inito conſilio de defodiendo muro, & vicinis parietibus, vnde voces reddi conijciebant, miſera puella prodijt, ac examinata, quorum ſuaſu, & conſilio fecerit hoc, confeſſa eſt ſtatim, ſe quibuſdam ſeditioſis ſectarijs, & ab eo in primis, quem nominauimus, Draco, ad iſtam nequitiam inductam fuiſſe.

Quas leges habeant Malefici in inferendis, curandiſq; morbis. Cap. XV.



Doctrina.

SIcuti ad malum quodcunque ſemper patet via inter Maleficos, ſic ad beneficium, ac ſalutem plurimas habet difficultates, & impedimenta: Idcirco Sagis ad inferendum morbum, & mortem omnia ſunt prona ad id, omnia opportuna, venenum multiplex, imprecatio, incantamenta, faſcinationes, his omnibus præſto eſt Diabolus, qui conſentientibus maleficis ſemper prouinciam ſumit nocendi, & hoc facit, vt apud eos gratiam aliquam promereatur, dum eius, quam tantopere concupiuerunt vltionis, compotes facit, & ipſe ea præſtat, quæ omnes omnium hominum vires vincere, ac ſuperare videntur à ſortilegis denique omnem noxæ ſuſpicionem auertat, atq; amoueat, dum ea infert illis abſentibus, ac ne digito quidem adiuuantibus: vbi autem agitur, vt aut reſtituatur valetudo, aut vita conſeruetur, tunc nunqnam deſunt, quæ contra capiantur cauſæ.

Exempla.

Exempla.

In agro ſtiuenſi non. Nouemb. 1566.

ROſa Girardina pro comperto recenſuit, non poſſe morbum tolli ab alio, quàm ab eo, qui illius cauſam dediſſet, nec cuiquam licere, vt in meſſem alterius falcem ſuam immitteret, vt vtantur regula illa, quæ docet, quòd eius eſt ſoluere, cuius eſt ligare, & ita ab eadem manu, & metuenda iniuria eſt, & expectandum beneficium.

Oharmeſij 6. Cal. Decembr. 1584. Haracuriæ 4. Id. Nouemb. 1586. Ardemontij 3. non. Decembr. 1584. Serræ. 1587.

Dominica Eurea, dicebat, non poſſe reſtitui ſanitatem ei, cui ſemel eſt adempta, quin idem morbus ſæpe etiam grauior in aliũ transferatur, atque ab ipſa veluti permutatione ſemper maius naſcatur compendium. Item medendi vires à Dæmone acceptas ſtatim euaneſcere, vbi Sacerdos, aut medicus ægro ſanitatis cauſa manus admouerunt.

Alexia Drigea dicebat, nunquam eſſe integrum atque abſolutum ſanationis beneficium, ſed morbi ſemper aliquid hærere, ac ſupereſſe.

Catharina Balandrea conſueuit dicere, fruſtra aut ſedationem, aut leuationem ægritudinis expectari ab ijs, qui ſunt in ſortilegij reatu, deſijſſe enim eſſe in Dæmonis manu, per quem hæc poſſunt omnia.

Huic conſentiens eſt, quòd dixit Nicolaus Morelius, is cum iam vinctus rogaretur, vt medicinam faceret puero Ioannis Chematij, quem non negabat à ſe in eum, quo tunc laborabat, morbum eſſe iniectum; reſpondit, eius rei nullam amplius ei eſſe ſibi relictam facultatem, quando ea, quæ ſe ipſe induerat criminis confeſſione dæmonem penitus à ſe ablegauerat, & omnino carceris locum, quominus id fiat ſua ſanctitate aduerſari; neque enim cum ipſe ſcelerum ſit vindex, ſortilegijs, quæ ad eam ſanationem adhiberi oportebat, conuenire poſſe.

Nuecuriæ 6. nonas Maij 1591

Cattina Gilotia, rogata quid cauſæ eſſet, quòd Canaſſia Godefreda non conualuiſſet ex eo morbo, quo illam ipſa per veneficiũ ante debilitauerat, cum tamen ei poma, pruna, aliaque id generis eſculenta, quę recuperandæ valetudini alijs adminiſtrare ſolebat, non ſemel ſua manu præbuiſſet. Reſp. id factum, quòd nullæ ante à Godefreda illa ad id adhibitæ eſſent preces.

Dombaſoni ad Sãniciaum prid. non. Martij. 1587.

Balial Baſolus, & Coleta piſcatrix nouum aliud impedimenti genus commemorant ſcilicet, quòd ſe inſcijs atq; inconſultis, qui eiuſmodi valetudine tentabatur, vota Diuorum alicui nuncupaſſet ac perſoluiſſet, hoc enim contemptu præuentos nihil amplius

afferre

afferre poſſe, quod conferat ad laborantium ſalutem, verùm id abſque ſuſpicione, non eſt affectati quæſtus, aut gratiæ, quarum maximè rerum ſunt cupidi, & amantes, cum ſint vt plurimum mendici, vitamq; elemoſinis tollerent.

Nicoleæ Moreliæ, pater, ſortilegij reus cauſam in vinculis dicebat, ex illius fortè verbis in eius criminis ſuſpicionem adducta eſt: & filia, quam ob id apparitor, qui tum præſens erat iudici ſuadebat, vt comprehendi iuberet. De hoc dæmon Moreliam tum adhuc liberam monet, atque vt id damno aliquo in apparitorem vindicaret, hortatur, ſe eius rei prouinciam ſuſcepturum libenter eſſe, ſi mandaret. Nec mora, vt aſſenſa eſt, aduolat is ad apparitoris ædes, ac ibi nactus eius vxorem, infanti ante focum mammas præbentem, eas puluere adeò virulento ceu tranſiens ſuffudit, vt inde exucca, experſque lactis prorſus fieret: cuius rei cauſam facilè ſuſpicatus apparitor, Moreliam iam tum cuſtodiæ traditam adit, ac placatam libo, rogat, vt ſi quid ad hanc rem opis afferre poſſet, id non grauatè faceret, viciſſim curaturum, ſe ne quid illi tolerandam vitam deeſſet tantiſper dum maneret in vinculis, ac deinde foras ſe eiecit, expectans, quid nam illa ſuper ea re conſilij caperet. Succedit confeſtim Dæmon, multaq; cum illa iurgatus propter colatos cum apparitore ſermones, tandem exorari ſe ſinit, eiuſque vxori denuo vbera lacte, vel ſi vellet etiam ad tædium diſtraherentur, quod & non multo poſt clam illato in ea, puluere albo præſtitit. Serræ 14. Cal. Febr. 1587.

Catharina Ocrearia aliquando ſua fide ampliata, ac denuo tum ex nouis ſuſpicionibus, tum ex Sereniſſimi Principis Lotharingiæ, qui de toto negotio commonitus fuerat, diſertiſſimoque mandato ad vincula reuocata, cum vni ex teſtibus, quibus committebatur brachium, quod illi, antequam in carcerem reuocaretur, mala ſua arte perculiſſe, ac debilitaſſe ferebatur, manu violentius ceu irata comprehendiſſet, euenit, magna omnium, qui tum aderant, admiratione, vt id momento ſanitati reſtitueretur, quodque captum, ac ſine vllo officio plures ante menſes fuerat, id ſtatim vegetum, ac ad priſtinas, ſolitaſque omnes functiones promptum, atque habile efficeretur. Nanceii, 1564.

Malefici in curandis infirmitatibus admiſcent aliquid Religionis. *Cap. XVI.*

Doctrina.

CAllidiſſimè peruerſorum dogmatum Magiſter Sathanas vires Religionis ad ſortilegium in ſpeciem adhibet, & hoc facit, tum vt homines, quorum mentes ſcit ad eius cultum eſſe procliuiores in ſuperſtitionis errorem facilius inducat, tum vt prodigioſarum ſanationum, quæ eius opera fiunt, ſuſpicionem aliò à ſuis tranferat, ne ſi eorum beneficio morbus leuatus videretur, idem & veneficio ante illatus exiſtimaretur, vt patebit inferius. Silentia igitur, dimenſiones, vigilias, murmura, figuras, ignes in expiandis ſcilicet religionibus interponunt, & quod peius eſt, in ſanctos aliquos eam noxam reijciunt, qui fortè, aiunt, violatum ſuum numen ira vendicandum cenſent. Quòd verò intolerabilius eſt, admixtas ſæpe precibus habent ſordes, illuuies, excrementa, aliaque multa, quibus nihil fingi poteſt ab ea puritate alienius, quàm in Diuino cultu, ac cæremonijs adhiberi par eſt, cuius generis erunt ſequentia.

Exempla.

FVit Nanceij intra annos quindecim, vel circa Venefica mulier, Thenota nomine; Ea cum aliquando rogaretur laboranti morbo vicinæ cuidam medicinam facere (nam ea cauſa vulgo adiri ſolebat) à Diuo Fiacro morbum illum eſſe dixit, cui ob id vouenda eſſet cum donarijs profectio, quam ipſa, ſi ita iuberent, libenter ſuſciperet. Conducta eſt mercede, vt hanc nauaret operam. Aegram tranſuerſo decuſſatim lino cerato primum dimenſa eſt, tum linum in certum numerum complicauit, atque in ſinum quaſi fouendum impoſuit. Deinde, & noctem, quæ proximè eſt inſequuta, totam ad ædium, in quibus decumbebat ægra fores excubauit, ac primo diluculo ſe in viam dedit cum perpetuo ſilentio: cumque ad Diui Fiacri fanum perueniſſet, id ingreſſa linum ſuccendit, eiuſque ſcintillantibus ceris figuras ad aræ maioris gradus in crucem duxit, ac tandem ſe foras eijciens, ipſum fanũ ter circundedit, lino illo interim flammas edente crepitantes, & ceruleas. Ijs omnibus ſic peractis ſe in vrbem recepit.

Ruſticus

Ruſticus quidam Vogeſius, cui fuit nomen Deſiderius Financius. Is Valentinum Valerium municipem ſuum, cum quo inimicitias pridem gerebat, impenſius vlciſci cupiebat, nec adhuc tamen explendi animi via tuta ſatis, ac opportuna ſeſe obtulerat occaſio. Cómodum igitur illi viam per ſola loca habenti occurrit obſcuro loco vmbræ inſtar, ac apprehenſum de equo tanta vi deturbat, vt altero crure prorſus debilitaretur. Sed aliquanto poſt miſertus hominem, vt quem ſatis diuturno mulctatum infortunio videret, ad eum ceu aliud agens accedit. Rogat vnde id illi accidiſſet mali, cauſam prolixè edocetur, quam ipſe multo melius ſciebat, tandem remedium pollicetur, & certum, & præſens, ſi dicto audiens eſſe vellet. Nihil in ea cauſa facturum recipit ruſticus, auideq; expectat quid ſe illi præſtare velit: præcipit igitur, vt è nouem ſtabulis diuerſis fimum equinum precario conquireret, quantum ſatis eſſet ad implendum ſaccum, quo tum crus cum labefactaretur erat indutum, eumq; ſic confertum pro donario appenderet D. Benedicto, cuius celebre eſſet fanum in Berquel oppido Germaniæ, ſic enim futurum, vt eius anathematis arcana vi, ac poteſtate illi membrum recrearetur, ac conualeſceret. Ecce quomodo Sortilegis mos eſt curationibus ſuis iſtiuſmodi Religionum expiationes prætexere, cum nulla tamen religione tangantur, ac potius eam omnem deſpectui, ludibrioque habeant.

Sideodatė prid. id. Iulij 1581.

De prouocatione ad iudicium. Cap. XVII.

Doctrina.

PEriculoſum eſt hominibus non compertæ ſanctitatis has citationes facere, imò lethaliter peccant, qui ſcienter alios citant, quia nocent iniuſtè, & grauiter, & calumniantur Iudices tamquam oppreſſores innocentiæ. Si tamen hoc fiat citra odiũ, aut vindictæ cupiditatem, vel impatientiam, iram, deſperationem, vanitatem, aut aliam vitioſam affectionem, per iniuſtitiam oppreſſus quis hoc faciat bono fine, vt videlicet innocentia eius appareat, nec infamia grauetur, familia, aut vt liberetur mundus tali Tyranno, aut vt reſipiſcat, & terrore perculſus pæniteat, deſinatque ab oppreſſione, & concuſſione miſerorum; licita eſt talis citatio, nec talem citationem audet damnare Feuardenus, a quia cum finis ſit bonus, puto actum eſſe meritorium. Non de-

a Extremo cap. 13 eſſet.

b Geneſ. 16. c. 1. Reg. 24. d 1. Paralipo 24. verſ. 13.

ſunt exempla ſanctorum hominum. Sic dixit Sarra; b Iudicet Dominus inter me, & te; Sic dixit Dauid c ad Saulem: Iudicet Dominus inter me, & te, & vlciſcatur me Dominus ex te. Sic Zacharias filius Ioiadæ. d Videat Dominus, & requirat, &c.

Exempla.

In lib. Apū, & Cantipratenſ. et lib. 7.

Memoratu digniſſimum eſt, quod legitur apud Thomam Cantipratenſem, vbi habet hæc verba; Monaſterium B. Iacobi apud Leodium notum multis eſt, & acceptum iſtud; quidam Adoleſcens conſobrinus maioris Præpoſiti, deuotionis cauſa, & Religionis, intrauit, quod vt audiuit Præpoſitus indignè tulit, mox forti manu collecta ſatellitum, intrat violenter Cœnobium, rapit Iuuenem, & nudatum ſancto habitu, ſeculari induit. Abbas ergo Monaſterij, collectis Primatibus Ciuitatis Epiſcopo cōqueritur, & totum Clerum pro tantis iniurijs interpellat hoc autem cum indignanter vix vellet audire Epiſcopus, & Abbatem potius duris verbis impeteret: flexis Abbas genibus, cum moderamine verborum dixit. Iudicem contra te ô Præpoſite in terra habere non poſſum, & ideo contra te Deum ſummum Iudicem interpello, vt intra 40. dies vterque noſtrum compareat coram illo ſententiam pro meritis accepturus. Ad hoc Præſul cachinnās cum ſuis irriſit hominem, atque ſpreuit, & repulit exprobratum. Quid plura? quadrageſimo die circa Nonam mortuus eſt dictus Abbas, & cum pro eo ſolenniter pulſaretur, ſedens in balneo Præpoſitus quæſiuit à circumſtantibus quid hoc eſſet? moxque quidam ingrediens, reſpondit Abbatem D. Iacobi modo eſſe defunctum, & pro eo pulſationem fieri tam ſolemnem. Ideo ergo recordatus Præpoſitus, quadrageſimum diem eſſe, quo ſe citatum audierat ab Abbate, conſternatus animo dixit ſuis, citò videte, quid faciam? mortuus ego ſum, comparere me hodie ſummi Iudicis aſpectibus oportebit. Nec mora, poſt verba hæc, cum balneum egredi feſtinaret, in aſtantium manibus, cum diro eiulatu, & vocibus expirauit, ibi proculdubio reſpondere compulſus, vbi cauſarum ſtrepitus ceſſant, iuriſperitorum aduocatio conticeſſit, vbi nec preces, nec pretium liberant.

Fulg. li. 1. c. 6.

Armonicis Franciſcus Dux præfuit. Is ſumma crudelitate fratrem ex Anglia redeuntem de medio ſuſtulit, ſed viciſſim fratris citatione intra annum de medio ſublatus, Principatum cum vita amiſit.

De purgatione Monomachiæ. Cap. XVIII.

Doctrina.

NVlla purgatio iſta olim fuit frequentior, quandocunque criminis cognitio, vel probatio erat obſcura: tunc enim temporis, vel actor reum prouocabat, vel reus ipſe offerebat ſe, aut ſuo loco aliũ. Conſtat hanc fuiſſe inuentionem antiquiſſimam, & Palæſtinis ipſis in vſu fuiſſe, *a* ex Goliæ prouocatione, quem Dauid ſuperauit. Poſt Barbarorum in Italiam eruptionem fuit maximè in vſu apud Longobardos, & apud Germanos, & Francos, & etiam Hiſpanos. *b* Verum huiuſmodi conflictus non probantur, quia repugnant omni iuri, iuxta communem Doctorum ſententiam. Repugnant iuri naturali, vt docet optimè Suſius, *c* & Petrus Meſſias; *d* Repugnant iuri ciuili, & hoc probant communiter Doct. *e* etſi ea lex non ſufficienter conuincat, nulla tamen lege apud Romanos fuit approbata hæc pugna. Quòd iure Diuino prohibitum ſit duellum, probatur ex omnibus locis, quibus prohibemur Deum tentare, & quibus prohibemur occidere. Apertior eſt probatio iuris Eccleſiaſtici, ſeu Diuini poſitiui, *f* vt in Concilio Trident. cuius hæc ſunt verba. Deteſtabili duellorum vſus, fabricante Diabolo introductum, vt cruenta corporum morte, animarum etiam pernitiem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur, &c. & deinde paulò poſt ſubdit idem Concil. Qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ, &c. perpetuò careant eccleſiaſtica ſepultura. Extat Bulla illa laudatiſſima fælicis Recordatiõ. Gregorij XIII. quæ fuit producta Anno 1582. nono Decemb. quæ incipit his verbis. Creſcente hominum malitia, facinoroſi non deſunt.

a Alciat. de ſingul. certa min. cap. 2.
b Lege Lõgobar. tit. qu. li. e. quiſq́; defē. deb. tit. de pur gat. rei ti. de omicidio liberi hominis.
c libr. de iniuſtitia. duelli.
d p. 4. vari. lect. ca. 9.
e leg. 1. C. de gladia. li. xij.
f Pet. Mat thæus in Notis ad Bullã Gregor. XIII. mox laudandam.

Exempla.

GVlielmo Tertio Comite Annoniæ, Verpa quidam ſe finxerat ſincero animo Chriſtianis ſacris baptiſmo initiari, ſuſcepit ex fonte Comes, & Gulielmi filiolum nominauit, & apparitorem curiæ Montenſis eſſe iuſſit. Non diu poſt, homo impius ingreſſus ædem Monaſterij Cambronenſis actus furtijs, blaſphe- Anno. 1326.

mias

mias in Deiparæ imaginem multas effudit, & (horrendum) venabulo quatuor plagas inflixit, vnde ſanguinis ſtatim riui manarunt. Viderunt Faber lignarius quidam, & Monachus laicus Matthæus Lobbius. Faber aſcia caput Iudæo findere parabat, ſed à Monacho prohibitus: rem detulerunt igitur ad Abbatem Ioannem de Montibus; is ad Comitem; Iudæus pertinaciter tormenta eluſit, ſic dimiſſus quadriennio poſtea ab Angelo apparente, quidam ſenex nomine Ioannes Flander Eſtinnenſis, & ſeptenn.o, iam ex paraliſi clinicus iubetur Iudæum accuſare, & duello prouocare. Bis monitus, parochi iuſſu ſenex adhuc rem differebat, tertio illa ipſa Virgo quinque illis plagis ſauciata ſe videndam præbuit, & imperat Monomachiam. Plenus ſpe, & fide ſenex adit Cambronem, cernit in imagine vulnera, quo viſo, accedit ad Comitem, accuſat mentitum, dies pugnæ dicitur, arma, rudes fuſtes, & ſcuta lignea ſuperſunt hodie: Iudæus veſco corpore, ferox viribus, tibiales faſcias tintinnabulis cinxerat, & ſic ſenem ridebat, ſed iuuit athletam ſuum Deus, tam impar commiſſus, æger ſanum, debilis fortem, ſenex iuuenem proſtrauit, & horrendè blaſphemantem conuictum, ſed non pœnitentem, Comes iuſſit caudæ equinæ alligatum trahi ad patibulum, & capite deorſum duobus ad latera moloſſis cum rabidè laniantibus appenſum ſubito ignis fumo interijt. Narrat hoc fuſè Robertus Hauportius, duobus ea de re libris carmine conſcriptis.

Radiſlaus Gurimenſis Princeps Miſtibogij filius, per iniuriam inuaſerat Bohemiæ fines, coactus à ſuis tandem optimus Rex Venceſlaus militem collegit. Cum iam dimicaturæ eſſent acies, ſi aliter inquit Venceſlaus niſi prælio res componi nequit, cur non potius ſine inſontium ſanguine ipſi inter nos ſingulari certamine decernimus? Nulla fit mora, loricam ſuper cilicinam veſtem indutus, paruoq; enſiculo ſubcinctus Venceſlaus in campum prodit, at Radiſlaus Cataphractus, haſtatuſque cum ingenti machera ſe infert. Venceſlaus ſigno Crucis frontem pingens, ſubito Angelos videt, atq; hanc vocem velut ab homine promptam audit. Ne feri: & repente Radiſlaus humi procumbens, veniam audaciæ popoſcit, ſeq; poteſtati victoris permiſit. Alleuans proſtratum Venceſlaus, monuit, data venia, & dignitate ei reſtituta, vt contumaciam in obſequium debitum verteret, ne poſt grauius ab irato Numine plecteretur. Hic Deus miraculo iuſtitiam cauſæ declarauit.

Vide Vuſtichindũ libr. 1. & Vincentiũ li. 24. Speculi c. 70. & lib. 5. Hiſtor. Bohem.

Quando miraculo Deus non fauet, fieri ſolet, vt res vel maneat dubia, vel iuſtam fouens cauſam iuſto Dei iudicio ſuccumbat,

bat. Prius in pugna duorum hiſpanorum nobilium accidit tempore Alphonſi Regis, qui Petri Regis Caſtellæ pater fuit; hi fuerunt Ruy Paez de Viedma, & Pay Rodriguez de Auila, ille hunc proditionis accuſauit, hic illum ſceleris grauioris viciſſim recriminatione pulſauit. Cum ventum eſſet ad duellum tribus continuis diebus ab ortu ſolis ad occaſum pugnarunt, multiſque ſe vulneribus affecerunt, & dubia prorſus, nec in vnum, alterumvè inclinante victoria, vtrunque Rex innocentem pronunciauit, & æquali virtute præditos, amicos eſſe voluit. Narrat fuſè Petrus Meſſias. Siluæ var. lect. p. 1. cap 10.

Poſt multas impietates à Maleficis patratas, Dæmon tandem conatur eos ad interitum per ipſorummet manus inducere.
Cap. XIX.



Doctriua.

OMnes quotquot fuerunt Dæmoni addicti, & in eius poteſtate illaqueati, fatentur adeò ſibi eſſe apud eum inclementem, atque iniuſtam ſeruitutem, vt ſæpe in animum inducat, eos ſibi manibus proprijs vitam exhaurire, ſiue per vulnus, ſiue per ſuſpendium, ſiue per præcipitium, ſiue per ſubmerſionem, vt tam inſuaue Dæmonis iugum excutiant, Et tam ſubita, ac repentina mors eius facinoris molitionem conſequitur, vt nullum ſatis promptũ

ab occurrentibus impedimentum contra afferri poſſit, adeò Dæmon rem vrget, & properat omnem, quem in hoc adniti certum eſt, vt poſtquam ætatem ferè omnem per tot impietates, ac ſcelera traduxerunt Sortiligi, quantulum illius ſupereſt, id per vim ſibi ſua manu præcidant, ac ſceleratiſſimam vitam tandem interitu ſempiterno abrumpant, ſic, vt quos viuos flagitijs, eos defunctos ſupplicijs Dæmon indeſinenter exerceat. Verum miſeris illis non eſt tamen idem perpetuo; qui modo dictus eſt vitæ exitus, calamitatumq; finis. Sed vt eſt Diuini Paſtoris ineffalibilis benignitas, & clementia abductas à lupo oues, ſæpe ad ouile reuocat, denuoque cæleſti gramine paſcit, ac recreat: Et ideo vt plurimum, cum ſunt in vincula coniecti admiſſorum confeſſiones, non eo vſque differunt, dum tormentis ab eis exprimantur, ſed ſpontè, & cum magna animi alacritate exponunt læti, vt aiunt, ſibi oblatam eſſe occaſionem, qua poſſint leui miſerrimæ vitæ diſpendio tantam à ſe calamitatem æternum depellere. Neque enim ferit ſemper quodcunq; minatur arcus, nec ſemper eſt in manu Sathanæ, vt homines violentia ſua, quo vult impellat. Vt tentet, hoc permittitur, vt præcipitet non ita. Hinc eſt quod non ipſe deſperabundos, vel in flumina conijcit inuitos, vel laqueis trabi annectit, vel cultris trucidat: ſed tantum hortatur, vt id malè ſani exequantur. His autem omnibus ſæpe intercedit, qui imbecillitatem hominum miſererur Deus, modo hoc, modo illud præſidium pro ſua ſapientia opponens, vt exemplis patebit.

Exempla.

L.b.3.c.5. REfert Remigius vidiſſe ſe Sontis cuiuſdam Sedenarij nomine cadauer, cui collum tantum religatum eſſet ad os in parietem, non adeò tenaciter defixum tenui ex induſio faſciola putrido ſtamine intertexta, genibus in terram penè inflexis, ac deuolutis, ad id poſitum, tam commodè ſua anima fuerat defunctum, quàm ſi è trabe ſublimi canabea, validaq. reſte innixum pependiſſet, ac carnifex aliquis haud ſegniter operi manus admouiſſet, & plerique omnes, qui ſic vitam deſerunt ſimili celeritate, ac facilitate pereunt.

Hambachi in Germania inferiori in cõfinibus Flandriæ, in Ducatu Sereniſſimi Ioannis Gulielmi Ducis Cliuenſis, & Iuliacenſis: cum ibidem ego eſſem ratione curę eiuſdem Ducis, qui erat maleficiatus: cum ibidem ego eſſem ratione curæ eiuſdem Ducis, qui

Author. erat maleficiatus; vocatus fuit Presbyter quidam Magus, Ioannes nomine,

nomine, nonagenarius, qui præerat curæ animarum in oppido Archiepiſcopatus Colonienſis Diœceſis, nomine Lanch: hic reddiderat dictum Principem per maleficia furioſum, pauidum, & formidoloſum, pro vt ipſe confeſſus eſt. Huic, triduo, antequam fuiſſet vocatus à Principe, apparuit dæmon in eius ædibus Lanchi, & monuit, vt nullo pacto iret ad Principem, qui breui erat miſſurus ad illum, quia timebat ſibi. Cui Magus, quid ad te? volo ire quocunque mihi libuerit: Dæmon nihil ſubdidit his auditis, ſed demiſſis femoralibus, vt retulit ipſe Magus (induerat enim formam Nobilis viri cum ſeruo ſibi adhærente) oſtendit illi anũ, & emiſit crepitum fœtoris adeò intolerabilis, vt per triduum non potuerit Magus, adhibito thure, ac alijs odoriferis ſuffumigijs, fœtorem tam grandem ſedare. Venit ad Principem nonagenarius ille Magus, & examinatus, de maleficio, fatetur ſe, illum maleficio infeciſſe, inuocaſſeque tunc temporis Luciferum Dæmoniorum Principem in ijs caracteribus, in quibus erat maleficium, conſcribendis. Apparuit illi Dæmon in Turri ſecundò, in qua ipſe dormiebat, ac in deſperationem illum, eò quòd eſſet igni tradendus, propter delictum confeſſum, inducens; proprijs manibus, gladioloque ſuo, die Dominico mane, qui fuit 25. Septembris anni 1605. proximè præteriti ipſe ſe iugulauit: Et quamuis vulnus gutturi inhærens, tantæ virtutis non eſſet, quo ſtatim moreretur, nihilominus tamen dæmon in ipſo actu deſperationis animam eius ſtatim per vim arripuit, ad infernaq; deduxit, cum maxima omnium admiratione. Ego illum ſic mortuum, & adhuc calidum vidi ſuper fœnum iacentem; vt qui inſtar beſtiæ vitam duxerat, etiam in beſtiarum pabulo occideret; ſic diſponente Diuina Iuſtitia, quæ tribuit vnicuiq; iuxta opera ſua; voluitq; Deus, vt qui nonagenarius vixerat Sathanicus, Sathanicis quoq; manibus vitam clauderet.

Ioannetta Galea amplum de hoc teſtimonium reliquit, cum ſupplex à quæſtore efflagitauit, ne meritas à ſe pœnas longius traheret, ſe enim eas æquiſſimo animo paratam luere, vt eam impietatem, quam ſummam in Deum admiſerat citius poſſet expiare. Sandomi- nici 5. id Nouemb. 1586.

Nicolea Morelia, ab eo tempore, quo crimen ſuum iudici aperuit, non ceſſauit ſe beatam prædicare, quæ ſic ſe vt antea poſſet Deo aſſerere ab omni dæmonis ſeruitute liberam; Iamq; triennium perpetuum hoc ſibi in animo fuiſſe facere, ſed non potuiſſe, ne attentare quidem, adeò tenax eſt ſuæ prædæ hoſtis ille. Serræ 14. Cal. Febr. 1587.

Catharina Latomia Marchenſis non negabat, quin eſſet pro

Haracurtię 3. non. Febr. 1587. tantis ſuis flagitijs extremas pœnas merita, tum iudicis etiam ſummam indignationem; ſi quis tamen gratiæ locus ſupereſſet, hoc ſolum ſibi adijci poſtulabat, ne mors vlterius differretur, quo ſe quàm citiſſimè ſiſtere poſſet pro eius iudicis tribunali, in quo ſpem ſuam omnem poſitam habebat, ſibi enim vel grauiſſimo operi iam eſſe animam.

Præneij prid. Cal. Auguſti 1586. Idatia Miremontana obnixè iudicem rogabat, vt ſe quàm citiſſimè morti addiceret, neque enim etiam ſi vinculis abſolueretur, liberum vnquam futurum, vt reſcipiſceret, ac ad meliorem frugem ſe reciperet, quòd dæmoni fidem ſuam obſtrinxiſſet, quam vti importuniſſimo creditori, quin exolueret, defugere non poſſet, quandiu in vita maneret.

Freſenij 3. idus Auguſti 1586 Apolonia à Freiſen, morte ſibi gratius nihil contingere aiebat poſſe, quo tandem ſceleratiſſimæ, ſuæ vitæ finem aliquem inueniret: neque enim ab iniuria, & maleficio, quoad viueret temperare poſſe, quod ad ea dæmonem aſſiduum hortatorem haberet, cuius etiam mandatis, atque imperio niſi morte ſe exoluere non poſſet: craſtinus igitur illi dies priuſquam alius eas omnes miſerias clauderet, viamque ad cœleſtem patrem aperiret, ac patefaceret.

Emelij 3. Cal. Iunij 1591. Antonia Mercatrix, nihil ſe iam æquè cupere, quam vt citiſſimè viua in ignem ponatur, quòd id ſciat ſe etiam iudice pridem merita.

Sandeodati prid. id. Iul. 1581. Deſiderium Financium Mandrenſem ob cumulatum patricidij ſortilegium forficibus candentibus puniendum, ac deinde etiam viuum igni tradendum, Duumuirum Nanceianorum collegium grauiore ſententia damnauerat. Id igitur, ſiue per dæmonem ſuum ſciuerat, quod alijs multis eueniſſe, & monſtratum eſt, & demonſtrabitur, ſiue ipſe tam horribilis ſceleris conſcientia præſagiebat; ſtatuit ſpontanea, ac voluntaria morte effugere. Ergo arreptum cultellum, quem fortè cuſtodia incautius in ciſta cum pane condiderat, in fauces quantum potuit adegit, atque ita interijt, & eodem anno in Lotharingia vltra quindecim fuerunt, qui ſic vitæ ſuæ conſuluerunt, vt ſe exemplo publico ſubducerent, verum ne horrore legentium animi perfundantur, de huiuſmodi fatis vertam igitur ſermonem ad ea quæ exitus meliores habuerunt.

Ioanna à Banno ſpontanea confeſſione teſtatum reliquit nulla in re adeò importunum ſuaſorem habuiſſe dæmonem, quàm vt ſe, aut in puteum deijceret, aut profluentem mergeret, aut reſte implicaret, aut omnino quauis alia ratione perderet, diciq; non

poſſe,

poſſe, quàm in eo frequens eſſe cœperit, vbi præſenſit illam iam iam comprehenſione eſſe deuinciendam, vt qui videret bolum ſibi è faucibus eripi, ac ne poſt quidem ab incæpto deſtitiſſe, ſed acrius, & maiori etiam ſtudio, ac importunitate poſt iam comprehenſionem vrſiſſe, vt id perficeret, quoque factum minus defenderet difficultatis excuſatione, oſtendiſſe in carceris angulo obſcuro neglectam catenam, quam ſi vellet poſſet collo aptare, atque illa fauces ſibi frangere; eoq; iam res proceſſerat, vt placeret conſilium, ſed hoc ad conſummationem defuiſſe, quod nihil ſe ſe offerret vnde catena religaretur.

Annæ Drigeæ idem etiam perſuadere conatus erat, nam cum flammarum, quarum erat cruciatibus interficienda, horrorem ſimul, & exempli, quod editura erat, dedecus, atque infamiam coram oculis poſuiſſet, tum facilè obtinebat, vt hæc morte voluntaria peruerteret, ſed contra præſentis mali fuga, atque auerſio quæ omnibus naturaliter ineſt, tum fortè ſalutis animæ certiſſima amiſſio, quæ à perditiſſimis quibuſcunq; etiam metuitur, animum in contrariam ſententiam diſtrahebant; ergo illud conſilium conſtanter reiecit, tale id erat, vt in ſuperiorem carceris feneſtram ſeſe ex olleret, vnde paratum oſtendebat præcipitium. Haraucurig 4. idus Nouembr. 1585.

Deſiderium Guerardum cum nullis ad huiuſmodi facinus rationibus adducere poſſet, hoc etiam ad ſuaſionis cumulum adiecit futurum, ſi ſic vim ſibi inferret, vt euaderet in ſibi ſimilem dæmonem, in cuius poteſtate futurum eſſet, quæ vellet agere, ſed ne hoc quidem labefactare, ac à ſententia dimouere potuit, ſi quidem tot eius antea eluſus dolis, conſilia eius omnia ſuſpecta habebat, in nullaq; amplius morem ei gerere certum erat, Cum dæmonis ſit tantum perſuadere, ſed non impellere iuxta illud Matthæi, ſi filius Dei es, mitte te deorſum. Venezaliij 13. Calen. Nouemb. 1581. Matt. c. 4.

Quos ſemel corripuit Dæmon, hos obnixè retinet etiam in tormentis conſtitutos ante Iudices, in interioribus ſacrarijs, ac vbilibet. Cap. XX.

Doctrina.

QVam ſemel poteſtatem aquiſiuit in homines dæmon, tam obſtinatè tuetur, ac retinet, vt ne conſtitutos quidem in vinculis manu ſua mittat, opeque deſtituat; ſic veluti ſtrenuus pugil non conquieſcit, neque defatigatur, dum ſupereſt certandi copia, atq;

occaſio:nec prius vnquam deſtituit, quos ſemel habuit obſequentes, quam illi ipſi ceu agni lupo, fuerint erepti: quod etiam cum præſentit, ac coniectat futurum; ſæpe vel prauis conſilijs, vt cum ad ſuſpendium, ſpontaneamq; mortem impellit; vel re, ac facto, vt cum collum ipſe obtorquet, verberibuſq; necat, vel aliqua alia via, quæ exitium afferat (ſi Deus non auertit) quod exemplis alibi eſt demonſtratum; aut ſi ne hoc quidem licet, ingratum, iniucundumq; aliquid, ſi poteſt, facit, ne omninò innocuus abeat, quod etſi ita palam ſit omnibus, vt otioſus videri poſſit, ſi quis de hoc fiat ſermo, non pigebit tamen ad cognoſcendas magis hoſtis noſtri artes, nonnulla quædam deſcribere. Nullus præterea eſt adeò ſanctus locus, nullus adeò religioſus, quem hoſtis antiquus audax, & temerarius, violare, tentare, & perrumpere non tentet, dum prædam ſuam ſectatur. Templa, Conciones, Anachoritarum cellas perluſtrat, in ijs frequens eſt, & aſſiduus, nec mirum hoc cuiquam eſſe debet, quando auſus eſt ſe etiam inferre conuẽtui, quem olim ſuorum Deus celebrabat, vt patet Iob; & vbicunque ſit, quibus vult ſe offert conſpiciendum, cæteris autem ibidem ſtantibus, nihil cernentibus prorſus, vt patebit per exempla.

Iob cap. 1.

Exempla.

Blainuillæ 5. Cal. Maiij 1587.

QVirinam Xalleam ſtatim, ac in carcerem condita fuit dæmon immiſit, monuitq; non euaſuram illinc, niſi quæſtionum tormentis duriſſimè exagitatam, atq; examinatam, ferret modo tacita exigui temporis dolores, certam poſt adeſſe libertatem, ſe interim vbi res poſtularet, non defuturum, atq; vt is prædixerat, ita illi non multo poſt euenit, nam dum in tormentis erat, ac valde ijs premebatur, ille ſe eius reticulo crinali ſubmiſſit, non ceſſans, addere animum, ac ſpondere iam iam adeſſe cruciatuum finem; ac ſi fortè eos paululum, vt intermitteret tortori quæſitor innuebat, id ille præuertens ceu à ſe factum, miſeræ illi prænunciabat; ſed cum iam nullus eſſet dolorum modus, & amplius tolerari ne à fortiſſimo quidem poſſent, erumpẽs illa. Amouete me hinc, ait, ſatis verborum hic mihi meus dedit perfidus, en parata ſum verum fateri, & ſic à dęmone, quem diſertis verbis prius abiurare iuſſa eſt, libera, ordine rem omnem ab eo, quo ſe illi addixerat die recenſuit.

Eodem loco, & Anno; Anna Xellea non abſimile huic factum totidemq; ferè uerbis recitauit, niſi quòd non crinibus, ſed imis faucibus dęmonem ſuum torqueretur, occluſum habuiſſe ſe dixit,

xit, nimirum quo facilius loquuturę uocem inhiberet, ſi fortè per doloris impatientiam admiſſum fateri urgeretur; nec ea res ſuo iudicio illos fefellerat, qui tum pręſentes affuerant: aduerterant enim forte fauces in eum tumorem excedere, vt mentum ipſum ſua elatione propemodum adęquare uiderentur, tum adeò liuore decolorari, ut facilè intus angorem ineſſe maximum conijcerent.

Claudia Simoneta, quę obijt per ignem ſortilegij damnata, pręter pleraſq; alias quarum nomina, nunc non memini, una cū Antonio filio obſeruauit, inquientes ſibi circa tempora obſeruatum fuiſſe muſcę ſpecie dęmonem cum in carcerem ducerentur, diligenter monuiſſe, ne ſe ipſi intentati criminis manifeſtos ſua confeſſione facerent, quamuis exquiſitis tormentis ad id vrgerentur; confeſſos enim certiſſima, ac ſæuiſſima ſupplicia manere, contra ſi linguam continerent, futurum vt propediem ſalui, incolumeſq; euaderent. Caſtelleti 3. Calen. Octobr. 1588.

Eandem ſilentij neceſſitatem Franciſca Fellæa ſibi à dæmone allatam memorauit, ac præterea ita occluſas ad vocem iudicis aures habuiſſe, cum is primum illam interrogaret, nihilo plus audiret, quam ſi is nihil omnino loqueretur, ſed tandem ſuperata incantatione, ac veritate a ſe tormentis expreſſa, non ceſſaſſe ab eo tempore dæmonem de nece illi minas intendere: ob id rogabat illa, ne se incomitatam relinquerent, præſertim de nocte, cuius ſolitudo maximè eſſet opportuna illius iniurijs. Pangeſ. 5. Id. Nouembr. 1584.

Eodem loco Anno 1587. Franciſcus Fellæus, cum è capitis iudicio, bis celata veritate, ac ſuperatis tormentis emerſiſſet: tertio delatus, ac in noxa deprehenſus, ſeras quidem, ſed graues ſceleris pœnas confeſſus tandem exoluit. Imò non defuerunt alij, qui vim quæſtionis perferrent inconfeſſi, ac cum iam è reis eſſent eximendi, celatum eo vſq; crimen ſuum detegerent.

Huius rei fidem fecit Margarita Valtrina, quæ cum horæ ſpatium integrum in carnificum acerrimis tormentis manſiſſet, nec ob id durius in ſe quidquam eſſet loquuta, tandem iam dimittenda accerſiri voluit Iudicem, apud quem primum obſtinationis ſuæ pręcata veniam, à capite vti eam dæmon ineſcaſſet, ac deinde per omnia flagitiorum genera exercuiſſet, enarrauit.

Non eſt memoratu indignum, quod eodem anno Alexiæ Belhoriæ idem facere cupienti contigit, ſtupentibus præ admiratione, qui tum aderant omnibus, cum enim ad eiuſmodi ſpontaneam confeſſionem ſe accingeret, ac à dominica oratione, vti mos eſt Chriſtianis auſpicaretur, in murum, quem poſt ſe habebat, Blainuilliæ 17. Calen. Feb. 1587.

bat, auerſa ruit tanto impetu, vt pro mortua iam multis tollendã videretur. Sed paulatim ad ſe rediens, ac deliquij cauſam rogata. Non videtis, inquit, ſub lecto proſtratum carnificem, qui me modo faucibus comprehenſam penè præfocauit? En etiam, vt terrorem vultu minaciter obijcit, atque quantum poteſt, inhibet, ne de ſe verbum vllum dicam. Nec me nunc quidem primum à verò dehortari tentat, nam iam cum torquerer, in aurem ſiniſtram ſe pollicis inſtar intulit, monens ſedulo, vt linguam temperarem, nec vinci me ſinerem exigui temporis non admodum vehementi dolore.

Lib. 3. c. 21.

Sequentia refert Remigius his verbis, quæ ipſe præſens vidit. Veneficam quandam (cui vulgus Aſinariæ nomen ab aſinario marito fecerat) ſic premebam dictis teſtium, vt iam tergiuerſationi locus nullus ei relinqueretur. Itaque ob id ſe comparauerat, vt admiſſa omnia ſua velle patefacere videretur, cum illi in vultu color ſubito immutari, oculi in aduerſum carceris angulum cum ſtupore defigi, oratio, mens deniq; ipſa cœpit excidere. Peto, quiſnam ipſam morbus adeò repente inuaſerit, reſpondit, ex illius anguli ſuperiore parte videre ſe Magiſtellum ſuum manus ſibi ferociter oſtentantem quales habent cancri bifurcas, ac dentatas, iamq; inuolaturo ſimilem apparere; eò oculos conuerto; pergit illa obnixè, intento etiam digito demonſtrare: nihil aduerto: iubeo tamen præſenti eſſe animo multa, & ſecurè, & confidenter in Magiſtelli illius contemptum præfatus; ex eo igitur timore iam ſe collegerat, ac pergebat, de ſe narrare, quæ ante incœperat, cum denuo ex alio angulo prominentem illum enormiter aduertit, mutata iam perſona, vti qui ſcænæ alicui ſeruiunt, ac certis cornibus inſtructa fronte, quaſi eam illico eſſet impetiturus, ſed rurſum deriſus, ac etiam conuitijs proſciſſus abijt, nec ab ea deinceps viſus eſt, vti ipſa iam ad rogum profectura declarauit: alia exempla ſacrarum ædium, & clauſtrorum alibi ſunt demonſtrata, & demonſtrabuntur adhuc.

Summarium omnium ſcelerum Maleficorum paucis contentum. Cap. XXI.

SEbaſtianus *Michael* in pneumalogia refert hoc exemplar ſententiæ latæ Auinioni anno 1582. vt paucis concludat enormiſſima Sagarum, & *Maleficorum*, ac horrendiſſima eorum flagitia.

Sententia.

Viſis

Viſis proceſſibus coram N. N. contra nobis conſtitu[..]s reos accuſatos, & delatos, quibus tam per veſtram, & quorumlibet veſtrum relationem, ac propriam confeſſionem, iudicialiter coram nobis factam, atq; ſæpius repetitam, iuramento veſtro medio, quam per teſtium depoſitiones, eorumq; accuſationes, & alias legitimas probationes, ex dictis, actis, & proceſſu reſultantes nobis legitimè conſtitit, & conſtat, quòd vos, & veſtrum quilibet, Deum noſtrum omnium creatorem, & opificem, vnum, & trinum abnegaſtis, & immitem diabolum, hoſtemque antiquum humani generis coluiſtis, voſq; illi perpetuò deuouiſtis, & Sacratiſſimo Baptiſmati, & his, qui in eo fuerant ſuſceptores leuantes, & proparentes: veſtræq; parti paradiſi, & æternæ hæreditatis, quam pro vobis, & toto genere humano Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſua morte acquiſiuit, coram præfato Cacodęmone in humana ſpecie exiſtente abrenunciaſtis; infundente ipſo rugiente diabolo denuo aquam, quam accepiſtis veſtro vero mutato nomine in ſacro Baptiſmatis fonte vobis impoſito, ſicq; aliud commenticium nomen vobis imponi fictitio baptiſmate paſſi eſtis, & accepiſtis, atq; in pignus fidei dęmoni datę veſtimentorum veſtrorum fragmentum, & particulam illi dediſtis, & vt à libro vitæ vos deleri, & obliterari pater mendacij curaret: ſigna veſtra propria manu, ipſo mandante, & iubente, in reproborum, damnatorum, mortiſq; perpetuæ libro nigerrimo adhoc parato appoſuiſtis, & vt ad tantam perfidiam, & impietatem vos maiori vinculo deuinciret, notam, vel ſtigma cuilibet veſtrum, veluti rei ſuæ propriæ, inuſſit, & illius mandatis, & iuſſis iureiurando ſuper circulo (quod Diuinitatis Symbolum eſt) in terram ſculpto (quę ſcabellum pedum Dei eſt) per vos, & quemlibet veſtrum pręſtito, vos obſtrinxiſtis, ſigno Dominico, & cruce conculcato; & illi parendo, adminiculo baculi, quodam nefandiſſimo vnguento ab ipſo Diabolo vobis præſcripto illiti, & cruribus poſiti, per aera ad locum conſtitutum intempeſta nocte, hora malefactoribus commoda, ſtatutiſq; diebus ab ipſo tentatore portati, & tranſlati fuiſtis, ibique in communi Sinagoga plurimorum *Maleficorum*, Sortilegorum, Hæreticorum, Faſcinariorum, cultorumq; Dæmonũ, accenſo igne tetro, poſt multas iubilationes, ſaltationes, comeſſationes, compotationes, & ludos in honorem ipſius pręſidentis Beelzebub Principis dęmoniorum, in formam, & ſpeciem fœdiſſimi, & nigerrimi hirci immutati, vt Deum re, & verbis adoraſtis, & ad illum complicatis genibus ſupplices acceſſiſtis, & candelas piceas accenſas obtuliſtis: & illius fœdiſſimum, ac turpiſſimum

Apoſtaſia cõſummata.

Transfugium.

Sacrilegium.

Lignũ ſub cruribus poſitum.

Idolatria perfecta.

anum

anum (proh pudor) ſumma cum reuerentia ore ſacrilego deoſculati eſtis: illumq; ſub veri Dei nomine inuocaſtis, ac illius auxilium: Et pro vindicta in omnes vobis, vel infenſos, uel petita denegantes exercendo efflagitaſtis: atq; ab ipſo edocti, vindictas, Maleficia, faſcinationes, tum in humanas creaturas, tum etiam in animalia exercuiſtis: atq; homicidia infantium quamplurima commiſiſtis, imprecationes, ablactationes, tabes, & alios grauiſſimos morbos ope iam dicti Sathanę immiſiſtis: infanteſque per uos, nonnullis etiam ſcientibus tantum, & annuentibus arte iam dicta malefica oppreſſos, confoſſos, & interfectos fuiſſe, ac demũ in cimiterio ſepultos noctu, & clam exhumaſtis, & in ſinagogam prędictam, faſcinariorum collegium portaſtis. Deniq; dęmoniorum Principi in ſolio ſedenti obtuliſtis detracta, & uobis conſeruata piguedine, capite, manibus, & pedibus abſciſſis, trumcumq; decoqui, & elixari, & interdum aſſari curaſtis, iubenteque, ac mandante pręfato patre ueſtro comediſtis, & damnabiliter deuoraſtis. Mala deniq; malis addendo, uos uiri cum ſuccubis; uos mulieres cum incubis fornicati eſtis: ſodomiam ueram, & nefandiſſimum crimẽ miſere cum illi tactu frigidiſſimo exercuiſtis, & quod etiam deteſtabiliſſimum eſt, auguſtiſſimum Euchariſtię ſacramentum per uos in Eccleſia ſancta Dei, aliquando ſumptũ, iam dicti Serpentis à Paradiſo eiecti pręcepto in ore retinuiſtis; illudq; in terram nefariè expuiſtis, ut cum maiori omnis contumelię, impietatis, & contemptus ſpem, Deum noſtrum uerum, & ſanctum dehoneſtaretis, ipſum uerò Diabolum, eiuſq; gloriam, honorem, triumphum, & regnum promoueretis, atq; omni honore, laudibus, dignitate, authoritate, & adoratione honoraretis, decoraretis, & honeſtaretis. Quæ omnia grauiſſima, horrendiſſima, & nefandiſſima, ſunt directè in omnipotentis Dei omnium creatoris contumeliam, & iniuriam: quam ob cauſam: Nos Frater Florus &c.

Vindicta in homines, & alia animalia.

Sepulcrorum violatio.

Fornicatio.

Sodomia vera.

Sacrilegiũ.

De purgatione vulgari per ignem. Cap. XXII.

Doctrina.

FVit aliquando hæc purgatio tribus modis: per rogum, per prunas: & per ferrum candens, & ſic innocentia probabatur; ſi illæſus quis abiret. De ferro candente extat nunc mos apud Iaponicos, vt docent litteræ miſſæ anno 1595. à P. Luyſio Froes Ieſuita, quę

poſtea

poſtea fuerunt impreſsè Moguntiæ anno 1598. In Francia vetuſtis temporibus licita tantum fuit in cauſis ſæcularibus, vt colligitur ex Epiſt. Iuonis. *a* Inuenio ferrum iſtud ignitum vocari (iudicium) quod nomen arbitror commune fuiſſe inſtrumentis omnibus harum vulgarium probationum, vt notat Petrus Loyevr. *b* Meminere huius variæ leges Septentrionalium, omnes occupata à Barbaris Italia, & Gallijs latæ, apud Radeuicum *c* fit mentio legis militaris, qua ſeruus non deprehenſus in furto, ſed accuſatus iubebatur vel Domini iuramento, vel igniti ferri iudicio ſe expurgare. Leges Francicæ, & Longobardicæ iubebant per nouem vomeres ignitos, homicidij accuſatũ ſe expurgare. *d*

In Concilio Triburenſi docemur *e* hanc probationem in Germania non fuiſſe nobilium, quibus iuratoria duodecim ingenuorum conteſtatio ſufficiebat: ſed ignobilium. Verum hiſtoriæ teſtantur etiam nobiles eam ſæpe ſubiuiſſe, aliquando per laminã, aliquando per chirotecam, aliquando aliter. Anno 1215. vel circiter *f* Conradus Marpurgius Inquiſitor Apoſtolicus, ſi accuſati de hæreſi negabant, iudicio ferri candentis experiebatur, & ſi cõburebantur, eos porrò committebat rogo, quod ſi factum fuit, contra Canones ab illo perperam factum. Iam enim id Stephanus quintus prohibuerat.

a 91. & 251.

b Libr. 2, de ſpectris cap. 7.

c lib. 1. rerum Frideric. cap. 26.

d Lõbardi lib. 1. titu. 11. de parricid. Frãcia lex lib. 4. cap. 56.

e cap. Nobilis 2. q. 4.

f Tritem. in chron. cap. 22.

Exempla.

FVerat in Ciuitate Omuræ Chriſtianus quidam degens inter ethnicos, accuſatus furti, & quia hoc crimen ſeueriſſimè caſtigatur in Iaponia; ſic vt de eo quantumuis minimo conuictus morte cum nulla ſpe veniæ mulctetur, nec tamen poſſent hunc Chriſtianum verè conuincere; ecce mox gentiles eum obſident, & dum aliud non poſſunt importunè compellunt, vt ritu ipſis conſueto edat iuramentum, quod erat, vt in folio cartæ ſubſcripto ſcriberet quod erat iurandum, deinde folio in palmam manus depoſito imponeret ferrum candens, manumque conſtringendo, in ſuum caput vindictam, & iram Chamis imprecaretur, ſi obiecti criminis reus foret, quòd ſi manus fortè comburatur, aiunt experientia probatum eum noxæ eſſe reum, ſi verò a læſione cum folio maneat immunis, eſſe innoxium. Cum igitur hic Chriſtianus in has anguſtias adductus eſſet, quippe, vel iurandum illi erat, vel repudiato iuramento, quo ſe reum faciebat, vitæ diſcrimen adeundum, innocentiæ ſuę confiſus dixit; fas ſibi non eſſe tãquam Chriſtiano, per falſum Chamis iurare, ſed tantùm per ve-

Pater Froes ſuperiꝰ citatus.

rum Deum: conſentiunt Gentiles, vt per ſuum Deum iuret. Ille ergo ſigno crucis in folio expreſſo ferroq; candenti impoſito, quia id facere cogebatur, magna animi confidentia ferrum manu cōſtrinxit, ſingulare miraculum, nec manus, nec folium comburitur, itaque non ſolum ſolutus eſt pœna, quam gentiles illi minabantur, verum etiam culpa, quam falſo illi impingebant.

Otho Tertius Imperator vxorem habuit Mariam nomine, lubrica fide, & conſcientia nulla: Hæc vt noua Phædra Comitem Mutinenſem in amplexus trahere conata, repulſam vertit in furorem, & odio eius, quem impotenter amarat, inflammata, crimen ſuum in innocentem reflectit: nec latuit dolus Comitem: hinc amor in Imperttorem; inde vrgebat honor proprius: ceſſit honor amori, quia Cæſaris honorem vitæ ſuæ præponebat, coniugi tamen ſuæ mulieri prudentiſſimæ, & quod rarum, forti, conatus Auguſtæ, reſponſum ſuum: calumnias illius, periculum ſuum aperuit, decretumque ſibi dixit, mille mortes oppetere potius acerbiſſimas, quam tantum Imperatoris ſui, de incontinentia, & perfidia Auguſtæ natum, dedecus in lucem proferat, proinde illam, ſe, ſi quid de ipſa bene vnquam meruerit, obteſtari, virili conſtantia ſexus, & coniugij oblita, ſententiam, quæ impendebat, mortis ignominioſæ, vt perferret, ſe necato Coniugis animum, & memoriam reſumeret, & animo imperterrito, nomen Mariti ab ignominia liberaret. Non diu poſt Comes culpam Auguſtæ ſuo capite luit, creduli Proeti iudicio condemnatus. Conuentu deinde Imperiali apud Roncalias inſtituto, quo die Viduis ius dicebatur, mulier prodit, & coram conſeſſu ex lege Imperatorem ad talionis pœnam vocauit, eò quod maritum ſuum iniuſtè de medio ſuſtuliſſet. Otho admirabundus, at tu, quo nam pacto, ait, viri tui, quam oſtentas innocentiam comprobabis? Cādenti lamina, reſpondit. Adfertur Imperatoris iuſſu ferrum bene ignitum, adlatam vidua ſine noxa cunctis intuentibus apprehendit manu, & tenuit. Externauit miraculum Imperatorem, adeo vt, ſe quidem ſupplicijs dignum profiteretur, ſed moram poſceret ſubeundi.

Triplex vadimonium differo (reſpond. illa) Reginæ ſuppliciū ſolùm poſco, cuius nefaria calumnia, me Marito, te fidiſſimo milite; Rempublicam Ciue ſtrenuo ſpoliauit. Cunctis æquiſſimum viſa petere Auguſtus eam collaudat, & pro dilatis ſibi vadimonijs, quatuor in Etruria caſtris donat. Auguſtam verò, quæ Veneris igne male arſerat, carnificis manu in rogum coniectam, iuſtis flammis abſumi iuſſit.

In Saxoniæ oppido Vuitemburgo, excitati incendij publici crimen, impactum fuit cuidam; ille, & iureiurando, & iudicio incendij ſe innocentem probauit: Cum enim longo itinere ferrum candens manu tuliſſet, illudq; illæſus in terram deieciſſet, ecce ferrum omnium oculis fugit, ſed eo fermè exacto anno, cum quidã alius, qui incendij conſcius erat, ſilicibus viam publicam in oppido pauiret, ferrum in arenam abditum prodit, manumq; validè comburit, mirantur omnes, & ferrum illud recognoſcunt, & reum ad iudicem adducunt, qui quæſtione admota, verum confeſſus eſt, & cruribus fractis noxius rotæ impoſitus eſt. Crancius lib. 8. Vandal. cap. 30. Gothfrid. Viterb. in Chro. Crãcius lib. 4. Saxon. cap. 26.

Aliud æque mirandum apud Cæſarium, his verbis deſcriptum. Referre ſolet Dominus Bernardus de Lippia quandoque Abbas, nouiſſe ſe piſcatorem in Epiſcopatu Traiectenſi, qui cum quadã fœmina multo tempore fuerat fornicatus, & quia eius peccatum nimis erat notorium, tempore quodam in ſynodo imminenti accuſari timens, ſtatim ad ſacerdotem veniens, magis, vt poſt patuit, timore pœnæ, quàm amore iuſtitiæ, peccatum confeſſus eſt, conſilium quæſiuit, & inuenit: ſi habes, ait Sacerdos, firmum propoſitum nunquam peccandi cum illa, candens ferrum ſecurè poteris portare, ipſumq; peccatum negare, ſpero autem quòd virtus confeſſionis liberabit te, quod ita factum eſt cunctis ſtupentibus, quibus factum innotuerat, læſus tamen ab igne non fuit, ſed cum poſtea peccati iterandi in recidiuam voluntatem incidiſſet, & gloriaretur ſe non magis aduſtum fuiſſe à ferro illo candenti, quam ab aqua fluminis in quo tum nauigabat àquam quam manu hauriret, candentis ferri vicem egit aqua algida, & manum aduſit, pelle tota detracta. Lib. 10. c. 35.

Idem narrat in hoc capite de quodam peſſimo hypocrita, qui peregrinationis pallio ſcelera contegebat, is ab alio quodam nefario homine numis conductus, hoſpitis à quo benignè habitus eſt, ædes incendio conſumpſerat, bis exceptus, bis pro gratia incendium immiſſit. Territus Dominus multos detulit, de quibus ſuſpicabatur, qui omnes expertes culpæ candenti ferro illæſi ſe expurgarunt: Domo tertio ædificata, ferrum in quodam domus angulo abiectum iacebat: venit poſt aliquod tempus pſeudo viator, ille tertio humanè excipitur, videt ferrum, rogat, cui vſui? audit ab hoſpite, quid illo! actum, quin, inquit, illo deinceps ad alios vſus vteris, ne iaceat otioſum? ſimul manu apprehendit, ſed illud repente incaluit, & manum validè aduſſit: ille cum eiulatu abijcit, hoſpes admiratione perculſus merito ſuſpi-

catur hunc bis exuſtarum ædium reum, Ergo comprehenſum ſiſtit iudici. Iudex æquuleo iubet torqueri, ipſe confeſſus omnia in rotam conijcitur. Tam admiranda ſunt Dei iudicia.

lib. 2. Norueg. c. 27. Aliud adſcribam ex vrna fœcunda Cæſarij. Rollo Normanorum Dux, qui Robertus poſtea vocatus eſt, nouerat ſuos in latrocinia, furta, rapinaſq; propendere, idcirco ſeueras de his leges tulit, quarum metu pollicens ſibi omnium ſecuritatem, iuſſit Ruſticos intrepidè Ruſticani operis inſtrumenta in agris relinquere. Quidam ex agricolis domum reuerſus, ab importuna vxore rogatus, cur inſtrumenta non apportaret, Ducis præceptum obiecit, at illa furtim ex agro inſtrumenta ſubduxit, & abſcondit vt maritum redderet cautiorem: reuerſus vir in agrum, vbi non reperit quæ reliquerat, rem ad loci præfectum defert, ille ad Ducem: vocatus à Duce ruſticus pretium accipit amiſſorum, iubetur Præfectus ignis purgatione adhibita furem explorare, primus conatus irritus fuit, nam ignis furem non prodidit, licet omnes Ruſtici ſubijſſent ſcrutinium. Tum Dux verſus ad Epiſcopum. Deus, inquit, Chriſtianorum, ſi eſt conſcius ſecretorum, cur furem non prodit? Epiſcopus adhuc non benè firmatum in religione non corripuit, ſed cauſam prætendit, quia ignis nondum furem attigiſſet, iubetur diligẽtius inquirere, Præfectus ẽt apud Vicinas illas inquirit Villas, nec quiſquam repertus eſt. Vocatus à Duce Ruſticus, an cui indicarit, rem in agro eſſe, rogatur, ille, nemini præterquam vxori dixiſſe reſp. Vxor quæſtionibus admota, furtum fatetur; tũ Dux marito, clam vocato, ſciebas, inquit, vxorem furacem eſſe, an non? ille, ſciebam, ait; cui Dux, cur ergo, aut non puniuiſti, aut non indicaſti? Ergo iuſſit ambos ſuſpendi, & hac ſeueritate legem ſanxit.

Greg. lib. de gloria Confeſſor cap. 14. Memoriæ etiam occurrit factum Catholici Hiſpani. Arianum Gottum tempore Leouigildi ad probationem ignis prouocantis; cum enim verbis & rationibus nihil proficeret; eſt, ait, digito meo annulus aureus, ego eum in ignem iaceo, tu candentem collige: proiectumq; inter prunas annulum, ita igniri permiſit, vt ei ſimilis cerneretur, conuerſuſque ad hæreticum, ait; ſi vera eſt proſequutio tua ſume eum ab igne, illo autem reſiſtente, ait. Immenſa Trinitas Deus, ſi quid indignum te credo, oſtende, certè ſi recta eſt fides mea, nihil mihi præualebunt hæc ſæua incendia, & ablatum ab igne annulum, diutiſſimè palma ſuſtinuit, & nihil nocuit. Hæc non fuit iudiciaria inquiſitio, ſed conteſtatio veræ, ac ſinceræ fidei.

Legimus de Roberto Cantuarienſi Epiſcopo, cum Regi Eduardo

do perſuaſiſſet, vt Emmam matrem adigeret, ob ſuſpicionem ſtupri cum Aduino Vintonienſi Epiſcopo, commiſſi, ad hunc ſe modum expurgaret, & ea igne maneret illæſa, timore correptam, incontinentem ex Anglia fugiſſe, ibique breui animi mærore contabuiſſe. Polidor. Virgil. lib. 2. hiſtor. Anglicar.

In vita B. Ioannis Elemoſinarij menſe Iunij legitur, Leuntium cum ægrotaret, & præſentiret mortem appropinquantem coram plurimis iuſſiſſe adferri turribulum plenum candentibus carbonibus, & eos accepiſſe carbones, & infudiſſe in ſinum, & omnibus audientibus dixiſſe. Benedictus Deus, qui olim Rubum conſeruauit incombuſtum, is mihi ſit teſtis fidelis, quod quemadmodum meas veſtes non attigit, hæc quæ eſt in igne vrendi vis, ita nec ego attigi mulierem toto tempore vitæ meæ.

Idem iudicium in Gallia ſubiuit B. Briccius, B. *Martini* in ſede Turonenſi ſucceſſor: hunc enim populus reum agebat ſtupri cum muliere Religioſæ profeſſionis commiſſi, quæ linteamina Epiſcopi lauare ſolita erat, & ex aliquo improbo pepererat. Briccius iuſſit ipſum infantem nondum menſtruum in medium adduci, & coram populo interrogauit, num ipſe pater eius foret? Reſp. infans, eum non eſſe, ſed alium, quem non nominauit. Fiebant hæc virtute Diuina, ſed plebs dæmonis operæ adſcribebat, prunis itaq; ardentibus biretum implet Briccius, & tota defert vrbe illæſus, ſe ſic à libidinis carnalis flagitio alienum profeſſus, quemadmodum flammis veſtimentum intactum.

Petrus Maſſilienſis Presbyter ſuſpectus de hæreſi Antiochię ipſo die paraſceues, ſacroſanctam Chriſti Domini Lanceam geſtans manu, nudus corpore, per congeriem latam lignorum ardentem, medioſque ignes illæſus euaſit.

Poppo Danus Presbyter in fidei Chriſtianæ probationem veſtem prius cera copioſa illeuit, eamq; indutus in medio populi circulo ſic ſe in flammam intulit, & perſtitit ſine vllo doloris ſenſu (quod ſanctè affirmabat) donec veſtis tota corpori circumfuſa, intacta flammis cute in fauillas redigeretur, eo permoto miraculo Dani, duelli purgatione ſublata, ignis purgationem introduxerunt. Paulus Emil. hiſt. franc. lib. 4. Crantzius lib. 3. metrop. c. 43.

A Theodoro Lectore hiſtoria refertur huiuſmodi. Tempore Martiani duos Epiſcopos, vnum catholicum, Arianum alterum, principio verbis diſputaſſe de fidei dogmate controuerſo, deinde catholicum conditionem concertatori propoſuiſſe, vt vanis diſceptationibus prætermiſſis, rogum ignis ſecum ingrederetur, & fidei ſuæ veritatem vterque hoc indicio Deo comprobaret teſte,

denique

denique Arianum detrectaſſe ingredi, Orthodoxum nihil moratum, ingreſſumq; ex ipſo rogo multis diſſeruiſſe, & nec minimum vſtulatum egreſſum fuiſſe, vera narratio, ſed res non ſub Martiano, vt aiunt aliqui, ſed ſub Anaſtaſio accidit, vt melius à Cedreno, & Nicephoro proditum eſt. lib.15. cap. 23.

Petrus Archiepiſcopus Florentinus, accuſatus ſymoniæ, quòd pecunia dignitate potitus eſſet, cõſtituto publico die purgationis per ignem. In publico duæ lignorum ſtrues, longitudinis decem pedum, latitudinis quinque, altitudinis quatuor cum dimidio factæ ſunt: inter vtraſque ſemita erat latitudinis vnius brachij ardentibus prunis ſtrata. Facto ipſo die ſacro, & inuocato Dei auxilio ad eius innocentiam demonſtrandam ingreditur per medios ignium globos, flamma in altum aſcendente, calcatq; ardentes prunas, quæ erant in via, inter lignorum ſtrues accenſas, & cum vellet per eaſdem flammas reuerti, neque corpori, neque veſtimentis vllo aduſtionis ſigno inhærente, à populo retinetur, illæſuſque egreditur, & ſic populus edoctus fuit rei veritatem. Vide quam mirabilis Deus in ſanctis ſuis.

Guicciar. lib. 3. & Volater. in antrop. cũ ijs quæ phii comineus libr. 8. hiſtor. c. 19. qui tempore illo vixit. Lib. 3. miracul. cap. 16. & 17.

Cæſarius Ciſtercienſis hæc refert. In Cameraco Ciuitate Epiſcopali infra quinquennium hoc plures hęretici comprehẽſi ſunt, qui omnes timore mortis ſuam perfidiam negauerunt. Miſſus eſt ab Epiſcopo Clericus, qui negantes per candens ferrum examinaret, aduſtos hæreticos eſſe ſententiaret, examinati ſunt omnes, & omnes combuſti ſunt, qui cum traherentur ad pœnam, vnus ex eis nobilis ſanguine referuatur à Clerico ad vitam, ſi fortè illum quoquo modo reducere poſſet ad pœnitentiam, cui ſic dixit. Homo nobilis es, miſereor tui, & compatior animæ tuæ, rogo, & moneo, vt adhuc de tanta perfidia reſcipiſcas, & de errore ad veritatem redeas, ne per mortem temporalem, æternam ne incurras mortem; ad hæc ille reſp. Experimento didici me erraſſe, ſi ſera pœnitentia mihi prodeſſe poſſet, non renuerem confiteri: cui cum ille diceret, pœnitentiam veram nunquam eſſe ſeram, vocauit Sacerdotem, confeſſus eſt homo errorem ſuum ex toto corde, Deo promittens, ſi vita concederetur ſatisfactionem. Vt autem pius Dominus vim odenderet confeſſionis, mox, vt pænitens cępit peccata ſua confiteri, cępit & ipſa combuſtura in manu pęnitentis paulatim minui, quę in tantum, & aſpiciente decreuit, in quantum confeſſio profecit: Medietate confeſſionis peracta, media pars plagę eſt ſanata, vt autem confeſſionem totam compleuit, & virtus ipſa confeſſionis combuſturam, tàm in colore, quàm in dolore deleuit, & manus priſtinam ſanitatem recepit. Vocatus eſt

vir

vir à iudice ad ignem, ad quem Clericus, quare eum vocatis? vt ardeat, inquit, eo quod in examinatione combuſtus ſit, tunc clericus oſtendens manum eius ſaniſſimam liberauit eum à pœnis, cęteris igne conſumptis.

Magiſter Conradus Abbati recenſuit ſequens exemplum, quod ante paucos annos apud Argentinam recordabatur accidiſſe.

Decem hęretici in eadem Ciuitate Argentinę, quę & Stranſburgh comprehenſi ſunt, qui cum negarent, per iudicium candētis ferri conuicti, ſententia incendij ſunt damnati. Die ſtatuto, cum ducerentur ad ignem, quidam ex comitantibus vni illorum dicebat, miſer damnatus es, age vel nunc pœnitentiam peccata tua confitendo, ne poſt incendia corporis, quę momentanea ſunt, animam tuam ignis gehennalis ęternaliter comburat, cui cum ille diceret conſidero quidem me erraſſe, ſed timeo pœnitentiam tantę neceſſitatis minus acceptam eſſe Deo, Reſpon. ex corde tantum confitere, Deus eſt miſericors, & pęnitentiam ſuſcipiet; mira res: mox enim, vt homo confeſſus eſt perfidiam, manus eius plenam accepit ſanitatem; tardante eo in confeſſione, cum à Iudice vocaretur ad pœnam Confeſſor eius Iudici reſpond. Non eſt iuſtū, vt homo innocens damnetur iniuſtè, in cuius manu dum nullum combuſtionis veſtigium reperiretur, dimiſſus eſt. Habebat idem homo vxorem non longè à Ciuitate, manentem, horum quę dicta ſunt prorſus ignaram, ad quam cum veniſſet gaudens, dixiſſetque Benedictus Deus, qui liberauit me hodie ab interitu corporis, & animæ, cauſam ei exponens, Reſpon. illa; quid feciſti ò miſerrime? quid egiſti? vt quid propter momentaneum dolorem receſſiſti à fide tua ſana, & ſancta? magis debueras ſi fieri poſſet centies corpus tuum incendijs ſubijcere, quàm à tam probata fide ſemel recedere: ſed quem non ſeducat vox ſerpentina? Immemor ille beneficij ſibi Diuinitus collati, immemor tam euidentis miraculi conſilio vxoris, acquieuit, & errorem priſtinum reſumpſit: Deus verò non immemor vindictæ pro tanta ingratitudine, manum plagauit vtriuſque, renouatum eſt incendium in manu hæretici, & quia coniux auctrix extitit reſumpti erroris, conſors facta eſt recidiuiui doloris. Tam vehemens erat incendium, vt oſſa manuū penetraret, & cum vti non auderent clamoribus in villa, quos vis extorſit doloris, fugerunt in nemus vicinum, illic vt lupi vlulantes, quid verbis immorer? proditi ſunt, in Ciuitatem reducti ſunt, ſimulq; in ignem nondum planè extinctum miſſi, & in cinerem redacti. Quid quæſo rei? an hæreſi flamma, quòd vmbra corpori?

Altero

Altero quoque ſtupendo planè euentu Deus comprobauit, & arreptitio vſus carnifice in hæretico puniendo, ſtet in ore duorum teſtium veritas, Bernardi, *a* videlicet Luxemburgi, & illius vetuſtioris Thomæ *b* Brabantini, cuius adſcribam verba. Erat circa Cameracum quidam hæreticus aſtutus valde, qui metuens inquiri, & comburi à fratribus prædicatorum ordinis, qui in dicta Ciuitate eo tempore plurimos comburebant, finxit ſe arreptum à dæmone, & ob hoc ad Sanctum Aicardum in Aſpera, obſeſſos curare potentem, ligatus ab amicis deductus eſt, vt in eo non hæreſim propalatam, ſed furiam putarent. Et vt audiuit quidam Clericus à Dæmone obſeſſus, & ligatus, quòd Eligius Boogris (ſic enim vocabatur hæreticus ille) poneretur in loco, ſubſequente nocte idem Clericus obſeſſus Diuino nutu ſolutus eſt, & aggregans mattas, & ſtramina, atque Eccleſiæ ſcamna ſuper ligatum hæreticum Eligium, cumulauit. Ludum autem, & furias credens ille diſſimulat quò ad vſque Clericus ignem de lampade ſumens, comburere hæreticum cœpit, & tunc hæreticus exclamauit, ad cuius vocem expergefacti cuſtodes, cum ignem extinguere niterentur, clericus arrepto gladio, quem caſu iuxta lectum inuenit, omnes violenter abegit, & hæreticum in igne conſumpſit, Nec mora, Diuino exacto iudicio, clericus à dæmone liberatus eſt, & planè ſoſpes apparuit.

a In Catha. hæreticorũ littera. c.
b Boni vniuerſalis lib. 2. cap. vlt.

Libr. 1. de gloria martyrũ c. 81.

Gregorius Turonenſis narrat hiſtoriam de Diacono catholico, cum presbytero Ariano diſputante, & ad fidei veritatem comprobandam ſic prouocante factis rei veritas approbetur. Succendatur ignis æneus & in feruenti aqua annulus alicuius proijciatur, qui verò eum ſuſtulerit ex vnda feruenti, ille iuſtitiam conſequi comprobetur. conditionem hæreticus accipit, interea Diaconus diffidentia quadam tentatus, vnguentis quibuſdam brachium, manumq; illinit, hæreticus negat periculum ſubire; cum Catholicus brachium liniret, hæreticus vidit vnguentis delibutum, exclamat aduerſarium magicis artibus, & præſidijs confidere, non fidei, oritur altercatio. His itaque litigantibus, ſuperuenit Diaconus alius ab Vrbe Rauenna, Hiacintus nomine, ſciſcitanſq; quæ nam eſſet illa altercatio, vt veritatem cognouit, nec moratus, extracto à veſtimentis brachio in æneum dextram mergit, annulus autem, qui iniectus fuerat erat valde leuis, ac paruulus, nec minus ferebatur ab vnda feruenti, quàm vento fieri poſſe palea, quem diu, multumque quæſitum infra vnius horæ ſpatium repetit, accendebatur interea vehementer ignis ſub dolio, quo validius feruens, non facilè poſſet aſſequi annulus à manu

quærentis,extractusq; tandem,nihil Diaconus ſenſit in carne ſua, ſed potius proteſtatur in imo eſſe frigidum æneum, in ſummitate verò calorem teporis modici continentem. Quod cernens hæreticus valde confuſus inijcit manum audax in æneo dicens præſtabit mihi hæc fides mea, iniecta manu protinus vſque ad oſſium internodia omnis caro liquefacta defluxit, & ſic altercatio finem accepit.

Sanctus Gingulfus Martyr periculum facit de corrupta fide impudicæ eius vxoris, & ad quendam fontem veniunt, ipſe, & vxor, & his vocibus vxorem compellat. Multa quidem de te coniux paſſim fœda, indigna natalibus tuis audio, & adhuc mihi quidem certo non conſtat, verè ne, an falſo illa dicantur. Tum illa, etiam intrepidè iurando falſos de ſe rumores vulgatos, ait, nec vnquam alieno concubitu pollutam. At Gingulfus, Diuina, inquit, prouidentia, quàm nihil fugit; vt ſe res habeat iam certis declarabit inditijs. En fons hic poſitus eſt, nec frigidus valde, nec immodicè calidus, in hunc igitur mitte manum, & è fundo lapillum extrahe, & ſi quidem à culpa es aliena nihil mali patieris, ſi autem polluta es, non ſinet Deus latere ſcelus tuum. Illa Sancti Viri, ſicut alios omnes, ita hos quoq; ſermones vecordiæ aſcribens, incunctanter manum iniecit in fontem. Ecce autem ſimul atq; lapillum ſecum retrahere conata eſt, membris ferè omnibus obrigeſcit, & in digitis, & brachio, quouſque aqua pertigit, abſtracta cute, nuda caro cernitur, nihilq; aliud miſera, niſi repentinum interitum expectat. Conuictam adulterij vxorem deſeruit, nec diu poſt vxoris hortatu ab Adultero occiſus fuit. Apud Surium 12. Maij.

De ſuperſtitioſis. Cap. XXIV.

Doctrina.

QVi parui faciunt diſcere ritus ſuperſtitioſos, & eos exercere, ſciant omnium ſuperſtitionum, & vanarum obſeruationum inuentorem eſſe Diabolum; qui principio mundi ſtatim in Idolatriam ferè totum genus humanum pellexit. Qui ergo ſuperſtitioſas obſeruationes colunt, & amant, docent ſe non Chriſti, ſed diaboli diſcipulos eſſe, & eius magiſterium amare; in eius ludo doctos eſſe, & alienos à doctrina Eccleſiæ Catholicæ. Sed mirum eſt aliquem poſſe his præſtigijs ſe dare, qui norit exitum inſælicem Magorum, & præſtigiatorum. Inuentor

Magiæ, clam, ſeu Zoroaſter, fuit tandem ab ipſo Dæmone, quem importunius ſollicitabat: igne ſuccenſus, & concrematus, teſte Clem. in lib. recognit. De Simone Mago notiſſima res eſt, quòd in aerem à dæmonibus ſublatus, præcipiatuſque, fractis cruribus cum ignominia, & dolore interierit; Henricus Cornelius Agrippa iam moriturus, à ſe canem ſuum Paredrium abegit, cum hoc dicto; Abi mala beſtia, tu me perdidiſti. Ioannis Portantij obitus in Antuerpienſi carcere qualis fuerit, norunt Ciues, apud Guilielmum Tirium, *a* duo *Magi* volentes *Machinas* Chriſtianorum incantare, primi illis interfecti.

a Libro 8. belli ſacri cap. 15.

Zito nobilis ille præſtigiator *b* ad extremum à diabolo viuens, cum corpore, & anima de medio hominum fuit ſublatus. Ioannes Fauſtus famoſus Magus his temporibus in Germania, tandem à Cacodæmone lecto extractus noctu, & ſtrangulatus, inuerſa in tergum facie, domoque tota concuſſa, & penè euerſa, vt ſcribunt Camerarius, & alij: Franciſcus Picus, *c* author eſt ex relatione ſociorum, qui adfuerant, Magum quendam à dæmone viuum ablatum, nuſquam vnquam comparuiſſe. Et Scotus Parmenſis in Germania, noſtris temporibus, obtorto à dæmone collo in diuerſorio, miſerrimè interijt.

b Apud Dubrauiũ libro 23. hiſt. Bohe.

c libro 5. de prænotat.

Exempla.

Ex Abbate Spãckemenſi iſagog. de dæmonibus ſublunaribus.

REfert Georgio Pictorius, ſubulcum quendam fuiſſe, qui in ſcipione ſuo paſtorali ſchedulam nomini Sancti Blaſij inſcriptam habebat, cuius baculi vi, & potentia porcos ſuos, ab omni luporum vi, & raptu tutos credebat, ac tantum ſchedulæ numinis tribuerat, vt etiam porcos in agris ſolos paſcendos abigeret. Tamen contingente quodam tempore, cum gregi paſtor abeſſet, & quidam præteriens dæmonem cuſtodire vidiſſet, ac illi dixiſſet, quid ipſe hic cuſtodiret, qui hominum ſalutis perſequutor eſſet peſſimus? Reſpondit, porcos cuſtodio: retulit alter, cuius iuſſu? ait dæmon, ſtultæ paſtoris confidentiæ, nam ſchedulam quandam ſuo bacillo incluſit, cui Diuinam aſcribit virtutem, vel inde, quòd Sancti Blaſij nomine eſt inſcripta, & eam porcos ſuos à luporum iniuria defendere, contra legem ſuam credit, mihi falſa ſuperſtitione inhærens: vbi cum per me fuiſſet vocatus, & denuo vocatus, & non comparuiſſet, me Sancti Blaſij vice huc cuſtodiendum contuli, vt enim ſemper libens Dei, & ſanctorum vices gero, ita & nunc libentiſſimè pro ſuo Sancto Blaſio illi porcos cuſtodio, vt ſtultum hominem in ſua vana confidentia extol-

lam,

lam, ae roborem, & eò perducam, vt talem ſchedulam pluriſquam Deum faciat.

Scribit Lucianus in Philopſeude, de quodam Encrate quòd cum vidiſſet Pancratem quendam *Magum* Aegyptium multa facientem, mira ſe paulatim in eius amicitiam inſinuaſſe, adeò vt omnia ei propemodum arcana communicaret. Tandem autem Magum hunc perſuaſiſſe ei, vt omnibus famulis in Memphi derelictis, ſe ſolus conſequeretur, neque enim defuturos miniſtros, atq; ex eo tempore, inquit, ſic vitam duximus. Cum in diuerſorium quodpiam veniſſemus, homo accepto piſtillo ſcopinavè, aut peſſulo veſtibus implicans, cum in id carmen quoddam dixiſſet, effecit, vt ambularet, atque alijs omnibus homo videretur. Illud ergo abiens, & aquam hauriebat, & cœnam parabat, inſtruebatque, atque in omnibus commodè ſubſeruiebat miniſtrabatq; nobis, deinde vbi iam ſatis huius miniſterij fuit, ſcobinam rurſus ſcobinam, ac peſſulum, peſſulum, aliud recitans carmen reddebat. Hoc ego vehementer conatus, non inueniebam, quo pacto ex illo expiſcarer, nam id mihi inuidebat, quamuis eſſet in alijs facillimus, & quadam die in angulo quodam ſub obſcuro delitescens, clam ab illo ſubauſcultaui propius incantationem illam, erat autem triſillaba, tum ille cum piſtillo mandaſſet, quæ curanda erant, abijt in forum, at ego poſtridie, illo apud forum occupato, acceptum piſtillum, cum ornaſſem ſyllabas illas ſimili modo pronuncians, aquam, iuſſi vt hauriret, tum impletam amphoram cum tuliſſet, deſiſte inquam, nec amplius aquam haurito, ſed rurſus eſto piſtillum, at illud mihi amplius obtemperare nolebat, ſed aquam hauriebat continuo, quoad hauriendo totam domum nobis impleret. At ego cum reſiſtere huic non valerem (timebam autem ne Pancrates reuerſus, quòd etiam euenit iraſceretur) correpta ſecuri piſtillum in duas partes diſſero, & vtraque pars amphoram ſumens hauriebat aquam, iamq; vnius loco duo miniſtri mihi eſſe cœperant. Interea Pancrates ſuperuenit, ac re intellecta, huiuſmodi miniſtris in ligna rurſus, quemadmodum ante carmen erant, mutauit, & ipſe me relicto clamculum, neſcio quo ſe ſubducens, abijt. Vides hic curioſitatem ferè cauſam fuiſſe, vt aquis ſubmergeretur.

Accipe alterum de ijs, quibus periculum præſentaneum fuit, ut ſe ipſos denaſarent. Philippus Camerarius ſic ſcribit. Cum aliquando Joannes Fauſtus apud notos quoſdam eſſet, qui de ipſius præſtigiatricibus multa audiuerant, ij petierunt ab eo, vt aliquod ſpecimen ſuæ Magiæ exhiberet. Hoc cum diu recuſaſſet, Lib. operæ ſucceſsiuæ c. 70.

tandem importunitate ſodalitij neutiquam ſobrij victus promiſit, ſe illis exhibiturum quodcunque expeterent. Vnanimi itaque conſenſu petierunt, vt exhiberet illis vitem plenam vuis maturis, putabant autem propter alienum anni tempus (erat enim circa brumam) hoc illum præſtare nullo modo poſſe. Aſſenſit Fauſtus, iam iam in menſa conſpectum iri quod expeterent, ſed hac conditione, vt omnes magno ſilentio immoti præſtolarentur, donec illos iuberet vuas decerpere, ſi ſecus facerent, inſtare illis periculum capitis; hoc cum ſe facturos promiſiſſent, mox ludibrijs ſuis huic ebriæ turbæ ita oculos, & ſenſus præſtrinxit, vt illis tot vuæ miræ magnitudinis, & ſucci plenæ in vite pulcherrima apparerent, quot ipſorum adeſſent. Rei itaque nouitate cupidi, & ex crapula ſitibundi, ſumptis ſuis cultellis expectabant, vt illos iuberet reſcindere vuas. Tandem cum iſtos leuiculos aliquandiu ſuſpenſos, in ipſorum vaniſſimo errore tenuiſſet, ſubito in fumum abeunte vite cum ſuis vuis, conſpecti ſunt ſinguli tenentes loco vuę, quam vnuſquiſque apprehendiſſe videbatur, ſuum naſum, appoſito supernè cultello, ita vt ſi immemor præcepti dati vuas ſecare voluiſſet, ſe ipſum naſo mutilaſſet.

Finis Secundi Libri.

COMPENDII MALEFICARVM.

LIBER TERTIVS.

In quo agitur de Remedijs Diuinis, & naturalibus contra vexatos, & de nonnullis quibuſdam alijs.

An liceat tollere Maleficium ratione curandi maleficiatum. Cap. I.

Doctrina.

MAleficium eſt Magiæ ſpecies, qua quis ope dęmonis alteri damnum parat. *a* Signa autem maleficij voco, ollas, ligamina, clauſtra, plumas, leberides, & cætera ſimilia, quæ ex pacto cum Dæmone inito, Magus adhibuit, vt aliquis maleficio lædatur. Pactum verò eſſe ſolet, vt quandiu ligula ſic nodata fuerit, vel tale quid ſub limine defoſſum, vel ſera clauſa, manſerint, tandiu talis perſona ſit maleficiata, aut moriatur, qui in tali loco erit, aut intrabit, vel exibit, & huiuſmodi. Quare quæritur, vtrum liceat aperiendo clauſtrum, comburendo capillorum glomum, ſoluendo ligulæ nodum, vel effodiendo ollam, & exurendo, quæ in illa habentur, aut ſimilia remouendo, perden-

a Extra de frigid. & maleficiatis.

perdendoq; maleficium deſtruere, & liberare maleficiatum; ad quod determinandum, vt paucis rem abſoluam, dico quòd Henricus Gandenſis. *b* habet hæc verba. Catholicum eſt deſtruere opus ſuperſtitioſum Diaboli, & in hoc ei contrariari, & ſic dico, quòd licitum eſt maleficium deponere ſimpliciter, quemadmodũ eſt licitum Idolum in cloacam proijcere. Scotus, *a* etiam ait, ſi per orationes ſanctorum impediatur virtus Dæmonis, bene fit: ſi tamen Deus illas non exaudiat, tunc ſi ſciretur maleficium, & deſtrueretur, Dæmon non fatigaret eum amplius, quia ex pacto non aſſiſtit, niſi dum durat aliquod ſignum: ideo non ſolum licet tollere, ſed eſt meritorium deſtruere opera Diaboli, nec in hoc eſt aliqua infidelitas, quia deſtruens non aquieſcit operibus maligni, & deſtructio talis ſigni imponit finem tali vexationi.

b Quodli. 5.q.33.

a In 4. ſent. d. 34.



Vides à Scoto hoc meritorium cenſeri, quem eius diſcipuli ad vnum ſequuntur, vt Ioannes de Baſſolis, *a* qui addit expreſsè meritorium eſſe, ſi fiat cum intentione curandi. Idem affirmat Antonius Andreas, *b* Ioſephus Angles. *c* Sic Alphonſus à Caſtro. *d* Eſt etiam hæc ſententia communis Thomiſtarum, vt Caiet. *e* vbi ait, duobus modis contingit maleficium à maleficis ſolui. primo per ſimplicem deſtructionem maleficij prius facti, vt puta, diſſoluendo ligaturam capillorum cum annulo ligneo &c., & hoc abſq; dubio licitum eſt, nec opus malefici, vt maleficus eſt, ſed hominis ſcientis impedimentum boni proximi ſui, quia nulla hic euenit inuocatio diaboli, ſed ſola diſſolutio ſigni, quo durante diabolus

a qu. 4. ſt. 1.
b In 4. diſt. 34.
c in 4 q. 3.
d lib. 1. de iuſt. heret. punit. cap. 15.
e tract. 12 tom. 1.

ſtatue-

ſtatuerat malum alterius continuare: deſtruere autem per inuocationem diaboli, ſeu per aliud maleficium, proculdubio hoc mortale eſt peccatum. hæc ille. Ecce quomodo Caietanus hoc definiuit, vt indubitatum. Dominicus Sotus f dicit nos poſſe maleficum rogare, & ab eo pecunia extorquere, vt ligaturas, quas habet ſepultas, aut ſuſpenſas, aut alicubi aſſeruatas, illinc dimoueat, quia illud maleficum facere, virtus eſt, & quicunq; ſciret, vbi ſunt, poſſet illas inde ſubtrahere, & idem aſſerit, meritorium hoc eſſe. Franciſcus Zamanrinus in Theſauro Sacerd. quem collegit g dicit, hoc non tantum licere, ſed quaſi neceſſarium, & rituale præſcribit, his verbis. Adiungo, quod illa oſſa, & pennæ inſertæ, vna cum alia, & multa, & quaſi infinita talia, quæ in lectis inueniuntur à diabolo deportata, ſicut clarè fuit deprehenſum, ſunt extrahenda, & igne comburenda, dum dicitur pſal. Exurgat Deus. Nec ſequenda eſt illa ſuperſtitio, quam vulgus ponit de mittendis rebus huiuſmodi inuentis ad fluuium currentem &c. vnde patet hanc eſſe ſententiam (vt alios multos authores omittam) communem Hiſpanorum, Italorum, Germanorum, Gallorum Britannorumq; Theologorum, Scolaſticorum, Scotiſtarum, & Thomiſtarum, ex quibus multi Cardinales, & Epiſcopi, & Magiſtri Sacri Palatij fuerunt, cæteri, dignitatibus alijs, aut eruditione ſaltem, & pietate conſpicui, Ecce ſimile, ad hoc ſpectans.

f In 4. diſt. 34. q. 1. ar. 3.

g p. p. tit. de exorc. c. 2. de maleficijs.

Si duo Reges ſic inter ſe paciſcantur, vt ſtante columna aliqua erecta, ipſi ſibi mutuò auxilium ferant, contra tertium Regem aliquem: Si tertius iſte pacti conſcius, vt illi deſinant, ipſum bello infeſtare, columnam illam deijciat, & demoliatur; non dicetur ille tertius propterea conſentire in illorum fœdus, neq; cum ipſis, vel eorum altero, qui fortè illum monuiſſet, pactum vel ſocietatem inire, Igitur, nec maleficiatus, dicendus eſt cum malefico, vel diabolo, ob id ſocietatem inire, quia deſtruit ſignum, quod illi pacti ſunt, vt à nocendo ceſſet diabolus, nec quidquam habet veri ſimilitudinis, quod reſpondent aliqui etiam, hunc tertium cum prioribus pactum inire, quia beneficium ab illis expectat, non enim apud Theologos, nec apud Iuriſconſultos inuenitur talis formula ſocietatis ineundæ: immò deſtruendo columnã illam, potius pactum prius initum inter duos ſoluitur, adimpleto termino: ſic etiam remoto ſigno, pactum diaboli, & malefici, conditione ſublata expirat, & ſoluitur.

Item, ſi quis cum hoſte paciſcatur, vt ſuſpenſa de muro flammula candida, accurrat, & portam occupet, vrbeq; potiatur. Tertius verò quiſpiam Ciuium id ſciat; nonne tollere licebit, immò,

merebi-

merebitur, ſi fecerit? quis quæſo illum proditoribus conſentirẽ dicat? rectè eſtimantes iudicabunt, illum pacta conuenta illorũ, non ſtabiliuiſſe, neq; approbaſſe, ſed dirripuiſſe. Ergo eadem ratione, qui reſcindit pactum diaboli, & malefici de olla, in perniтiem familiæ defoſa, & abſcondita: poterit illam tollere, & tollendo cenſetur alienus ab eorum pacto. Tollatur igitur tale diaboli, cum malefico pactum, impediatur, & diſſoluatur.

Exempla.

Anno 1589. Genuæ Adoleſcens quidam pius ex imprudenti aſpectu, ità effusè in amorem mulieris exarſit, vt Diuinum excluſerit. Mittebantur vltro, citroq; litterę furtiuę, & munera, idq; trimeſtri ſpatio, poſt quod is graui morbo afflictus decubuit. Mirum certè quam immundas ſordes, & varias ante ora aſtantium euomuerit, muliebres crines, ouium villos, linum, bombicen, crinales acus, & ſutorias, vnguium ſegmina, oſſium fragmina, & ferramentorũ non paruo numero, vnà cum ſanguine. Quidam hortatur eum, ne amplius illigari ſe patiatur amore peſtifero. Quærit deinde, numque eſſent ab ea munera, aut litteræ? litteras acceptas aiebat, ſed deinde laceratas, non credens ille, qui quærebat, admonet familiares, vt eius arcam ſcrutentur, & ſi quid ſit amatorium tollant; ea res cum ægro occulta voce quadam innotuiſſet, arcæ clauem horrendis clamoribus poſtulat, & acceptam eadem voce admonente, iniecit in os voraturus, niſi prohibitus fuiſſet, eam puluino ſupponit, oculorum vſum amittit, admonet mater, vt doctus malo reddat clauem, eam cum quærens non inueniret, furto ablatam credidit, tunc incipit magis vociferari, nec tamen reperta in toto lecto diligenter excuſſo, vi tandem cum arca eſſet reſerrata, duæ litteræ amatoriæ ſunt inuentæ, & igni traditæ ſunt, quo facto reſtitutus eſt ei ſenſus videndi, & clauis non ſine admiratione apparuit ante oculos quærentis expoſita. Melius interea habere cępit, & corpore, & animo, & paulo poſt ſanus omnino factus eſt. Facilè videt hic vnuſquiſq; litteras, maleficij ſignum fuiſſe, quod ne tolleretur, dæmonem conatum fuiſſe, eoq; ſublato, & combuſto, deſijſſe nocere.

Spren ger. p. 2. mallei. q. 1. c. 2. Comes quidam præclarus genere, Vueſtraſienſis Territorij in cõfinibus Argentinenſis Diœceſis, Iuuenculam ſimili genere præclaram duxit vxorem, quam tamen poſt celebratas nuptias, vſq; ad tertium annum carnaliter cognoſcere non potuit maleficiali impedimento, vt rei probauit euentus. Anxius, & quid ageret

ignorans,

ignorans,& ſanctos Dei iugiter interpellans; accidit, vt ad Ciuitatem Metenſem ob negotiorum quorundam expeditionem applicaret, in qua dum per vicos, & plateas ſeruis, & famulis vallatus incederet, quandam mulierem, quæ ante illos annos Concubina ſua fuerat, obuiam habuit, qua viſa dum ſuper maleficia ſibi illata minimè cogitaret, improuisè eam blandè ex amicitia contracta antiquitus alloquitur, & qualiter ſe haberet, vt valeret, inueſtigat; at illa cernens comitis pietatem, vice verſa de valetudine ſui corporis, & ſtatus diligenter inueſtigauit, quo reſpondente, quod benè, & proſperè cuncta ſibi ſuccederent, illa attonita paululum ſiluit, & Comes cernens illam attonitam, amplius verbis blandis eam aggreditur, ad collationem inuitando, at illa de ſtatu vxoris interrogando, ſimile reſponſum accipit, quòd bene in omnibus ſe haberet; tum illa an pueros generaſſet iam, inquiſiuit. Et Comes, tres mihi ait, ſunt pueri maſculi, quolibet anno vnum genuit. Tum magis illa ſtupefacta paululum ſiluit: & Comes, rogo te cariſſima, cur tam diligenter inquiris? indica, nec enim dubito, quin meæ fœlicitatis congratuleris. Tum illa, verè congratulor, ſed maledicatur vetula illa, quæ promiſit ſe velle corpus veſtrum maleficiare, vt carnalem actum cum vxore veſtra minimè haberetis, in cuius rei ſignum, puteus, qui eſt in medio curiæ veſtræ, continet in fundo ollam, certas res maleficiales continentem, quæ eadem de cauſa ibi fuit repoſita, vt quandiu ibidem contineretur, tandiu coeundi impotentia vobis adeſſet, ſed ecce omnia vana ſunt, de quibus gaudeo. Comes diu non diſtulit, domum regreſſus puteum exhauriri fecit, ollam repetit, & cuncta concremando, potentiam illam perditam ſubito recuperauit.

Martinus Delrio Ieſuita, ex Bellarminij publicis lectionibus iam per multos annos Louanij habitis contra ſententiam Heſelij, refellendo illam, narrat ſequentia his verbis. Concionator quidam Prædicatorum, quòd me puerum vidiſſe memini in Monte Policiano in quadrageſima, cum vellet concionari, loqui non potuit; accidit id ſecundò, & tertiò: videns non eſſe rem naturalem in concione tantum ſibi vocem præcludi, votum vouit Sanctę Agneti, quæ erat loci patrona, inuenitq; ſigna in ſuggeſtu, capillos inter ſe ligatos, & ſimilia, comburit ergo illa, & vox illi reſtituitur, & concionem poſtea habuit ad populum, vt prius; Hoc ſi peccatum fuiſſet, Deus à Concionatore inuocatus, eum non ſanaſſet, neque ſigna oſtendiſſet. Lib. 6. diſquiſit. magic. cap. 2. ſec. 1. quæſt. 3.

Narrat quidam author de presbytero quodam, qui cum peſſi-

mè maleficio eſſet affectus, plurimis menſibus lecto decubuit, nec innumera remedia à Medicis adhibita quidquam ei profuerunt: inuentis autem in lecto plurimis ſignis veneficis, & combuſtis quouis menſe, Luna reuoluta, alia, & alia diuerſa inſtrumenta reperiebantur, quibus ſemper igne conſumptis Dei auxilio, & Eccleſiaſticorum remediorum, tandem priſtinam ſanitatem adeptus eſt, & hoc fuit paucis ab hinc annis.

Lib. 1. de morbis venef. cap. 8.

Codronchus de filia ſua habet hæc verba. Franciſca filia mea decem menſes nata apud nutricem inſigni macie eſt affecta, ſæpe, ac ſæpius magna edebat ſuſpiria, & quando defaſciabatur ſemper plorabat, ægreque ſe ferebat defaſciari præter puerorum morem, qui quamuis ſint malè affecti, vel dolore aliquo detenti, cum faſciæ ſoluuntur, quieſcere, ac delectationem tunc capere conſueuerunt. Nulla inuenta cauſa præternaturalis effectus, nutriceque mutata, cum in deterius laberetur, ſubijt ſuſpicio matri, quòd cum eſſet puella venuſta admodum inuidentiæ cauſa, vel odio cuiuſdam vetulæ veneficio eſſe affectam. Quapropter culcitram inquirens nonnulla veneficij ſigna reperit, ciceres namq;, grana coriandorum, fruſtum carbonis, & oſſis defuncti, rem quãdam compactam incognitam, quam fieri ab improbis fœminis ex quibuſdam cum ſanguine menſtruo mixtis, retulit quidam peritus Exorciſta. Præterea quaſdam plumas, ita quibuſdam filis artificioſè inſertas, vt pileo, vt moris eſt applicari facilè poſſent, quibus omnibus igne benedicto combuſtis, & adhibitis per triduum exorciſmis, alijſq; nonnullis remedijs ſacris, cœpit melius ſe habere & carnem aſſumere, ita vt curatam fore exiſtimaremus, nihilominus tranſactis quibuſdam diebus, cum eſſet valde moroſa, & multum ploraret, eodem lectulo denuo explorato, inuenta ſunt nonnulla alia inſtrumenta, quibus combuſtis ſanitati reſtitui viſa eſt, attamen in plenilunio menſis, cum plorabunda noctem totam inſomnem duxiſſet, mane colore cinericio fuit affecta, & ita mutata facie ab ea, quæ veſperi erat, vt eſſet res lachrymis magis, quam admiratione digna: Explorato denuo lectulo inuenta ſunt fruſtula duo nucis ſiccæ, & albi oſſis, nouem vel decem oſſa piſcium, quæ erant fabricata inſtar pectinum, quibus capita pectuntur, cum quibuſdam corollis, mira arte, & varijs rebus paratis, quibus igni traditis, mutata domo, & pluribus alijs, & validioribus per Exorciſtam peritum adhibitis auxilijs, Dei beneficio abſque vllo remedio naturali conualuit.

Nobilis quidam in ſuburbanum profectus, ceruiſiariam quandam tabernam præteruectus equo inſidens, vidit nonnullos ſuos

de-

debitores: ſtatuit eoſdem admonere debiti, atque ni perſolutum, in ius vocaturum minatur, excuſant alij moras; alij quibus ingenium hominis mitè prorſus perſpectum eſſet, rogabant, aliquantulum temporis concederet, atq; inter hos prorupit quædam tortuo vultu vetula fixis in terram oculis, quæ calcitrantem, cui inſidebat equum admirata, ſicuti videbatur, rogat, quo nam pergat, atque interim monet, ne quid nimis equo ſuo confideret: ſubridẽs ille, & quid, ait, putas mihi incognitam huius equi indefeſſam virtutem, qui eo ad decem, & eò amplius milliaria citra vllam defatigationem, vti conſueuerim? reſpond. illa, vereri tamen ſe ne ferrendo ſit; Vir anilem eſſe fabulam ſuſpicatus, ſubdit equo calcaria, qui præter conſuetudinem iam primum admotum pigrior progreditur quidem ſed labaſcentibus quodammodo, ac titubantibus pedi[illegible]. Admiratus igitur hanc ſubitam equi debilitatem, domum redit, equum manu pedetentim ducens, accirique iubet ex tempore Veterinarium; is cum ſudore madentem videret equum, rogat, nunquid defatigatus fuerit, vtrum poſt diuturnam quietem ſubito extimulatus ad curſum, & num à concitatione curſu confeſtim biberit, & alia huiuſmodi, quæ iumentis morborum origo eſſe ſolent, & cum nullam euidentem cauſam ad morbi huius generationem facere animaduerteret, petit, vt ſuę fidei committatur equus, pollicetur interim, ſe ſuo non defuturũ officio, atque omnem moturum lapidem, vt cognito tandem morbo, eidem auxiliares adferat manus. Conceditur Veterinarij fidei equus, atque ab eodem in ſtabulum deducitur, vbi equus doloris vehementia exagitatus, pedibus humum ſcalpens, protinus in terram deuoluitur, crebra trahens ſuſpiria. Veterinarius conſilij penè inops animo voluens, quot quantiſque caſibus morboſis impetantur equi, venit illi in mentem eoſdem, aut propter empraxim, vt vocant, aut quoties ſuo tempore lotium non reddiderunt, grauiſſimis ſubiacere periculis, experiundum igitur cenſuit, num quòd vitium in ano, aut veſica eſſet: manum ergo ano ingerit, perſcrutaturus, num quæ materia in eo contineretur, quæ huiuſcemodi accidẽtia parere poſſet, conſueuerunt namque equi, quibus durior eſt aluus, & quorum anus ſybalis, quibuſdam præcluditur, ex qualibet cauſa volutari, ac ſudore perfundi, & cum nihil tale rèperiſſet, equi membrum genitale attrectare cœpit, quem manu eductum, uidit arctiſſime, atque intricatiſſimè colligatum eſſe; tentat igitur primum unguibus nodum diſſoluere, ſed fruſtra, nexuum enim capita, cum occulta eſſent, obliquiſq; in inuolucris uarie inter ſe abdita, ferro tantum diſſolui poterant, B. ldui. rōſcus medicæ venationis Epiſt. 59.

erat autem nodus hic malefica arte, ut ſuſpicantur omnes, contextus, ex canabis radicibus; in hoc gordium ſuperans nodum, quod hic ex cornu papiro plicabili, & in omnem partem flexili cõnexus eſſet, ille etiam ex ipſa radice dura, & ad complicationem repelli. Nodo igitur diſſoluto, proſilijt protinus equus, atque per lotium, maxima copia concreti ſanguinis reiecta, conualuit quidem, uerùm ita ut ad priſtinum illum uigorem ſuum nunquam redierit.

De ſortil. q. 8. num. 26. Refert Grillandus, fuiſſe Iuriſconſultum quendam in Sabinenſi agro coniugatum, ſed maleficio impotentem factum, cui nullius Medici ars poterat opitulari. Is magum conſulit, à quo iuſſus, ut ea nocte cum Coniuge dormiret, ſumpta quadam potione priuſquam decumberet ſedulo tantum caueret, ne nocte illa, uel uxor, uel ipſe ſigno ſe crucis communirent, nalis metuerēt ſi quid auribus, oculiſuè inſoliti obſeruaretur. Paruit Iuriſconſultus, & ad unguem cunctis obſeruatis quinta circiter hora noctis, ecce illi pluuiæ, procella, tonitrua, fulguraq; maxima, moxque adeò pauendi terremotus, ut concuſſa domus ab imò nutaret, non ſecus, ac arbor à uentis pénè euulſa; ſucceſſere hominum clamores magni, & eiulatus, cumque in eam partem maritus oculos coniecisſet, uidit in camera pluſquam mille, ut apparebat, ad inuicem certantes, & unguibus, pugnis, ac calcibus crudeliter pugnantes, & lacerantes alterius facies, ac ueſtimenta tota, inter quos uidit mulierem quandam, quæ erat alterius oppidi uicini, & dicebatur, quòd erat Malefica, de qua ipſe Sponſus multum ſuſpicabatur ne ab ea maleficiatus fuiſſet, quæ ultra omnes maioribus gemitibus, & ululatibus cruciabatur, & crines faciemque ſuam totam unguibus lacerauerat, propter quæ ipſe Maleficiatus dixit, quòd aliquantulum timuit à principio, uerens ne quid ſibi mali eueniret, deinde recordatus monitionum Magiſtri, reaſumpſit vires, vxorem verò ſemper tenuit ſub pannis abſconditam, ne iſta videret, poſtquam verò ita certauerant per mediam horam, vel circa, ingreſſus eſt Magiſter cameram prędictam, & erat tunc circa mediam noctem, ad cuius ingreſſum omnes illi pugnantes vnà cum muliere ſtatim diſparuerunt, & abierunt protinus, Magiſter autem acceſſit ad Maleficiatum, & illius humeros etigit manu perfricando aliquantulum, dicens, quòd non dubitaret an plius, quia iam liberatus erat, poſt cuius diſceſſum maritus conualuit, & deinceps liberis operam dare potuit. In hac narratione *Maleficus* ille coegit mulierem illam tollere, quod intulerat maleficium, immiſſis dæmonibus, qui ſic eam ſpecie pugnantium acerbiſſimè

crucia-

cruciarent. Sed hoc modo non licet tollere maleficium propter peccatum mortale, quod committitur, & præter peccatum, imminet ſatis periculi, quando inuocantur Dæmones, vt patet per ſequens.

Quidam per Magum iuſſerat inuocari Dæmones, vt in quadam ſpelunca ſubterranea, afferrent ſibi iuuenem quandam Amaſiam ſuam. Adfuit Dæmon in figura pulcherrimæ illius Amaſiæ, & cum ſtetiſſet in eius conſpectu, manibus ipſum Amatorem ſtrangulauit, fortiter contra parietem comprimendo, & accepto poſtea illo cadauere proiecit contra Magum tam fortiter, vt penè exanimis ſit factus.

Siffridus presbyter in Chron. ſuo anno. 1260. in Miſniæ.

De ſignis cognoſcendi Dæmoniacos. Cap. II.

PEcularia poſſeſſionis Dæmonum maleficio inducta ſigna ſunt cognitu difficilia, quando dæmon maleficio immiſſus immiſcet ſe ſubſtantiæ alicui immundæ aliunde in corpus ægri intromiſſæ, vel ex proprijs ægri humoribus genitæ: nam quandiu hæc ſubſtantia in aliqua corporis parte latitat, ſæpe, præter illius particulæ affectum naturalem functiones lædentem, nihil aliud ſe manifeſtat. Pleriſque tamen horum paruæ ſunt imaginationes, præcipuè in ſomnis, quæ dæmonem produnt, quod tamen indicium ſolum non ſufficit, quia hæc eadem Melancolicis accidere conſueuerunt. Spiritu autem locum mutante quem prius inſedit, res clarius deprehenditur, vt.

Si tamquam animatum quid corpus res illa perambulet, ita vt obſeſſi ſentiant ſibi veluti formicas ſub cute reptantes. 1

Si partes, quas petit quadam palpitatione commouet. 2

Si puncturis quibuſdam moleſtiam grauem infert. 3

Si velut flatus à capite ad pedes deſcendit, & iterum à pedibus ad caput aſcendens reſilit. 4

Si veſſicula in lingua excitetur, quæ confeſtim euaneſcat, vel plures appareant minutis granulis ſimiles, ex quibus etiam multitudo inhabitantium ſpirituum arguitur. 5

Si ad gulam dumtaxat aſcendens, eam tumefaciat, & ſiccam tuſſiculam excitet. 6

Si linguam petens, aut contorquens, inflat, vel impellit ad loquendum, non obſeſſi, ſed Dæmonis ipſius conceptus: vel ſi ingenti oris hiatu linguam exerat. 7

Si in dorſo ſenſum præbeat aquæ frigidiſſimæ quaſi confeſtim per dorſum deiuſæ, & ſurſum, ac deorſum percurrentis. 8

Certiora

9 Certiora adhuc ſunt ſigna quando alienis ægro incognitis linguis loquuntur, vel alios talia loquentes intelligunt, vel cũ rudes ſint, de arduis, & ſublimibus quæſtionibus diſſerunt, vel renunciant occulta, aut iam pridem oblita, futura, vel arcana conſcientiæ, vt peccata, imaginationesvè aſſiſtentium, vel eos conuitijs ſine cauſa prouocant, aut ita furijs agitantur, vt à multis validis hominibus nequeant ligari, vel coerceri.

10 Quidam narrant, ſe vocem cuiuſdam intra ipſos loquentis ſentire, ſed ſententiam verborum percipere non poſſe.

11 Alij ſi interrogentur quid egerint, vel dixerint, fatentur ſe nihil eorum poſtea meminiſſe.

12 Quidam cenſent ſignum eſſe indubitatum, & inſeparabile cum ægri arceantur à Diuino cultu, ita vt nullatenus aqua benedicta ſe ipſos aſpergere, neque audire, neque proferre Diuina verba queant: ſi verò vi adigantur cæremonias Eccleſiæ peragere, vel Diuinis officijs, ac potiſſimum ſãctiſſimo altaris ſacrificio intereſſe, tunc vehementius longè vexantur, & ijdem cũ mente conſtant, teſtantur optare ſe quidem hæc omnia facere, & intereſſe, & ſacrarum rerum auxilium deſiderare; ſed eſſe quiddam in ipſis, quod magnopere impediat.

13 Aliqui Dæmoniaci habent oculos terribiles & dæmones mẽbra eorum, & corpus deſtruunt miſerabiliter, & interficiunt, niſi eis cito ſubueniatur.

14 Aliqui fingunt ſe eſſe fatuos, & ſemper augentur, ſed cognoſcuntur ſi nolint recitare Pſal. Miſerere mei Deus, &c. vel. Qui habitat in adiutorio altiſſimi &c. vel initium Euangelij Sancti Ioannis. In principio erat verbum &c. vel ſimilia.

15 Signum obſeſſi eſt, quando loquitur quis alienum ſermonem à patria ſua, ſi non fuerit ille extra patriam.

16 Signum euidens eſt, quando perſona idiota loquitur litteraliter, & congruenter latinè, aut cantat muſicaliter, ſine ſcientia, aut dicit quædam, quæ ipſe nunquam dicere ſciuiſſet.

17 Abſtinentia à cibo, & potu per ſeptem, vel plures dies, ſignũ potens eſt.

18 Quando ſentitur interna perſuaſio inducens poſſeſſum ad præcipitium, vel ſuſpendium, vel iugulationem, vel quid ſimile.

19 Aliquando ſimiles fiunt ſtupidi, cæci, claudi, ſurdi, muti, lunatici, & penè immobiles, cum prius fuerint veloces, loquerentur, audirent, viderent, & alia prudenter agerent.

20 Signũ etiã eſt, cum ſuperueniunt terrores, & ſtatim recedũt.

Cogno-

Cognoſcitur potiſſimum quis dæmoniacus, ſi quando legun-tur exorciſmi, conturbatur. 21

Quando manus Sacerdotis poſita ſuper caput, ſentitur valde grauis, & ponderoſa. 22

Quando ſub illa manu ſentit patiens rem frigidiſſimam tãquam glaciem. 23

Quando deſcendit ventus per humeros, & per renes, qui eſt frigidiſſimus. 24

Quando caput in immenſum aggrauatur. 25

Quando videtur ſibi cerebrum conſtringi, & perforari, ac ſi gladio eſſet percuſſum. 26

Quandoque inflatur caput, & facies, & aliquando tota perſona, ac ſi eſſet ignis vapor. 27

Aliquibus euenit febris immenſa, cum dolore capitis, & totum corpus extenuatur, & angitur, ſed omnia iſta accidentia parum durant, quia coniuratio tollit Dæmonis vigorem. 28

Aliquibus ita conſtringitur guttur, vt videantur ſtrangulari. 29

Aliquibus ad orificium ſtomachi mouetur quædam res ad modum pilæ, ac ſi eſſent vermes, formicæ, aut ranæ. 30

Quibuſdam in ſtomacho mouetur magnus vomitus. 31

Nonnulli ſentiunt maximam torturam in viſceribus. 32

Quibuſdam venter vehementer inflatur. 33

Quibuſdam conſtringitur cor, ac ſi intolerabiliter feriretur. 34

Quandoque patefacit ſe Dæmon in aliqua corporis parte palpitando tamquam piſcis, aut ad inſtar formicarum ſe mouentium. 35

Quandoque maleficiatus habet in facie colorem cedrinum. 36

Aliqui oculos conſtrictos, & omnia eorum membra videntur ligata, & habent humeros deſiccos. 37

Duo potiſſimum ſigna ſunt, cordis conſtrictio, & oris ſtomachalis, & quando eis videtur, quòd habent bolum ſuper ſtomachum. 38

Aliqui habent puncturas in corde, tamquam ſi acubus eſſet punctum. 39

Nonnullis videtur ſibi cor corrodi. 40

Aliqui habent magnum dolorem in corde, & renibus, & videtur eis, quòd talia membra dilacerentur à canibus. 41

Nonnulli ſentiunt in gutture bolum aſcendentem, & deſcendentem. 42

Aliqui habent ligatam venam generationis. 43

Aliqui

44 Aliqui habent ſtomachum, ita indiſpoſitum, vt euomant quidquid comedunt, & bibunt, ſed hoc ſignum leuiſſimum eſt, niſi accedant alia accidentia.

45 Quibuſdam per ventrem diſcurrit ventus frigidiſſimus, aut calidiſſimus, ſicut ignis.

46 In aliquibus ſignum eſt indigeſtio cibi, & potiſſimum quando medicinæ applicatæ nihil proſunt infirmo.

47 Quibuſdam eſt circa collum pulſatio continua, quæ videtur tremorem inferre.

Signa cognoſcendi ſimplicem Maleficiatum. Cap. III.

Lib. 3. de morbis veneſic. c. 13.

SVperius ennarrata longè exactius collecta, & experientia comta fuerunt à Codroncho. Docet ſigna hæc vel communia eſſe cunctis maleficijs, vel peculiaria quibuſdam. Communia ducit à cauſa morbi, & à concomitantibus morbum. Signa à cauſa tradit, vt ſi morbus cœperit ex intenſiſſimo alicuius amore, vel irrationali, ſeu iniquo in aliquem odio: ſi ex maledictis, vel minis alicuius malefici: ſi inſtrumenta maleficij ſunt inuenta, qualia nos multa ſupra commemorauimus, & refert Andræas Cæſalpinus. A concomitantibus morbum ſunt parociſmi, & remedia iuuantia, vel lædentia: & communia ſigna ſunt.

De inueſtigat. dæmonum c. 22.

1 Primò, quòd morbi maleficio illati ægerrimè cognoſcuntur, ita vt Medici in ijs hæſitent, & ambigui, huc illuc animo agitentur, nec certi quidquam de illis audeant proferre.

2 Quòd remedijs ex ante adhibitis morbus ſe non remittat, ſed potius exaſperetur, & augeatur.

3 Quòd more naturalium morborum non creſcat paulatim, ſed frequenter ſtatim ab initio, nullis peccantibus humoribus in cauſa exiſtentibus, cum grauiſſimis ſymptomatibus, & doloribus ſe morbus prodat.

4 Quòd valde inconſtans ſit morbus, & licet periodicorum naturam referat, raro tamen periodos ſeruet, & licet ſimilis videatur naturalibus morbis, in multis tamen diſcrepet.

5 Multoties licet ægrotans grauiſſimè doleat, in qua tamen parte doleat, nequeat referre.

6 Interdum ægri ſuſpiria (quæ luctuoſa vocant) abſque manifeſta cauſa emittunt.

7 Aliquibus appetitus reijcitur, aliqui cibos reuomunt, & ventriculum ita malè affectum habent, vt ſæpius aſtrictione laborent, vel etiam pondus in ipſo quodam, quin & rem aliquam

modo

modo deſcendere, modo aſcendere per ſtomachum, & guttur percipiant: & ſi in ſuperiorem partem delatum deglutire conentur, omnem operam ludant, re ipſa mox ſponte deſiliente.

In regione cordis punctorium dolorem percipiunt, adeò vt ipſum aliquando lacerari aſſerant. 8

In quibuſdam circa collum arteriæ manifeſtè pulſare, & quaſi tremere deprehenduntur. 9

Alij ſæuo colli, ſeu renum dolore cruciantur, vel circa ventrem inferiorem torſiones acerbiſſimas, & ſæpe flatum quendam frigidiſſimum per ventrem permeantem, & cito redeuntem, vel vaporem vti flammam ignis calidiſſimam ſimili modo illos infeſtantem percipiunt. 10

Quidam ad Venerem impotentes redduntur. 11

Conſueuere quidam leuibus ſudoribus præcipuè circa noctem corripi, quamuis tempore, & aura frigidiore. 12

Alij videntur habere particulas corporis veluti nexibus ligatas. 13

Morbi quibus laborant veneficio læſi, ſunt vt plurimum totius corporis quædam extenuatio, & macies, & virium imbecillitas, cum ſummo langore, mentis ſtupiditas quædam, varia melancolia deliria, diuerſa febrium genera, medicis multum negotij exhibentia: motus quidam conuulſiui, vnde epileptici videantur: membrorum quædam rigiditas ſpeciem cõuulſionis præſeferens: aliquando omnes capitis partes tumefiunt, aut talem circa totum corpus laſſitudinem percipiunt, vt vix vllo pacto mouere ſe poſſint. 14

Plerunque tota cutis, ſed vt plurimum faciei, flauo, ſeu cinericio colore ſuffunditur.

Aliqui habent oculorum palpebras, ita adſtrictas, vt eas vix aperire poſſint, hi cognoſcuntur experimentis quibuſdam. 16

Veneficio affecti faciem Sacerdotis vix aſpicere valent, nec oculis intentis vllo modo: album oculorum varijs modis mutatur. 17

Aegrotantes, cum inſtrumenta comburuntur, ſolent in deterius mutari, vel noxam quandam recipere maiorem, vel minorem, pro ratione leuioris, vel ſæuioris veneficij, ita vt quandoque formidabiles clamores, & mugitus cogantur emittere: quòd ſi nullam mutationem, vel læſionem percipiant, erit de ſalute ægri bene ſperandum, paruo negotio bonæ valetudini reſtituendum. 18

Si fortè Veneficus ad viſendum ægrotum accedat, ſtatim in- 19

firmus ingenti moleſtia afficitur, aliquo terrore, ſeu tremore corripitur: ſi ſit puer ſtatim plorat: oculi ad fuſcum colorem mutantur; & alia notatu digna in ægrotis mutatio obſeruatur.

20 Denique, quando procuratione morbi quædam linimenta ſacra ad oculos, aures, frontem, & quaſdam alias partes ſacerdos adhibet; ſi in partibus illis ſudor, vel aliqua alia mutatio appareat, ſignum eſt veneficij.

Ad cognoſcendum autem vtrum æger ſit energumenus, ſolent facere ſequentia. Schedulam aliquam ſacra Dei verba continentem; reliquias Sanctorum, vel agnum cereum benedictum, vel quid aliud ſacratum latenter ægro applicant. Sacerdos capiti Energumeni manum, & ſtolam imponit, ſacra profert verba; ad ea æger tremere, & horrere incipit, & præ dolore multos motus inconditos edere, multaque inuſitata, & dicere, & facere; Si Dæmon caput petierit, grauantur, & punguntur acrius in capite, vel caput vnà cum facie rubore, & calore quodam igneo perfunditur: Si oculos petijt, eos diſtorquet: ſi dorſum, conuulſiones membrorum, antrorſum, & retrorſum adducit, aliquando toto corpore rigentes, & inflexibiles adeò reddit, vt nulla vi allata flecti poſſint.

Aliquando velut mortui corruunt, ac ſi laborarent tertia epilepſiæ ſpecie, aura quadam in caput irruente, & ad imperium Sacerdotis eleuantur aura remeante vnde diſceſſit. Si fauces petat, adeò conſtringuntur, vt ſtrangulari videantur. Si in partes nobiliores feratur, vt prope cor, aut pulmonem, anhelationes, palpitationes, ac ſincopas excitat. Ad ventriculum ſi tendat, mouet ſingultus, ac vomitus, vt aliquando cibum ſumere nequeant, vel aſſumptum continere: motum eiuſdem rei ad inſtar paruæ pilæ circa os ventriculi, nec non rugitus, & alias voces abſonas excitat, & circa præcordia torſiones vel flatus. Cognoſcuntur etiam aliquando quibuſdam ſuffitibus ex ſulphure, aut alijs rebus fortis odoris.

De Tempeſtatibus multiplicibus. Cap. IV.

Doctrina.

IN primo lib. probauimus Sagas poſſe excitare pluuias, & grãdines, quæ vulgo dicuntur, Tempeſtates, ſed quia Tempeſtatum multa ſunt genera cum non ſatisfecerim ibi illa recenſendo; ne deficiam, nunc, in eo, quod potuiſſet deſiderari, ſtatui hoc loco

de

de his agere plenè, cum malefici, non ſolum grandines, ſed permultas alias immittant Tempeſtates.

Duplex ergò eſt Tempeſtas, ſpiritualis vna; Temporalis altera. Spiritualis tempeſtas dicitur peccatum, per quod plurimis calamitatibus inuoluimur in præſenti, & in futuro ſeculo, & de hac tempeſtate, non eſt præſens ſpeculatio. Naturalis, ſiue temporalis Tempeſtas ſic definitur a Percorio in ſuo Dictionario, eſt quædam aeris diſtemperantia, quæ in videntibus, & ſentientibus horrorem incutit, & timorem, quæ ex aqua, vento, turbine, fulgure, & grandine, ac alijs aeris impræſſionibus generatur. Hę Tempeſtatum ſpecies ferè omnes continentur in verſiculo illo trium puerorum, qui dicit. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Tempeſtas naturalis duplex eſt, rerum animatarum, & inanimatarum. Inanimatarum rerum Tempeſtas dicitur, quidquid impetu, ac vehementi concitatum ſpiritu, vel turbine vineas, oliuas, arboreſque cæteras, & ſimilia, necnon Turres, muros, ædificiaq; rumpit, eradicat, perdit, & ad nihilum redigit, vt ventus validus, turbo, nebula, vel erugo, procella, inundatio, alluuio, grando, fulgura &c.

Ignis, qui omnia conſumit, & in ſe metalla transformat, dicitur Tempeſtas, & duobus modis, ex aeris regione cadere dicitur. Primo, quando mittuntur fulgura, quæ etiam cadunt ſub nomine Tempeſtatis, & hæc multa damna temporalia inferunt. Secundo modo mittitur ignis ſicut fluit aqua ex nubibus, & hoc modo legimus. Gen. 19. quod miſſus fuit ignis ſuper Sodomam, & Gomorram ad Dei vindictam. Item Iob 1. ignis Dei cecidit de cœlo. Et hoc modo ſæpius in Italia cecidit ignis de cœlo, iuxta Roſaccium in ſua hiſtoria. Eſt, & aliud genus Tempeſtatis ignis artificialis, vel maligni videlicet, incendium, quando quis incendit agros, ſegetes, nemora &c. de quo Exod. 22. Si egreſſus ignis inuenerit ſpicas, & comprehenderit aceruos frugum, ſiue ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui illum ſuccenderit. Et his incendiarijs multiplex reſeruatur pœna in vtroq; iure. Immittitur etiam ignis per Sagas e cœlo multoties ad earum vindictam ſumendam contra homines, & iumenta, vt patet in 2. lib., & ad incendendum domos, & oppida integra, vt alibi monſtratum eſt.

Grando, quæ & ipſa eſt Tempeſtas, non ſolum fructus præſentes deſtruit, ſed & futuros impedit: homines, & iumenta interficit, volatiliaq; deplumat, & occidit. Pſal. Et occidit in grandine vineas eorum. De hominibus patet Ioſue cap. 10. Cumq; fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Beth horon Dominus miſit ſuper

eos lapides magnos de cœlo vſq; ad Azeca, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm, quos gladio percuſſerant filij Iſrael. De iumentis conſtat. pſal. 77. Et tradidit grandini iumenta eorum &c. Quanta autem ſit vis, ac potentia huius tempeſtatis grandinis, patet ex eo, quod Deus comparatur illi Iſai. 28. Ecce validus, & fortis Dominus, ſicut impetus grandinis.

Gelu eſt etiam tempeſtas non contemnenda, quæ in vere maximè accidit, quando teneræ vites, arbores, herbarum, flores, nouiq; fructus ſic à gelu ſiccantur, ac ſi ignis de cœlo cecidiſſet, & combuſiſſet. hæc Tempeſtas à Deo infertur. Iob 37. flante Deo concreſcit gelu. Aliquando infertur ab Aquilone, qui eſt ventus frigidus, rigidus, ac diſſicatiuus, & multoties immittitur per Magos ad deſtruendum ſata. Idem dicendum de glacie.

Nix immoderata dicitur Tempeſtas à I. C. Hæc dupliciter cadere contingit, quiete, ſcilicet, abſq; vento, & valido vento agitata. Hanc Tempeſtatem eſſe probant, qui in Alpibus, in ipſa niue inuoluti obruuntur. Hoc probant, qui quaſi à deuorante igne, tenera frumenta conſumi, domoſq; niuis nimio pondere deſtrui conſpiciunt. Nix enim nil aliud eſt, quàm aqua congelata, ſicut pruina eſt ros congelatus, vt ait D. Thom. in Iob cap. 38. Fit autẽ nix, quando nubes reſoluũtur, & illa aqua ſit pluuia antequam ad terram deſcendat, per frigiditatem aeris ſic inſpiſſatur, & in niuem conuertitur, & id fit velociter.

Aer eſt vita omnium viuentium, ita quod, ſicut de Deo omnes fatemur, eum eſſe, in quo viuimus mouemur, & ſumus; Sic de aere ſecundario dici poteſt, quod in ipſo viuimus mouemur, & ſumus. Hic vnus ex quatuor elementis, tria habet interſtitia. Supremum, dicitur Aeter, & eſt pars contigua ſpheræ ignis caliđiſſima, & ſubtiliſſima, ideo inhabitabilis. Infimum, eſt pars aeris contigua terræ vbi ſumus, & temperatur propter reflexionem ſolis. Medium eſt media pars aeris obſcura, caliginoſa, & tenebroſa, vbi ſunt tonitrua, corruſcationes, & ſimilia, in qua parte dæmones multas concitant Tempeſtates. Aer ſecundum inferiorem partem eſt locus auium, & hic eſt ille, de quo omnes fatentur, quod corrumpi poteſt, & à fœtoribus cadauerorum alijſq; putrefactionibus infici, quo fœdato, peſtes, & aliæ infirmitates generantur, de quibus. Deuteron. 28. percutiat te Dominus ægeſtate, febre, frigore, ardore, & æſtu, & aere corrupto, & rubigine &c.

Ventus, eſt impetus aeris in vnam partem flantis, ſecundum Ariſt. lib. 3. Meteorol. huius, tanta eſt aliquando rabies, furia, atque Tempeſtas, vt turres, ac mœnia ad terram proſternat, arbores,

quamuis

quamuis grandes frangat, eradicetq. & in maris pelago plurima nauigia ſubmergat. Huius vis, tempore alicuius incendij periculoſiſſima eſt, quia ex paruo principio, magnam syluam, domos, & palatia conflagrat. Eſt hic etiam tempore peſtis Tempeſtas tremenda, quia putridos, ac corruptos vapores, & humores, hinc inde portat. de loco ad locum, de oppido, ad Ciuitatem, & de Ciuitate ad Prouincias, & Regna: hoc inſtrumento vſus eſt Moyſes in inferendis plagis, vt patet de locuſtis. Exod. cap. 10. & 14.

Turbo, definitur à Cornelio Tacito, Calepino, & alijs; eſt ventus validiſſimus, & vorticoſus, omnia deuorans. Hæc Turbinis Tempeſtas, quandoq; ex vno vento, quandoq; ex duobus inuicem occurrentibus prouenit, quæ, quo magis repentina, eo periculoſior. Hæc in mari naues ſubmergit, & in Arabiæ deſertis homines arena cooperit, ſepelit, & conſeruat, ex quibus *Mumia* fit. Idcirco dicitur, Turbo, quia omnia turbat. Huius Turbinis terribilitatem demonſtrat Spiritus Sanctus in ſcriptura. Iob. c. 3. Noctem illam tenebroſus Turbo poſſideat, & cap. 27. Tollet eum ventus vrens, & Turbo rapiet eum. Eſai. 25. Spiritus robuſtorũ, quaſi turbo impellens parietem. Hierem. 23. Ecce turbo Dominicæ indignationis, & cap. 30. Turbo Domini furor egrediens.

Procella, ſeu tempeſtas maris, eſt vis venti, cum pluuia non multum durans, & in mari potius, & in fluminibus, quàm in terra, vnde Nahum. 1. Procellæ ſonantes dicuntur. Hæc eſt, quæ vulgo dicitur, fortuna maris; quæ aliquando ita ferox, terribilis, ac furibunda, vt nauigia in mari concutiat; funes, & ancoras diſrumpat, & in longiſſima loca à ſuis regionibus transmittat, ad rupes concutiat, atq; tandem eas abſorbeat, & deglutiat.

Calamitas propriè dicta, ſignificat calamorum fractionem, vel cõquaſſationem, & ſic ſumpta, idẽ eſt, quod miſerrimus ille Tempeſtatis effectus, factus in frumenta, & alias ſegetes, ante meſſem, quaſi dicatur calamitas, ideſt, calamorum fractio, comminutio, ruptio, quibus ſpicę, aliæq; leguminis ſpecies ſuſtentabantur. Ita declarat Plautus, quem ſequitur Calepinus, verbo, calamitas, & hoc modo, dicitur illa calamitoſa tempeſtas, quæ omnia comminuit, & conquaſſauit. Generaliter autem ſumpta, calamitas, ſignificat quamcumq; afflictionem dolorem, punitionem, Tempeſtatem, atq; pœnalitatem. Quare omnis Tempeſtas dicitur calamitas, ſed non omnis calamitas eſt tempeſtas, vt notat Sanctus Damaſcenus lib. 3. paralel. cap. 43. vnde dicebat Iob. cap. 6. calamitas, quam patior, ideſt, qua grauiter afficior. Et Sophon.

capi-

capitulo primo. Dies calamitatis, & miſeriæ, cum multis alijs, quos omitto.

Tempeſtates rerum animatarum.

INter tempeſtates animatas enumeratur, Bruchus, locuſta, eruca, ærugo, vel Rubigo; Locuſta igitur, iuxta Calepinum eſt genus inſecti, infimas habens alas, tam modicis à terra ſe volatibus attollens, vt ſaltare potius, quam volare, videatur. In Africa, corpore maiore, firmioribus alis naſcuntur, & tanta eſt eorum copia, vt herbas, meſſesq; omnes, aut erodant, aut tactas adurant. In India monſtruoſæ magnitudinis naſci dicuntur, vt interdum trium pedum longitudinem excedant, ex quorum fœmoribus, & cruribus cum aruerint, ſerræ ſolent confici; de his Plin. lib. 11. cap. 29. Ex hoc genere igitur Tempeſtatis tanta eſſe ſolet copia in aliquibus Europæ partibus, vt cum eleuantur à terra ſolem ob nubilent. Hæ generantur in terra in aliquibus vaſculis, vel cannulis. quæ, aduenıente æſtate, niſi priuſquam reuiuiſcant, colligantur, & comburantur, poſtea, tanquam ignis infernalis, omnes ſegetes, & meſſes deuorant, abſq; vllo remedio, & conſumunt. Aduertendum tamen eſt, quod his locuſtis non veſcebatur Ioann. Baptiſta in deſerto, vt aliqui putauerunt. Sed locuſtæ, quibus veſcebatur, erant ſumitates herbarum, ac plantarum, quæ dicuntur locuſtę ſic cenſuit Iſidorus Peluſiota antiquiſſimus Monachus lib. 1. Epiſt. 132. ad Timotheum.

Bruchus, eſt genus vermis è locuſtarum genere, ſine alis, herbas, & arborum frondes erodiens, & hæc fuit octaua plaga, quam Deus immiſit Aegiptijs pſal. 104. Dixit, & venit locuſta, & bruchus, cuius non erat numerus. Hæc animalia peſſima ſunt, in eo, quod arbores denudant, rodunt omnia folia, quibus fructus tegebantur, & alijs tempeſtatibus expoſitos reliquunt. Hi vermes in Autumno ſibi domos parant in quibuſdam vaſculis, tum arboribus, & parietibus affiguntur, incluſi, vſq; in ſequentem annum.

Eruca, genus eſt vermis, qui in olerum folijs repit, & rodit, præſertim braſſicas, vnde, ab erodendo, eruca dicta eſt, naſcitur ex ſemine papilionum, & olera deuaſtat.

Erugo, vel Rubigo, in ſegetibus eſt illa, quam Nuyllam, ideſt, nebulam nos vocamus, qua ſpicæ marcidæ fiunt, & in puluerem fœtidum reſoluuntur. Horatius lib. 1. carmin.

Nec peſtilentem ſentiet Africum fœcunda uitis,
Nec ſterilem ſeges rubiginem.

Hæ igitur ſunt Tēpeſtates animatę, quę quādoq; à Deo immittun-

tur propter peccata noſtra,& quandoq; etiam à maleficis arte dæmonis,ſic permittente Deo, ad vindictam malefactorum, & hæc ſufficiant pro hac materia.

Diuinæ benignitatis, & Dæmoniacæ Tyrannidis argumentum recens. Cap. V.

REfert Martinus Delrio ſequentem hiſtoriam, quam manu ſcriptam, & ore proprio narratam ab illo, cui hæc acciderunt affirmat, ſeque illam cum hæc ſcriberet præ manibus habuiſſe,videlicet,quòd Anno 1600. die Martij 22. N. Prutenus, vt aiebat nobilis, annos natus 22. ipſa hebdomadæ Sanctæ Feria Quarta, Collegium Ieſuitarum ingreſſus eſt, cumq; vno ex ipſis ſpectante, & audiente in porticu inferiori collegij deambulans arrogantius geſticularetur, & cum crebra capitis quaſſatione verba in Deum blaſphema, & plena deſperationis audacius euomeret, monetur ſemel, atq; iterum, & ſæpius vt ſe ſe habeat modeſtius, ac linguæ frænum inijciat, ſed fruſtra. proficiebat enim in peius,& per omnia anxij afflictiq; animi ſigna præbebat; quamobrem accedens vnus eorum,quærit benignè quid habeat?cui rei vacet?& cur adeò creber in Dei nomen irreuerenter prorumpat? Refert ille, Perij miser, diaboli pedicis ſum irretitus, nec tamen, quas promiſit, & opto frui, delicias,frui datur,quibus auditis, Ieſuita,graue quidpiam ſubeſſe veritus, manu apprehenſum duxit in collegium, & blandè rogauit, quid hoc rei ſit, ne ſibi grauetur aperire. Tum N. cum lachrymis, ordine perturbato quidem, ſed ſequenti die tranquillius eo ipſo quæ referam narrare,cœpit. Se nobilibus ortum parentibus,& re ampla educatum lautè,ac delicatè, & certis de cauſis (quas pudens reticeo) parentis gratia excidiſſe, & lare patrio profugere coactum,& pecunia, quam diſcedens copioſam ſecum acceperat, abſumpta, in extremam ægeſtatem decidiſſe, tandem in via dæmonem cum vehementi vento ad ſe nocte quadã ſub arbore iacentem acceſſiſſe,& recenſitis ijs ipſis, quæ patiebatur,& quæ paſſurus eſſet incommodis, opem, & auxilium, priſtinamque parentis gratiam promiſiſſe ſi modo dato chyrographo ſe vellet ad paucula quædam obligare: Se autem ea vice ſuggeſtioni, quam pernitioſiſſimam ſciret,non obtemperaſſe,& dæmon eodem vento,& fragore cum quo venerat receſſiſſe:prædixit tamẽ fore,vt eum aliquando non acceptæ conditionis pœniteret. Quæ cum non procul ab Vratislauia, iuxta quendam pagum accidiſſent,

Lib. 6. diſquiſit. magicarũ ca. 2. ſec. 3.

ſent, inde ſe Vratislauiam contulit, vbi breui victus incommodis, die quodam ſub veſperum egreſſus, ſeipſum, quòd fidem dæmoni non dediſſet coarguentem, defleuiſſe animo conditionem, qua exciderat, & in quam inciderat, nulla ſibi reliqua conſilij, auxilij vè ſpe affulgente. Nox erat intempeſta, cum illi ſe dæmon Gigantea mole ſe offert conſpicuum, & inſultans ait, nonnè ego dixerā futurum, meam vt opem ſupplex expeteres? iure quidem tibi illam, vt indigno poſſem quantumuis ſupplici denegare, verum vt intelligas, quàm te ex animo diligam, en promitto auxilium: parentis gratiam priſtinam, veteres delitias, iucunditatis annos ſolidos numero 12. quibus expletis, plena mihi ſit in corpus, animāque tuam poteſtas: te viciſſim ſtipulanti ſponde, quę exigo, & nunc in primis Deum, Deique matrem, cœlites omnes, & fidem, quam docuere veteres eiura. Inſuper fidem, mortalium te nemini hoc pactum manifeſtaturum, in nullum vnquam templum ingreſſurum, precarium codicem non lecturum, ac demum homines omnes, & eos potiſſimum, qui te ad pietatem incitare, hortarique voluerint, odio implacabili perſequuturum, te vxorem non ducturum, ſed concubinis pecunia conductis vſurum. Cum in tam pernitioſam legem conſenſiſſet iuuenis, iamq; ſola ſupereſſet ſingrapha proprio ſanguine deſcribenda: dæmon illi porrectam vltrò ſiniſtram tanta vi compreſſit, vt ſanguine è trium digitorum extremitatibus expreſſo manum implerit, ſubminiſtrauit etiam ſcriptioni materiam (neſcio quam) pergameno molliorem, ſed carta duriorem, & calamum, ſcribentique conceptis verbis præiuit, quę ſibi præſtari vellet, & quæ ſe viciſſim præſtiturum pollicetur.

Conſcripto traditoque chyrographo, miram ſe dicebat omnis generis inſtrumentorum armoniam audiuiſſe, & ad ſonum obdormiſſe, adeò pacato, & alto ſopore, vt ſequenti die, nullo per vias publicas prætereuntium ſtrepitu percepto in multam lucem ſtetterit, tandem euigilaſſe, & illico patrati facinoris pœnituiſſe, profectumque Vratiſlauia Olomutium, & inde Viennam, Gretium ibi diuertiſſe ad doctorem Venediger, ab eo ſe ad Dominum Stranſbergerum directum, & commendatum, poſtremò veniſſe Marpurgum ad Doctorem Homelium ibi exilij pertæſum, ſe rurſum indoluiſſe, quòd pactum cum dæmone initum non cuſtodiſſet. Adfuiſſe ſibi nocte denuo in lecto iacenti dæmonem, ac de pacto renouando in hunç modum actum eſſe, vt nimirum proprio ſanguine, nouum dæmoni chyrographum conſcriberet, ac in templo quodam nuper diruto, non procul Marpurgo noctu deponeret. Poſt paucos dies iterum ſe facinus damnaſſe, manus ſibi violentas de-

ſperatione inferre voluiſſe, tandem ſuaſu cuiuſdam venit Gretiũ, vt quæreret remedium. Pridiè tamen, quâm Marpurgo diſcederet, noctu adfuit Dæmon, & certum hic Gretij, prope Carlauu Tuguriolum deſcripſit, in quo trigeſimo Martij compareret, fore, vt tum fiat voti con pos, & priſtino ſtatui ex pactis reſtituatur, caueret interim etiam, atq; etiam ne Ieſuitas adiret vnquam alioquin grauiſſimas pœnas eum daturum. Hæc omnia Iuuenis noſtro eo ipſo die narrabat, quem illi dæmon præfixerat, ad ſuum in illo Tuguriolo congreſſum, & quamuis illo die à tali congreſſu fuerit a noſtro deterritus, nihilominus poſtridie (quæ fuit die Veneris ſancto (poſt meridiem, nemine conſulto, aſſignatum ſibi à Dæmone locum infelix adijt. Adeſt Dæmon, exprobrat perfidiam, quòd contra ſuum præceptum nebulonibus Ieſuitis adfuiſſet, petit tertiò renouari pactum, hac ratione, vt medium digitũ in pignus ei offerat, deinde recenſitis ab adoleſcentia peccatis, oſtendit animæ ſalutem eſſe deſperatam, allegatis è ſcripturis teſtimonijs, quamobrem ducat in bonis dies, ſimul libellum offert Iuueni, quo omnium Dæmonum nomina continebantur, & modus, quemlibet pro arbitrio euocandi, nihil tamen hoc Iuuenis acceptauit.

Sabbato Sancto, vbi reſcitum, quòd contigerat, maior Iuuenis cura haberi cœpit, non permittendo, ne vnquam ſolus eſſet, & ex eo tempore ab vno patre, cui peculiariter eius cura commiſſa fuit in rebus catholicæ fidei eſt inſtitutus. Sub finem Aprilis ſeſe ad confitendum generaliter præparauit, quo die confeſſurus erat, iuſſum, vt in præſentia patrum aliquot Diabolo renunciaret, & malè pacta bene reſcinderet. Dum recitantur Littaniæ, ad verba Pater de Cœlis Deus, corruit pene exanimis, hominem erigimus artubus contremiſcentem, ad glorioſum Dei Matris nomen denuo corruiſſet, ni titubantem vtrinque ſuſtinuiſſemus. Tandem facta ægrè renunciatione, & Dæmonis abiuratione, cibo refocillatus (deſtitutus enim erat viribus) poſt meridiem ductus eſt ad Templum, vt confiteretur, recitatis de nomine Ieſu, & de Angelis Littanijs, cum peccata recenſere cœpiſſet, ei dæmon in aurem ſuſurrat, huic nebuloni confeſſario ne credas, niſi velis ab eo improbè circumueniri. Totus Maius impenſus, tum, vt in fide confirmaretur, tum, vt crebra confeſſione vniuerſos conſcientiæ receſſus expurgaret, non fuit dies, quo pater deſignatus cum eo non ageret, optima iam ſperari poſſe videbantur; patiebatur tamen Dæmonis inſultus varios, nam & nocte quadam, ter eſt ad ſpatium trium paſſuum de lectulo eiectus, abſq; vlla tamen vllius membri læſio-

ne,& alias ſe illi exhibuit Dæmon,& magnam præſeferrens beneuolentiam ſuaſit,vt Marpurgum rediret,quid hic ſe ſe affligeret? miror, ait, quòd cum noris te damnatum eſſe, non maiorem des operam, vt vitam hanc ducas hilariorem, reuertariſq; ad priſtinas,quibus excidiſti fortunas,pudet me tui,& miſeret,quòd meus cum ſis, vitam hic ducas adeò acerbam, & quoniam eo ipſo tempore quidam ſtudioſus obierat in domo pauperum (in qua etiam ipſe degebat) pro quo nonnulli in valetudinatio, per totam noctem ad Deum fundebant preces,ſubiunxit,ſe nec poſſe, nec velle manere diutius viuis canibus inferius, in valetudinario, apud canem mortuum latrantibus; quamobrem rogat etiam,atq; etiam, vt vel ſemel ad dictum tuguriolum reuertatur, fore, vt ibi ea audiat noua, quæ nunquam antea.

Die 28. Maij Dominico Sanctæ Trinitatis, cum noſtri Deo negotium aſſiduè commendaſſent, aliaq; nonnulla pietatis exercitia, mortificationeſq; in hunc finem Deo obtuliſſent, diſpoſitus eſt ad ſacram Synaxim,& primum in multorum è noſtris,& Congregationis ſancti Spiritus præſentia in templo Sanctæ Catharinæ, ex carta conceptis verbis Dæmonem eiurauit, & pacta ſe reſcindere nefariè contracta eſt proteſtatus, ſed incredibili difficultate,dæmone ſic ſenſus impediente,vt nec legere,& ægrè,tardeq; præeuntem ſequi poſſet. Fecit deinde profeſſionem fidei Catholicæ iuxtà formam Bullæ Pij Quarti relatam, vbi ad hæc verba ventum eſt. Eccleſiaſticas traditiones,obſeruationes,& conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector: & ſeptem eſſe vera, & propria ſacramenta nouæ legis. Et in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè,& realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem,&c.& hæreſes ab Eccleſia damnatas,ego pariter damno. Omnibus corporis viribus eſt deſtitutus; ereptus illi oculorum, aurium,& linguæ vſus, in tantum, vt ſibi aliquantulum reſtitutus diceret, vereri ſe, ne eo loco ſit moriendum; cum in illa eſſet ſenſuum eſtaſi, fruſtraq; vrgeremus,vt quod corde credebat, exprimeret ore,credere,videlicet,ſe Chriſti in Euchariſtia præſentiam, placuit illi venerabile Sacramentum propius admouere,ad cuius præſentiam ita ſibi reſtitutus eſt, vt velut è graui ſomno experrectus diceret,& credere ſe,& experiri copioſè Chriſti præſentis virtutem, licet etiam diuerſum euenerit,vt Euchariſtia in altari collocata loqui poſſet,& audire, accedente verò Sacerdote, tamquã Iuueni Sacramentum porrecturus eſſet, ſenſibus omnibus deſtituererur,denteſq; tanta vi comprimerentur, vt nulla ope reſerari poſſe viderentur,& recedente rurſum cum Euchariſtia Sacerdote,

videret, loqueretur, & audiret: dicebat verò ſe inſcium eorum omnium, quæ illi in aurem inclamaſſemus, ſolum animaduertiſſe veluti forcipe ſibi os claudi, atq; vt nihil relinqueretur intentatum, idem ſacerdos relicta in altari Euchariſtia digitum conſecratum ori impoſuit, poſtmodum verò vbi Euchariſtiam ori admouiſſet, & veluti ſumendam obtuliſſet, tum demum inimicus eum ore patenti exagitare, & multis renitentibus eum in aerem attollere cœpit: cumq; adiuraretur, vt eum quietum eſſe ſineret, & chyrographa reſtitueret, ea tertio ex ingenti fune dependentia in faſtigio templi iuuenis ſolius repræſentauit obtutibus, cæteris nihil omnino tale videntibus. Eo die nihil aliud actum, præterquam quòd & multæ ibi ad Deum pro ſalute eius fuſæ preces, & maxima recuperandorum ſingrapharum ſpes iuueni fuerit relicta.

Die tertia Iunij iuuenis templum ingrediebatur, cum hoſtis inopinato uultum eius quaſi pallio diuerberauit, & ſimul manum ſiniſtrā miſerum in modum dilacerauit, ut ſanguis copioſus diffluerct, nemine tamen, qui hæc inferret uiſo, ſenſit quoque ibidem collum ſibi ab aliquo torqueri, nihil tamen incommodi paſſus eſt, præterquàm quòd diebus ſequentibus remanſerint in manu cicatrices cum minore dolore, quàm ſenſerat, dum illi manus laceraretur. Eodem die multa fecerunt noſtri ut ad Dei gloriam, fœlicem res tota haberet effectum. Excitatus ea nocte uentus ingens abſque omnino pluuia, auditaq; uox iuueni uelut in uento miſerabiliter lamentantis.

Die 4. Iunij Dominica infra octauam Corporis Chriſti in eodem templo ſanctæ Catharinæ, poſt ſacrum, & littanias, ad ſingulas ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas habitas, iuſſus ex carta deteſtari ſua peccata, profiteri fidem, & coram Deo Angelis, & hominibus proteſtari Catholicum ſe eſſe, nunquam ſe de Miſericordia Dei diffiſurum; ſecit id aliquandiu adiutus à nemine, cum ei uiſus deficeret, prælegit alius, ipſe tardè, ægrè, & cunctanter uerba efferebat, dæmone linguam impediente: uentum eſt, ut diceret. Quapropter ò bonæ Ieſu &c. tunc nec legere id potuit, nec alios audire ſuggerentes. Adiuratur Dæmon, eique Dei virtute præcipitur, ne iuuèni in hoc opere ſit impedimento; exagitatur illico iuuenis, ac ſi foret obſeſſus, & inter hæc vnico velut momento linguam germanicam dedicit, quam beneficio Dæmonis loquebatur ſatis eleganter natiuo retento idiomate. Hoc animaduerſo, aucta omnibus fiducia in gratiarum actionem recitatur. Te Deū Laudamus, Iubetur progredi, nequit dicere; Confiteor Deo omnipotenti &c. Domine non ſum dignus &c. fruſtra, accedit Sacer-

dos cum Euchariſtia, dæmonique in virtute Dei præcipit, vt hominem miſſum faciat. Tanta vi iuuenis tollitur in aera, vt decem duodecimvè vix eum retinerent.

Ad verba nominis Ieſu crebra, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ inuocationem dæmon fractus abſceſſit; exclamat Iuuenis idiomate ſuo: auſugit à me. Quare illico flectit genua lætus, & magna alacritate, altaque voce progreditur: quapropter ò bone Ieſu &c. oratione finita, his ipſis verbis ſubdit, laus Deo, iam ſum alius homo, præparat ſe ad communionem, dicit, Confiteor &c. confitetur. Demum tantæ debilitatis fuit, vt nec ſedere poſſet, liber tamen iam à Dæmonis incurſu, nihilominus genua flectit, recitat, Confiteor &c. Domine non ſum dignus &c & alta voce profitetur credere ſe totis animi viribus Chriſtũ in Euchariſtia eſſe præſentem, & ſperare ſe ipſum ſibi propitium futurum. Sumit Euchariſtiam magno animi ſenſu flexis genibus, aliquandiu gratias agit, & tantas illico vires recuperat, vt templo egreſſus, nullam ſenſiſſe debilitatem videretur. Iam demum, ait, Dæmonem non timeo, & contemno ex animo, quod hactenus à me ipſo, vt facerem vix impetrare poteram. Iam paratus ſum centies pro fide Catholica ſanguinem profundere, & multa ſubiunxit in commẽdationem charitatis noſtrorum, qui de hominis nunquam viſi ſalute adeò eſſent ſolliciti; horum apud Lutheranos eſſe nihil, aliaq; quæ verecundia non ſinit referre.

Decima die Iunij, ipſo Beati Barnabæ Apoſtolo peruigilio, noſtri domi ſe rurſum contra inimicũ armant ijs modis, quos nouit ſocietas. Iuuenis quoq; ne ſibi deeſſet tota die cilicium portat, & ſe ſub veſperum ſponte flagello acriter diuerberat. Ingens rurſum tum eo tempore veſperi, tum noctis magna parte ventus Collegium impetit. Ante vndecimam noctis horam adeſt inimicus alio, aliàvè comitatus, & per cubiculum, in quo cum alijs tribus iuuenis dormiebat, deambulans. Cernis, inquit ad ſociam (nam ſaga quæpiam æſtimatur) vt iacet hic nequam? & rurſum, ò ſi aliter rem meam inſtituiſſem, non eſſet hunc ſortita finem. Ante occiduum penè me abegiſſent; interim tibi hominem commendo, eũ quantum licuerit diuexa, & conuerſus ad Iuuenem fremebũdus, perfide nebulo, homoq; leuiſſime, & inconſtantiſſime nunquam fidem mihi ſeruaſti, ò pectus ignobile, ac degener. Maiores tui maluiſſent, centies corporis, animæque iacturam facere, quam vel ſemel datam fidem violare. En tu habe, quæ mihi dederas, ego vicißim, quod meum eſt ſeruabo, & hoc dicto bis, aut ter, iuuene audiente ſtrepitum fecit, velut cuiuſpiam aliquid è carta eradentis,

& rurſum ſociæ, Pergam ad locum mihi conſtitutum, tu interim curam huius habe, rurſumque iuueni, & exiſtimas perdite nequam fore, manus meas vt euadas? coactus nunc tibi tua reſtituo; tu interim & Ieſuitę Nebulones, me poſt hac à ſtultis fictiſque cæremonijs veſtris liberum eſſe ſinite, quod enim tuum ſit, nihil omnino habeo, licet plura longe poſt hac ex te ſim accepturus, fides enim, quam ſuſcepiſti iniqua eſt, & per Papas (quos vos velut Sanctiſſimos colitis, ego autem in inferno tracto pro merito) conficta: quibus dictis, & manu frigidiſſima iuuenis collo, ſine omni læſione contrectato, euanuit: Ad hæc omnia iuuenis nihil reſpondit, excepto hoc vnico, videlicet, vt abiret, habere ſe Deum propitium. Inter hæc iuuenis cæteros in cubiculo altum dormientes ſuſcitare conabatur, eorum nomina inclamans, quorum vnus æger vocem audit, proſilit in pedes, & ad alterius ſani lectum accedens eum excitauit. Hic ignem excuſſit è ſilice, ſulphur accendit, ſed priuſquam candelæ admoueret, violenter ab aliquo extinguitur, idq; ſecundò, accendit tertiò, iamque candela lumen acceperat, cum ſimul, & ſemel materia ſulphurata, candelaq; extinguuntur. Tandem venit homini in mentem, vt cereum benedictum accenderet, accendit, nec amplius valuit extingui. Habito lumine inimicus euanuit, & quamuis ſemel, ac iterum dixiſſet ſe Iuueni reſtituere omnia, quæ ipſius eſſent, nihil tamen ab eo iuuenis receperat. Cōponunt igitur ſe ad orationem, & qui lumen accenderat, ante imaginem B. Virginis Mariæ littanias recitat, poſt mediam circiter horam ſurgens vidit humi iacere cartam ſanguinolentam, attollit, eique porrigit, cuius erat chyrographum: hic cognito ſuo chyrographo, geſtire lætitia cœpit, oſculari illud, & pectori admouere, & illico ſimul omnes Deo gratias agunt, & quatuor ſimul (tot enim erant) recitant. Te Deum laudamus. & ne fortè Dæmon illud recuperare poſſet, ſigno crucis muniunt, aſpergunt aqua benedicta, & corona B, Mariæ Virginis circumligant.

Die Dominico mane vocatur Pater, cuius curæ iuuenis erat cōmiſſus, oſtendunt, & tradunt ei recuperatum chyrographum, quod Marpurgi poſtremo conſcripſerat, in eoq; eraſum e priori, cuius materiam dæmon ſuppeditarat, ſanguinem: ne tamen doli mali quidpiam ſubeſſet, & fortè non omnia integrè reſtituta eſſent, quæ iuuenis erant in priori chyrographo, iterum de more à noſtris ad Sanctæ Catharinæ templum fuſæ ad Deum preces, recitatæ Littaniæ, prouecta iuueni Euchariſtia, adiuratus, & ſollicitatus Dæmon, vt ſi quidpiam eſſet reſiduum, quod ad iuuenem ſpectaret, illud Dei omnipotentis virtute reſtitueret. Sed quoniam

iuuenis dicebat ſatis ſibi conſtare, quòd omnia integrè eſſent reſtituta, ſuumque animum eſſe per omnia quietiſſimum, placuit nihil amplius attentare; Quare actis Diuinæ bonitati ob tam grande beneficium acceptum, gratijs. Te Deum laudamus &c. regredimur læti vniuerſi. Placuit tandem Sereniſſimo Principi Ferdinando Arciduci, & Reuerendiſſimo Seconienſi Epiſcopo, vt ſeries tota, & proceſſus pro concione populo proponeretur, quod factum 18. Iunij à meridie, & ipſum chyrographum vnà cum ſanguine, quo alterum deſcriptum erat in templo noſtro per Parochum Cretienſem iuſſu Epiſcopi in magno hominum concurſu, & frequentia combuſtum fuit. Hæc hiſtoria rei geſtæ veriſſima, in qua vides lector omnium fermè, & ſingularum catholicarum cæremoniarum efficacitatem, de quibus alia quam plura ſubdemus.

De Remedijs contra grandines, & Tempeſtates.
Cap. VI.

Acturi de remedijs contra Tempeſtates, operæ prætium eſſe duco prius uidere, num Tempeſtates rerum, tam animatarum, quàm inanimatarum poſſint coniurari, & excommunicari, ad quod, ut paucis rem expediam, reſpondendum eſt negatiuè. Poſſunt quidem coniurari, & exorcizari, ea ſolum ratione, quod hoc non fiat, ut credimus, Tempeſtates, uel animalia coniurationes intelligere, uel ipſa primario coniurari, uel exorcizari, ſed diabolus illa mouens, iuxta illud Luc. 10. Ecce dedi uobis poteſtatē calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. Et quia tenemus Tempeſtates, & alia ſimilia ſæpe à dœmonibus in hominum perniciem excitari, ideò exorciſmis utimur contra dęmones Tempeſtates excitantes; ait enim D. Thom. 2.2. quæſt. 20. ar. 3. quod praua res eſt adiurare creaturam irrationalem ad agendum proprium actum, quia cum illa non moueatur à ſeipſa, ſed à Deo; uel eius permiſſu à diabolo, ad nocendum homini, idcirco adiurandus eſt diabolus, iuxta ſupra allegatum locum lucæ. Nauarrus enim in Manuali cap. 27. num. 13. probat, quod nemo excommnnicari poteſt niſi homo baptizatus, mortalis, & ſubditus, prout etiam probatur 2. par. Candelabri Aurei de ſententia excommunicationis. Intentio ergo exorciſtæ in coniurandis Tempeſtatibus, ea debet eſſe, non adiurandi excommunicandi, uel exorcizandi Tempeſtates, ſed Deum benedicendo, illum præcari, ut miſericordiam faciat,

arcendo mala illa; vel imperare dœmonibus in nomine Ieſu, ne nubes, aera, fulmina &c. moueant contra nos: ad rem igitur redeuntes.

Dico in primis Campanarum ſonitum, non debere retardari, ſed ſtatim, cum grauis aliqua timetur aeris perturbatio, vel Tempeſtas, ad pulſandas Campanas recurrendum eſt; melius eſt enim, & tutius medicina infirmitatem præuenire, quàm poſtea infirmã curare; dicitur enim. Principijs obſta, ſero medicina paratur. Campanæ enim fugant Tempeſtates ob benedictionem Epiſcopalem, in qua multa Sacramentalia interueniunt in illis benedicendis (dicuntur enim Campanæ Eccleſiæ Sanctæ Militantis Tubæ, quia ijs auditis, dœmones tremunt, contremiſcunt, & fugiunt) Et ratione naturali etiam fugant Tempeſtates, quia & ſi non ſint benedictæ, ſonus ipſe præcipuè ſi ſit vox fortis, nubes rumpit diſpergit, ac deſtruit, ſicut vi ſua naturali efficit ictus Bombardæ. His præmiſſis.

Sacerdos ante fores Eccleſiæ, ſolus vel cum miniſtro eleuet Crucem ver ſus nubes; vel Reliquias ſacras, ſic dicens.

Exorciſmus ex Breuiario Romano.

PEr ſignum † Crucis de inimicis † noſtris libera nos † Deus noſter. In nomine Patris † Et filij † Et Spiritus † Sancti. Amé. Credo in Deum Patrem omnipotentem &c. Chyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Chyrie eleiſon. Pater noſter qui es in cœlis &c.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum, & terram.
Verſ. Sit nomen Domini benedictum.
Reſp. Ex hoc nunc, & vſq; in ſeculum.
Verſ. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius.
Reſp. Et fugiant qui oderunt eum à facie eius.
Verſ. Exurge Chriſte adiuua nos.
Reſp. Et libera nos propter nomen tuum.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte qui feciſti cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, quiq; flumini Iordani benedixiſti, atque in eo baptizari voluiſti, & tuas ſanctiſſimas manus, & brachia

ſacra-

ſacratiſſima in Cruce † extendiſti, quibus aerem ſanctificaſti: obſecramus immenſam pietatis,& bonitatis tuæ abundantiam,quatenus has nubes,quas ante me,& poſt me,& ſupra me à dextris,& à ſiniſtris video aerem perturbare, diſſoluere, & anihilare digneris, vt alligata poteſtas dœmonum impiè deſæuientium deficiat, & turbetur ad laudem tui ſanctiſſimi nominis, & potentiſſimæ maieſtatis tuæ. Qui viuis, & regnas cum Deo patre &c.

Poſtea Sacerdos Signet nubes ſigno Sanctæ † Crucis ſic dicens.

CIrcundet te nubes Deus Pater † Circundet te Deus filius † Circundet te Deus Spiritus Sanctus. †
Deſtruat te Deus Pater † Deſtruat te Deus filius. †
Deſtruat te Deus Spiritus Sanctus. †
Comprimat te Deus Pater † Comprimat te Deus filius. †
Comprimat te Deus Spiritus ſanctus. †

Obſecratio.

SAnctus Mattheus; Sanctus Marcus. Sanctus Lucas: Sanctus Ioannes Euangeliſta,qui Chriſti Euangelium per quatuor mundi partes diuulgarunt, ipſi ſuis meritis, & precibus hanc Tempeſtatem à termino iſto, & ab omnibus Chriſtianorum finibus ab eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto obtineant effugari,& depelli.

Exorciſmus contra dœmones cum iperio dicendus.

ET ego peccator,& Chriſti Sacerdos,ſeu miniſter, licet indignus authoritate, & virtute eiuſdem Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſummi Imperatoris, non mea potentia innixus, & confiſus vobis præcipio immundiſſimi Spiritus, qui has nubes cõcitatis in virtute eiuſdem Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti † Per Sanctiſſimam eius incarnationem. Per Sanctam Natiuitatem. Per Baptiſmum, & ieiunium ipſius. Per eius ſacratiſſimam Crucem † & paſſionem. Per Sanctam Reſurrectionem. Per admirabilem Aſcenſionem.Per tremendum aduentum eius. Per merita Intemeratæ, ſemperq; Virginis Mariæ; & Sanctiſſimi Patris Ambroſij, & per merita omnium Sanctorum, vt exeatis ab eis, & eas diſpergatis in locis ſylueſtribus, & incultis, quatenus nocere non poſſint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut

qui-

quibuſcunq; rebus humanis vſibus deputatis. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos,& ſeculum per ignem. Amen.

Ipſe vobis imperat dœmones, qui has nubes commouetis de quo de nube lucida dictum eſt. Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi bene complacui. †

Ipſe vobis imperat, qui ſua ſacratiſſima Cruce, & corporis ſui ſanctiſſimi in ea extenſione aerem purgauit. †

Ipſe vobis imperat, qui per mortem ſuam, vos, principem veſtrum, mortemq; deuicit,& ligauit,atq; æternæ gehennæ mancipauit ignibus. †

Ipſe vobis imperat, qui inferno ſpoliato ſurrexit à mortuis. †

Ipſe vobis imperat, qui poſt quadraginta dies, nube ſuſceptus, virtute ſua aſcendit in cœlum. †

Ipſe vobis imperat,qui venturus eſt iudicare viuos,& mortuos, & ſeculum per ignem. Reſp. Amen.

Poſtea oſtendat Crucem in aera dicens.

ECce lignum Sanctiſſimæ Crucis, fugite partes aduerſę, vicit enim vos, & mundum Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei Imperator ſummus; Leo de tribu Iuda, Radix Dauid.

Poſtea dicatur. *Quicunq; uult ſaluus eſſe &c.*

Antiphona.

SAlue Regina, mater miſericordiæ &c.

Sub tuum præſidium confugimus Sancta Dei Genitrix noſtras depræcationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper,Virgo glorioſa,& benedicta.

Benedicite omnia opera Domini Domino,Laudate,& ſuperexaltate eum in ſecula. Gloria Patri,& Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat &c.

Dicatur totum, & in quolibet uerſiculo addatur. Gloria Patri,& Filio &c.

Verſ. Benedicamus patrem,& filium,cum Sancto Spiritu.
Reſp. Laudemus,& ſuperexaltemus eum in ſecula.
Verſ. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.
Reſp. Vt digni efficiamur promiſſioni bus Chriſti.
Verſ. Exurge Chriſte adiuua nos.

Reſp. Et libera nos propter nomen tuum.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiternæ Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis.

PRotege Domine famulos tuos ſubſidijs pacis, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis patrocinio confidentes à cunctis hoſtibus, & periculis redde ſecuros.

A Domo tua Domine, quæſumus, ſpiritales nequitiæ repellantur, & aerearum diſcedat malignitas tempeſtatum.

AD te nos Domine clamantes clementer exaudi, & aeris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus, vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia tua præueniente clementiam ſentiamus.

LArgiri, & conſeruare fructus terræ dignare Domine Deus noſter, vt tẽporalibus gaudeamus auxilijs, & proficiamus ſpiritualibus incrementis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum &c.

Si adhuc durauerit Tempeſtas: dicantur Litaniæ.

OPtimum eſt etiam remedium, recitare vnum nocturnũ mortuorum pro animabus in purgatorio exiſtentibus, quod remedium efficaciſſimum eſſe affirmabat frater Ioannes Spadinus Inquiſitor Diæceſis Bononienſis Ord. S. Dominici anno 1591. dum adhuc viueret.

Agnus Dei conſecratus optimum eſt remedium, contra Tempeſtates, fulgura, maris procellas, incendia &c. Ait enim Pontifex in ſua conſecratione, hæc verba. Tu eos bene✝dicere, Sancti✝ficare, & conſe✝crare digneris, vt tua larga benedictione ſanctificati eandem virtutem accipiant contra omnes diabolicas verſutias, & fraudes maligni ſpiritus, vt illos deuotè ſuper ſe ferentibus, nulla tempeſtas eiſdem præualeat, nulla aduerſitas dominetur, nulla aura peſtilens, neq; aeris corruptio, nulluſq; morbus caducus, nulla maris procella, & tempeſtas, nullum incendium, neq; vlla ini-

uitas dominetur eis, neq; præualeat homo, partus cum matre incolumis conſeruetur &c.

Mirificè contra tempeſtates prodeſt, dicere Euangelium S. Ioannis. In principio erat verbum &c. deinde adiungatur ſequens coniuratio Ioann. Nider. Inquiſitoris. Adiuro vos grandines,& ventos per tres Chriſti Diuinos clauos,qui Chriſti manus,& pedes perforarunt,& per quatuor Euangeliſtas Sanctos Mattheum,Marcum,Lucam,& Ioannem,vt in aquam reſoluti deſcendatis.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte fili Dei viui,qui pro redemptione generis humani,acerbiſſimũ illum dolorem,in ſacratiſſimarũ manuũ tuarum,ac pedum transfixione, charitate ſumma perpeti dignatus es: Te ſupplices deprecamur,ac petimus,vt pręſentem,aliãq; omnem tempeſtatem, ac dœmonum perturbationem à termino iſto atq; ab omnium Chriſtianorum finibus tua poteſtate arcere, atq; per ſanctiſſimos illos clauos auertere digneris. Qui cum eodem Deo Patre,& Spiritu Sancto &c.

Maximæ virtutis contra Tempeſtates, eſt antiph. Beatæ Mariæ Virginis. Salue Regina Mater miſericordiæ &c. cum ſua oratione, per quam Sacerdos quidam tempeſtates fugabat. Prodeſt. Pſal. Qui habitat in adiutorio altiſſimi &c. Nec omittenda putamus verba,quæ ſanctus Thom. de Aquino dicere ſolebat tempore Tempeſtatum. ſcilicet. Deus noſtri cauſa mortuus eſt, & reſurrexit. Miræ virtutis eſt,recitare Veſperas Immaculatæ B.Mariæ V. Conceptionis. Tandem, ſciendum eſt, quod, inuocato ſanctiſſimæ Trinitatis nomine,his verbis. ſancte Deus. ſancte fortis. ſancte,& Immortalis miſerere nobis,Tempeſtates,hominumque malitiæ coercentur. Diſcipulus in ſermone 75. de Trinitate.

Benedictio contra vermes, locuſtas, mures, & alia animalia, fructus, terram,uel aquas inficientia. Cap. VII.

Sacerdos, ſuperpelliceo,& ſtola indutus dicat.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum,& terram.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum Spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

PReces noſtras quæſumus Domine clementer exaudi, vt qui iuſte pro peccatis noſtris affligimur, & hæc auium, vermium, ſeu murium, aut locuſtarum, (vel aliorum animalium) perſecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea miſericorditer liberemur, vt procul à tua potentia expulſi nemini noceant, & hos campos, agros, vel vineas, aut aquas, in tranquillitate, & quiete dimittant, quatenus ex eis ſurgentia, & orta, tuæ maieſtati deſeruiant, & noſtræ neceſſitati ſubueniant. Per Chriſtum Dominum &c. Amen.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, omniũ bonorum remunerator, & peccatorũ maximus miſerator, in cuius nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, vt quod de tua miſericordia confiſi agimus, per tuam gratiam efficacem conſequantur effectum, quatenus hos peſtiferos vermes, mures, aues, locuſtas, aut alia animalia per nos ſeruos tuos maledicendo maledicas, ſegregando ſegreges, exterminando extermines, vt per tuam clementiam ah hac peſte liberati, gratiarum actiones maieſtati tuæ liberè referamus. Per Chriſti &c. Amen.

Exorciſmus.

EXorcizo vos peſtiferos vermes, mures, aues, locuſtas, aut alia animalia per Deũ Patrẽ omnipotentẽ, & Ieſum Chriſtũ filium eius, & Spiritum ſanctum ab vtroq; procedentem, vt confeſtim recedatis ab his campis, ſeu vineis, vel aquis: nec amplius in eis habitetis, ſed ad ea loca tranſeatis, in quibus nemini nocere poſſitis, pro parte omnipotentis Dei, & totius curiæ cœleſtis, & Eccleſiæ Sanctæ Dei vos maledicens, quod quocunq; ieritis ſitis maledicti, deficientes de die in diem in vos ipſos, & decreſcentes, & quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inueniantur, niſi neceſſariæ ad ſalutem, & vſum humanum. Quod præſtare dignetur, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſeculum per ignem. Reſp. Amen.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui Iordanis flumen benedixiſti, & in eodẽ baptizatus aquas mundaſti, & purificaſti, vt elementũ ſalubre efficerentur in remiſſionem peccatorum, & has aquas quoq; bene†dicere, & ſancti†ficare, & mun†dare digneris, vt nihil in eis noxium, nil peſtilens, vel inficiens, nil corrumpens remaneat, ſed

omnia

omnia pura, & munda in eis efficiantur, quatenus, quæ ad vſum humanum ex eis creata ſunt, cum ſalute noſtra, & gloria tua aſſumamus. Per Chriſtum &c.

Remedia contra Incubos,& ſuccubos dæmones. Cap. VIII.

IN triplici differentia ſolent eſſe,qui ſollicitantur ab Incubis, & ſuccubis dæmonibus. Sunt aliquæ mulieres, quæ ſe voluntariè Incubis dæmonibus ſubijciunt,vt maleficæ. Alij ſunt,qui à maleficis cum Incubis,& ſuccubis,contra eorum voluntatem inuoluuntur. Tertiò,alię ſunt, & hæ ſunt præcipuè quædam Virgines, quæ contra earum omnino voluntatem ab incubis dæmonibus moleſtantur,de quibus præſumitur ſæpe,quod ſic a maleficis maleficiantur, quia dæmones ad inſtantiam maleficarum, ſicut immittunt alias infirmitates, ita, & illis perſonis incubos fieri affectant,quo ſic eas ad ſtulta eius commenta allicere valeant.

His vexationibus diuerſimodè ſolent adhiberi remedia, ſed multoties fit, vt quæ conferunt vni, non conferant alteri; quare non ſic de facili expelluntur iſtæ vexationes, ſiuè ſint per maleficia, ſiuè non: Quinq; igitur modis poſſunt,& mares,& fœminę liberari. Primo,per Sacramentalem Confeſſionem,& per ſignum Sanctæ Crucis. Secundo, recitando ſalutationem Angelicam. Tertio, per exorciſmorum applicationem. Quarto, per certi loci mutationem. Quinto, per Sacerdotum excommunicationem: ſed quia de his remedijs exempla in hoc tertio libro reperies alibi, reſtat ſolum,vt de excommunicatione vnum afferam.

Fœmina quædam ſollicitabatur ab incubo dæmone, & S. Bernardus,poſt adhibitum prius aliud remedium,antequam à muliere diſcederet;videns diabolum minas mulieri intentare, poſt eius diſceſſum:conuocauit,Sanctus, populum illius oppidi. Iuſſit omnes in manibus tenere accenſos cereos,& tunc diabolum,cum omnibus, qui aderant excommunicauit, & ne amplius ad illam acceſſum haberet, interdixit; Itaq; mulier liberata eſt.

Quocirca piè credendum eſt, quod ſi ægritudines à maleficis, virtute dæmonum inflictæ excommunicarentur cum ipſis maleficis authoribus, & dæmonibus, non adeò in ipſos infirmos ſceuirent, ſed citius liberarentur adhibitis ſuper hoc alijs exorciſmis licitis,& approbatis.

Adde, quod in partibus Athiſis,& in alijs quoq; locis,dum Diuina permiſſione, locuſtæ volantes turmatim,vineas, ſegetes, arbores,

bores,& cuncta virentia perderent,huiuſmodi excommunicatione,& maledictione fugatæ,& interemptæ fuerunt .

Si verò nullum prædictorum remediorum iuuabit tũc ad exorciſmos approbatos eſt recurrendum; qui ſi pariter non iuuabunt, ad fugandam diaboli nequitiam;tunc re vera dicendum eſt,quod talis vexatio diabolica, eſt pœna pro peccatis ſatisfactoria (ſi tamen patienter ſuſtineatur) quia hæc, & alia huiuſmodi mala ſic præmunt nos , vt ad Deum compellant , iuxta pſal. multiplicatæ ſunt infirmitates eorum,poſtea accellerauerunt .

Remedia contra maleficia amatoria, uel odioſa . Cap. IX.

AMor inordinatus vnius ſexus ad alterum, poteſt tripliciter oriri . Vel ex ſolo inconſiderato oculorum intuitu : Vel ex tentatione dœmonum : Vel tandem ex maleficio,maleficarum,Necromanticorum,& diaboli ſimul. Iacob 1. vnuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus , & illectus . Exemplum patet in Sichen , viſa Dina Iacobi Patriarchæ filia , quam adamauit, & rapuit, & conglutinata eſt anima eius cum ea. Gen 34. Hoc autem fit vt plurimum,quando poſtpoſitis rebus proprijs, alienarum quis ſatagit . Oritur etiam ex tentatione diaboli , patet exemplum de Aman , amando Thamar ſpecioſiſſimam eius ſororem,ægrotauit.2.Reg. 14. quare à diabolo tentatus , & ſtupri oblitus, illam oppreſſit . Paulus etiam ſic tentatus dicebat 2. Corinth. 12. datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ,qui me collaphizet. De Tertio, extat exemplum in ſecundo lib.in cap. de malefic. amoris,& odij de muliere illa , quæ non poterat pati coniugem dum vellet cum ea coire . Remedia autem contra huiuſmodi maleficia,optima ſunt Chriſtiana,& illa præſertim,quæ contra omnia maleficia vim habent, Eccleſiaſtica, de quibus infra,in hoc libro . Sunt , & alia quædam moralia , quibus caro maceratur , & concupiſcentia domatur qualia ſunt,opera pœnitentiæ: humi cubatio:cilicia:flagella:ieiunia . Alia ſunt,quæ partim omittendo,partim committendo iuuant .

Omittendo ſunt,vt vitare conſpectum rei amatæ;ocium,& alia libidinis irritamenta de quibus diſſeruit Helinandus : vis, ait, extinguere libidinem,amoue ligna de igne,ſi ſtridet incendium:hęc ligna plurima ſunt,ſed potiſſimum hæc .

Ocia,ſegnities,ſomnus,caro,fœmina,uinum :
Proſperitas,ludus,carmina,forma,puer .

De ocio, ait ſcriptura ſacra in deſiderijs eſt omnis ocioſus. Et Ouid.

Ocia ſi tollas periere Cupidinis arcus.
Deſpectaq; iacent, & ſine luce faces.

De ſegnitiæ. Martialis.

Quæritur Aegiſthus quare ſit factus adulter,
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

De ſomno, ait Dioniſius Cato.

Nam diuturna quies uitijs alimenta miniſtrat.

De carne, ait Apoſtolus. Bonum eſt non manducare carnes.

De fœmina, ait Helinandus. Mulier dicitur à moliendo, vt & malleus, quia ſicut faber per malleum mollit ferrum, ſic diabolus per mulierem mollit, & malleat vniuerſam terram. D. etiam Hieron. ait ferreas mentes libido domat & Claudianus.

Ferrea laſciuis molleſcunt corda ſagittis.

De vino, ait Apoſtolus. Nolite inebriri vino, in quo eſt luxuria. Item Virgilius:

Et Venus in uinis, ignis in igne furit.

De proſperitate. Ouid.

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis.

Item prouerb. proſperitas ſtultorum eos perdet. Et D. Auguſt. ſecundæ res ſapientum animos fatigant: plus obfuerunt Salomoni, quàm profuerit ipſa ſapientia: E contra aduerſitas retrahit aliquando à peccatis.

De ludo, pro quo intelligitur omnis iocus, & mœſtitia repugnat libidini, vt ait, poeta.

Non ſolet in mœſtos illa uenire Thoros.

De carmine, ſub quo nomine, omne melos muſicum compræhenditur. Iſai. Cythara, & Lyra, & Tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs veſtris: hinc, & opus Dei non reſpicitis. Addit Helinan. difficile inuenitur aliquis lenis vocis, & grauis vitæ: quippe cum vocis lenitas cantum deſideret, vitæ grauitas planctum.

De forma, illud legitur. Rara eſt concordia formæ, atq; pudicitiæ. Item lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

De puero, ait Helinandus. Quantum enim periculi ſexus adfert in muliere, tantum ætas in puero: periculoſa eſt ætas pueri: periculoſior ſocietas: periculoſiſſima vero familiaritas, vnde legitur in vitis patrum; non habendam familiaritatem cum fœmina, puero, vel heretico. hactenus de omiſſione.

Quæ autem committi debent, pro hoc opportuno remedio, refert Marſilius Ficinus in conuiuium Platonis, videlicet, conſidera-

re

re diligenter, ac animo reuoluere defectus, & vitia, quæ ſunt in amata muliere, quibus cõſideratis, refrigeſcit amor. Inſuper, animus amantis eſt applicandus plurimis, varijs, & grauibus negotijs. Item, ſæpè minuendus ſanguis, ratio eſt, quia natura non patitur vacuum dari, & minuendo primum ſanguinem, alius ſuccedit nouus: nouo ſuccedunt noui ſpiritus, & nouæ cogitationes, & ſic curatur inordinatus amor. hæc Marſilius.

Prodeſt plurimum mortis memoria, & inferni cogitatio: Lectio bonorum librorum: preces ad Deum fuſæ: peregrinatio, & viſitatio Eccleſiarum particularium quorundam ſanctorum: peccatorũ ſuorum ibidem confeſſio facta cum contritione: ſigni s. Crucis, ac deuotæ alicuius orationis multiplicatio: licita exorcizatio, implorata auxilia Beatorum Angelorum, & præcipuè cuſtodis ſui. Inuocatio particularis Beatæ Mariæ Virginis, quæ vt caſtitatis amantiſſima, ſummoperè deſiderat, homines hac lue inordinati amoris, liberare.

Vtiliſſimum eſt, frequenter meditari, non ſolum externam illam cito perituram ſpeciem, quæ fragilis, caduca, mendoſa, & fucata eſt: ſed etiam cogitare profundiorem corporis conſtitutionem. Quid illa fuit antequam naſceretur? Stylla ſpurci, & olidi ſeminis. Quid nunc eſt? Saccus ſtercorum: aufer pelliculam cutis, quid illa tetrius, aut horribilius? quid cadaueri propius? Sterquilinium nunc contectum albet; fac vt ſoluantur niues. hui, pax pax naribus, & oculis omnes dicent, & fugient. Forma eſt niue fugacior, non liquatur, ſed euaneſcit: illam aqua excipit, hanc nil aliud, niſi deformitas, & formido: cum anima receſſerit quid futura eſt? Eſca vermium, cadauer putridum fœtens, tabe diſſoluendum, ex cuius ſpinæ medulla, ſerpens terribilis naſcetur. Hoc igitur amem? hoc depereain? Abſit.

Exemplum.

Fuit in quodam oppidulo prope Lindaruam Conſtantienſis Diœceſis Virgo facie pulchra, ſed moribus elegantior, hanc adamauit vir mente leuis, qui vulnus amoris vltra celare, nec protrahere potens, conuenit illam, & honeſtis verbis eius facem aperuit. Ipſa hoc percipiens, cum Dei auxilio, mente pura, & corpore, reſpondit. Obſecro domine mi, ne iterum ad me accedas huiuſmodi verbis, & cogitationibus, quæ honori meo inſidias ſtruunt, alioquin neceſſe erit, emendatus recedere, rubore ſuperueniente. Cui ille, ſi me modo ſpernis, dulcibus inuitata verbis, coactè poſt hac me amabis. Erat hic ſuſpectus de maleficio: Virgo, verba ſua nihili fecit, verum, non multo temporis tranſacto interuallo amoris faces ſentire cœpit de viro illo, quod cum animaduertiſſet Vir-

go,

go, diuinitus afflata ſpiritu, ad Matrem Miſericordię confugit, auxilij gratia. Quare, procurata ſibi honeſta, ac tuta ſocietate, peregrinari cœpit ad Templum quodam B. Mariæ Virginis in præfata Diœceſi, ibi Sacramentalem confeſſionem fecit, ne quid iniquitatis reperiret in ea diabolus, & ad pietatis, & miſericordiæ Matrem, fuſis deuotè precibus, confugit, quo facto protinus omnis ceſſauit tẽtatio, & liberata eſt ab illa diabolica machinatione.

Remedia pro domo à ſpectris uexata. Cap. X.

REmedium pro afflictis, ſeu à maleficis vexatus, vel à diabolo maleficorum opera, is eſt, recurrere ad remedia Eccleſiæ conſueta, præcipuè ad emendationem malæ vitæ. Duo enim in eorum tribulatione ſunt conſideranda; Deum ſcilicet, qui hæc mala permittit, & diabolum, qui mala infert: nihil enim hic inferre poſſet, niſi Deus permitteret: nec nocere poteſt, niſi in quem permittit Deus, vt ſæuiat: nec plus illi ipſi nocere, quàm, quantum permittit Deus, & longè minus poteſt diabolus, quam vult, aut iactat ſe poſſe; vt alias docui. Hoc probauit S. Antonius dicens diſcipulis ſuis. Pertimeſcit ſatanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam, & humilitatem, maximè vero ardentem amorem in Chriſtum Dominum, cuius vnico Sanctiſſimæ Crucis ſigno debilitatus aufugit. Et alibi etiã ait, hamo Crucis vt Draco inuncatus à Domino eſt, & capiſtro ligatus, vt iumentum, & quaſi mancipium fugitiuum vinctus circulo, & armilla labia perforatus. Nunc miſerabilis, vt paſſer ad illudendũ irretitus à Chriſto eſt, calcaneo Chriſtianorum ſubſtratus gemit ille, qui vniuerſa maria à ſe abſorpta plaudebat, ille, qui manu ſua terrarum orbem teneri gloriabatur; ecce à nobis vincitur, hæc ille. Quare, homo, tibi imputatur, quod in te poſſit. Ait enim Auguſtinus ſerm. 197. de tempore. Alligatus eſt diabolus cathenis, tamquam innexus canis, & neminem poteſt mordere niſi, qui ſe illi mortifera ſecuritate coniunxerit. Iam videte fratres, quia ſtultus eſt homo ille, quem canis in cathena poſitus mordet: Tu, te illi per cupiditates, & voluptates ſeculi noli coniungere, & ille ad te accedere, non præſumet. hæc Auguſtinus.

Cauſæ autem cur Deus permittat diabolum nos vexare, ſolent eſſe peccata, vel probitas famulorum eius: propter peccata permittit, vt puniat præterita, vel vt arceat à futuris: probitatis verò gratia permittit, vt magis humilietur, vel vt probetur eius cõſtantia.

tia,& fides,& his de cauſis Deus vtitur diabolo tamquam lictore ; & carnifice bonorum, quamuis diabolus alium longè finem ſibi proponat, & Dei voluntatem ignarus exequitur, non cogitans, hæc ad ſalutem humanam, & gloriam diuinam à Deo dirigi, ſed vim facit exſaturando malitiam ſuam, & explendo odium ſuum, dum hominibus nocet.

Si aliqua domus igitur ſpectris, aut alia diaboli infeſtatione ſit inquieta, ſtatim habitatores conſcientiam expurgent, conterantur,& de peccatis confeſſionem Sacramentalem inſtituant: omnia de domo auferant, quæ Deo diſplicere poſſunt. Deuotè ſe inſuper Deo, B. Virgini Mariæ,& Sanctis commendent,& interea dum durat vexatio, quotidie, mane, & veſperi Sacerdos habitu Sacerdotali indutus, cum ſtola, cruce,& aqua benedicta accedat,& luſtret omnia domus habitacula, deuotè recitans pſal. Qui habitat in adiutorio altiſſimi &c. Euangelium S. Ioannis. In principio erat verbum &c. & alias preces pias, ac exorciſmos. Ponantur per angulos domus rami benedicti, palmarum, & candelæ benedictæ: curent miſſas celebrari à deuotis Religioſis pro pace, & quiete domus illius,vt ceſſet ira Dei, & mittat Angelum ſuum cuſtodem, qui de domo illa diabolum excutiat. Interim, caueant domeſtici, ne cum diabolo ſermonem vllum habeant, nec loquẽti illo,quidquam reſpondeant, multoq; magis caueant, ne aliquẽ Magum vocent,nec vllis ſuperſtitioſis remedijs,pro vexatione redimenda vtantur.

Remedia contra maleficia Iumentorum. Cap. XI.

SCiendum eſt,quod quando Maleficæ volunt priuare Vaccas lacte, conſueuerunt adire domum illam, cuius ſunt Vaccæ, & petunt modicum butiri, vel lactis coagulati, ex illis ipſis, vt per illud conficiant maleficium, illudq; ſeruiat pro inſtrumento maleficiali. Quoniam verò Sagæ maleficijs interficiunt etiam iumenta: Aduertendum eſt,quod illi, quibus talia accidunt, debent ſtudioſè perquirere omnia ſubtus limina oſtiorum, per quæ Iumenta ingrediuntur,& egrediuntur, vel etiam præſepia,vel etiam vbi adaquantur, quia ibi oportet fodere, & auferre terram illam, vel quidquid ibi repertum fuerit, & reponendo aliam terram,aſpergere illam aqua benedicta,quia confeſſæ ſunt Maleficæ,ibi aliqua inſtrumenta maleficialia occultare, ad inſtantiam diaboli, maleficæ enim fodiunt, & diabolus intromittit maleficium, quod eſt

res, vtiq; villiſſima, vt puta, lapis, lignum aliquod, mus, aut ſerpens aliquis; quæ omnia, etſi non inueniantur, terra nihilominus eſt auferenda, & alia terra reponenda, vt ſupra dictum eſt: diabolus per ſe operatur maleficia, ſed quærit conſenſum à malefica, vt & ipſa cooperetur operi nefario, per quod molitur eius perditionem.

De Remedijs contra maleficia ligaminis. Cap. XII.

DE frequentiſſimo noſtris temporibus maleficio ligaminis, paucula afferam ex Codronchio ſatis laudato, & docto viro; qui de curatione ſterilitatis, & impotentiæ agens, præmittit quoddam ſpirituale, & ſacrum remedium, deinde ſubdit phyſica nonnulla. Ait enim, (ex Arabum ſcola deſumptum) quod Iſaac Arabs conſuluit, vt coniuges, peracta peccatorum ſuorum confeſſione; Sacratiſſimum Chriſti corpus, diebus ſolemnioribus potiſſimum ſumant reuerenter, & poſtea oſculentur inuicē in oſculo pacis, & ſacerdos illis benedicat, & poſtquam exemplo Tobiæ triduo ſe ſe à venere abſtinuerint, debitum coniugale perſoluant. Quod ſi occulto Dei iudicio, vel aliqua coniugum culpa, veneficium non ſoluatur, orationibus ſedulis, ieiunijs, alijſq; operibus pijs vacare debent; ad miſſam ſæpius confugiant, peregrinentur, ac ſanctiſſimæ Virginis, vel aliquorum ſanctorum limina viſitent, frequenterq; peccata ſua confiteantur, ac ſacram ſumāt Euchariſtiam, & Exorciſmis ab Eccleſia huic rei ſpecialiter dicatis, religiosè vtantur. Quoad verò naturalia prorſus remedia, ſciendum eſt, quod ſi aliqua manifeſta qualitas in maleficio appareat, medicamentis aduerſus eam efficacibus, & benedictione munitis, tutò ac vtiliter vti poſſe. Idcirco, (ait ille) Cleopatra prodidit fel coruinum cum oleo ſeſamini mixtum, ſi ex eo totum corpus liniatur, ligatos iuuare. Iſaac ſcribit, quod ſi coniuges fel. Zangarini piſcis ſecum habuerint in paropſide iuniperi, & antequam ſomnum capiant eo ſuper carbone poſito fumigentur, omnia veneficia euaneſcere. Nicolaus Florentinus laudat Theriacā cum ſucco Hypericonis exhibitam, & hypericon ad formam emplaſtri renibus appoſitum. Ioannes de Vigo, ait, quod Picus auis aſſata, vel elixata habet virtutem ſoluendi maleficiatos. Alij cū Plinio volunt Abrotanum oleo illitum, & cum vino ſumptum, non parum prodeſſe. Denique generalia remedia hic proſunt quoq; ferè omnia, quibus omnibus illud primum Iſaaci Chriſtianum

monitum, ſemper præmittendum cenſeo, nam quanta ſit vis, & vtilitas remediorum Eccleſiaſticorum, in eorum deſcriptione, vt infra, licebit videre.

De Remedijs naturalibus contra Maleficia. Cap. XIII.

SVnt nonnulli, qui omnem omnino efficientiam rebus corporatis in dæmones tollunt: ſunt & alij, qui directam vllam vim naturalem in dœmones concedunt, ſed aſſentiri ijs, qui ſecundariam, & indirectam tantum tribuunt, iuſtum mihi eſſe videtur, quæ ſententia peritiorum medicorũ, & Theologorum fuit, vt Dionis. Cartuſiam. *a* Leuini Lemnij. *b* Baptiſtæ Codronchi. *c* Cæſalpini, & aliorum. Nulla naturalis rei corporeæ vis eſt, quæ diabolo poſſit præualere, aut directè in illum aliquid agere, cui, nulla ſuper terram poteſtas eſt, quæ comparetur, qui factus eſt, vt nullum timeat, vt legitur. Iob 41. Sed concurrente naturali agenti cauſa ſupernaturali Deo, vel Angelo, agere poteſt in diabolum res corporea, eumq; poteſt expellere, & excruciare. Verum, tum agens primarium & directum, eſt ſupernaturalis illa cauſa; ſecundarium verò, & indirectum eſt, corporeæ rei vis naturalis illi initio creationis à Deo inſita. Hoc ergo in ſequentibus remedijs, ſemper ante oculos habendum eſt, nec eorum vis, vlterius extendenda.

a In Tob. c. 8.
b lib. 2. de occul. nat. mirac.

Plinius dœmonum, ludibrij arcendis, peoniam commendat, ſed nigram. Dioſcorides *d* ſcribit, veneficia depelli Rhamni ramo ad valuas, & feneſtras poſito. Apuleius *e* valde commendat verbaſcum, alij rutam agreſtem. Dioſcorides *f* laudat ſcillam in limine ianuæ ſuſpenſam. Plinius *g* laudat pellem capitis lupini affixam vllæ valuis, vel lupi roſtrum. Alij commendant plurimas herbas (apud Codronchium) Ariſtot. *h* rutam. Dioſcorides, & Plinius, Hypericon, quod ideo fugam, dœmonum vocant, verbenam, quam veteres dixere, herbam ſanctam, alij, artemiſiã, alij, Mythridatium, Scordites, Centaurium, Sabinam, Palmam Chriſti, alij Saluiã, Anetum, Marrubium, Fœniculum, Iuam, Calaminum, Allium, Rutã Caprariam, & Cupreſſum. Imò, & in humano ſanguine vis aliqua naturalis indirecta ineſſe poteſt, vt menſtruata mulier agros circundante, noxia vermia necari cenſuerũt Dardani ſectatores apud Columellam. Banairolus ſcribit Ennead. muliebri cap. 2. Si menſtruo cruore domus alicuius poſtes inungantur, dœmoniacis magorum artibus, & inſidijs aditum

c lib. 25. c. 4.
d lib. 1. c. 100.
e lib. de virt. herbar. c. 71.
f lib. 2. c. 168.
g lib. 20. c. 9.
h in probl. 34.

omnem præcludi: alij multa dicunt de lapidibus.

De Adamante. *Et noctis lemures, & ſomnia vana repellit.*
De Corallio. *Vmbras dæmonicas, & Theſſala monſtra repellit.*
De Gagate. *Idem dæmonibus contrarius eſſe putatur.*
Vincit præſtigias, & carmina dira reſoluit.
De Iaſpide. *Et ſicut perhibent phantaſmata noxia pellit.*
De Onice. *Inſomnes lemures, & triſtia cuncta figurat.*
De Cammaleonte. *Cammaleontis hepar toſtum nicromantica pellit.*
Appenſum collo.
De Aſino. *Infantem cunas pellis villoſa defendit.*
Horrificoſq; metus pellit, & iſta ſimul.

Theologis placet, & eſt veriſſimum, res corporeas in naturam intellectualem, & immortalem, qualis eſt dœmonum nihil poſſe, quare, cenſent cum Angelo in verbo, ſuperſtitio, queſt. 6. lapides, herbas, particulas animalium, & alias medicinas, directè, & proximè nihil in dœmones operari; indirectè tamen, & medicatè, iuuare contra eius conatus maleficos, eo quod impediunt, vel auferunt diſpoſitiones illas, quibus diabolus vſus fuit, ob naturalem habitum corporis illius, quem vexat, vel ſaltem inuitatus ratione influxus aſtrorum, vt de lunatico Euangelico Origenes, & Hieronimus cenſuerunt, vel ratione complexionis atrabeliariæ, & ſimilium cauſarum.

Codrõchus, pro Energumenis, quatuor præſcribit modos curationi conſentaneos, ſic dicens. Primo, & ſi res ſenſibiles, vt fumus, & herbæ &c. ſua virtute nequeant vexationem homini à diabolo illatam, repellere, mitiorem tamen, ac leniorem poſſe reddere, ita vt, ſi moleſtia, quæ à diabolo infertur, ſit parua, ac leuis, eam penitus, res exteriores poſſint auferre, non in diabolum; ſed in dœmoniacum agendo, eo ipſo quod, ex rebus illis adhibitis, appoſita diſpoſitio introducatur illi, quam diabolus expetit, aut indidit.

Secundo, quod quæcunq; fiunt circa corpora obſeſſa, dœmones accipiunt, vt facta, & vergentia in ipſorum deſpectum, ac ludibriũ, præſertim ſi ſint irriſiua, vel afflictiua, vt ſunt flagra: item omnia fœtida, & amara, & ſimilia, quare, cum ſint intollerantes iniuriæ, malunt fugere, & â moleſtia inferenda deſiſtere.

Tertio, quod, cum iſta interdum ſint ſigna recordatoria, & penarum, quas luunt, memoriam renouent, ab ijs dæmones valde abhorrent, eaq; vehementer deteſtantur, & ideò in fugam facilè, per hæc conuertuntur. Exempli gratia. Sulphur cum igne, ſignum eſt carceris infernalis. Ruta, amari cruciatus Chriſti: Thus in

igne

igne poſitum repræſentat orationes ex charitate accenſa naſcentes.

Quartus modus, quem iudicat magis veritati conſentaneum eſt, quod res huiuſmodi piè, ac religiosè adhibitæ, tamquam inſtrumentum Diuinæ iuſtitiæ in diabolum agunt, illumq; ab humanis corporibus expellunt, & eius effectum, eiuſq; opera venefica deſtruunt, & remouent. Quibuſdam enim rebus Deus dedit virtutem, vt ſi piè adhibeantur, tamquam inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ, dœmonum effectus, & opera, venefica deſtruant, & remoueant. Quibuſdam enim rebus Deus indidit vim, & qualitatem quandam moralem dœmones compellendi, & eijciendi, & energumenos iuuandi, quia conſentaneum eſt iuſtitiæ diuinæ, pro infligenda malis ſpiritibus pœna, eos rerum ſenſibilium actioni ſubijcere, qua pœna dempta, pœnæ Diuinæ viſionis, nulla poſſit illis acerbior contingere.

Debent tamen res iſtæ, antequam adhibeantur benedici, & exorcizari, precibus enim impetratur aliquid peculiaris energiæ, ob Chriſti, ſanctorumq; merita, ne quantum velint, hi ſpiritus in exitu, ac pulſione ſua noceant obſeſſis Hactenus Codronchius.

Federicus Iametius phyſicus clariſſimus, remedijs naturalibus, quæ deleterijs, & maleficijs obſiſtunt, addendum ce[illegible] herbam Paridis, quam nonnulli, Solanum tetraphillum appe[illegible]t, quod ex eius caule medio quatuor folia erumpant decuſſatim digeſta. Si enim huius herbæ ſemen in puluerem redactum, viginti continuis, diebus drachmæ pondere ieiuno propinetur, mentis alienationem, & inſaniam non ſolum ex morbi diuturnitate, & ſæuitia, ſed etiam ex maleficio, veneficioq; contractum diſcutit, auctore Matthiolo Diſcoridis interprete. Ariſtolochiam rotundam cæteris venenis reſiſtere; longam verò aduerſus angues, & veneficia drachmæ pondere ex vino bibi, & illini, teſtis eſt Dioſcor. Recentiores medici tradunt huius ſiccæ radices, ſuffitam domum cacodæmonas fugare, & hilares infantes reddere. Idem ferè Dioſcorid. aſſerit de Verbenacæ ſpecie altera, quam ſacram herbam nominant, ait enim, ſi aqua aſpergatur per triclinium, in qua ſacra herba maduerit, lætiores conuiuas fieri, eamque ſacram vocari, quoniam in expiationibus ad amuleta plurimum commendatur, quod à Plinio quoq; refertur. Inſuper, recentiorum pleriq; aiũt, Verbenacæ decoctum, peſte laborantibus exhibent, ijſq; conferre credũt, quod Dodonæus tamen improbat, exiſtimatq; hanc technam, hoc inuentum eſſe diaboli, qui falſa, pro veris: inſalubria, pro ſalutaribus; ſuo more ſupponat, & obtrudat. Iam verò hypericon,

pericon, quam fugam dæmonum appellant, emplaſtri modo admota, frigidos, & meleficio deuinctos, ſoluere dicitur. Pithagoras Scillam in limine ianuę ſuſpenſam, mali medicamenti noxam arcere, memoriæ prodidit, teſte Plinio, & Dioſcoride: ſanguis canis nigri parietibus illitus, pellit maleficium. Idem efficit cor Leporis pelli inuolutum, & geſtatum, & lupi dexter oculus. Quin etiam radix Bryoniæ ſiccata, & collo appenſa, & Ricinus, ſeu Palma Chriſti, à maleficis, & veneficis hominibus ſecuros reddunt. Nec minus efficax eſt ad id argentum viuum appenſum, vel geſtatum, vel puluinari ſubiectum, lapis aquilæ, quem, Aetitem, vocant, incluſus, annulo, & geſtatus, maleficia tollit. Berillus, & Magnes, vxorem, & virum inter ſe conciliant. Corallium item, odia domeſtica, & deſidia componit, venenatis poculis medetur, incantamenta, diraſq; deprecationes amouet, cuius rei teſtis eſt, Orpheus, ſiuè quis alius author libelli, de lapidibus, qui ſub ipſius nomine circumfertur. Eodem authore, & Galactites lapis collo ſubnexus, faſcinationes prohibet: & Gagates ſuffitu, ac nidore ſerpentes abigit. Quod Nicander, & Dioſcorid. Nicandrum ſequutus confirmant. Hinc Marbodeo fortaſſe occaſio data eſt, ſcribendi, Gagatem dæmonibus contrariam eſſe, quoniam cacodæmon humani generis hoſtis infeſtus, ſerpens, etiam in ſacris litteris nũcupatur. Hæc igitur ſunt, quæ peculiari, & occulta proprietate maleficis, & occultis affectibus reſiſtunt, quemadmodum, & in manifeſtis morbis, Pæonia, comitiali morbo: hirundinum vſtarum cinis, anginæ: calculo hircinus ſanguis: colico dolori cingulum è lupi inteſtino compactum: Vulpeculæ pulmones, aſthmati, ſiue anhelitui difficili, aduerſantur. hæc Federicus.

De remedijs diuinis, & ſupernaturalibus. Cap. XIV.

Doctrina.

HViuſmodi remedia plura eſſe ſolent, quibus vti homines debent, quia animæ proſunt ſemper, & corpori nunquam nocent: ſæpe numero à morbis, & alijs maleficiorum noxis liberant, aut præſeruant. Hæc Sapientiores Medici, & catholicæ ſentientes approbant, vt Ioannes Fernelius, *a* Cornelius Gemma, *b* Baptiſta Codronchus, *c* Andreas Cæſalpinus. *d* & alij.

Primum remedium eſt in hoc genere: Vera & viua fides, hoc eſt, charitate Dei, & proximi vallata, hanc tamquam ſcutum nobis

a lib. 2. de add. c.
b In Coſmocr. t.
c Lib. de morbis veneſ.
d Diſquiſit. de natu dem.

præbet D. Paulus; *e* hanc commendat diſcipulis ſuis magnus ille Antonius, dicens, magna dilectiſſimi aduerſus dæmonem arma ſunt, Vita ſincera, & intemerata in Deum fides. Idem affirmat Cornelius Chempenſis, *f* in illis verbis. Circa tempora Imperatoris Lotharij erant paſſim in Friſia &c. mox ſubdit idem author. De mandatorum Dei obſeruantia, & vitę innocentia, quàm ſint efficax remedium, docere poſſunt D. Cyprianus, *g* & Lactantius, *h* & Ambroſius Ansbertus. *i* Et Niderius K ex Petri cuiuſdam dictis laudat quinque efficaciſſima remedia: quæ ſunt. Habere fidem integram, & Dei præcepta ſeruare: Se ſigno crucis, & oratione munire: Ritus & cæremonias Eccleſiæ colere: Publicam iuſtitiam bene exequi: Chriſti paſſionem verbo, vel memoria ruminare.

Secundum, eſt legitimus in Eccleſia Catholica Sacramentorum vſus; vt pro nondum initiatis, Baptiſmus; nam conſtat experientia, eos quos ſcitur nondum baptizatos à maleficijs liberari, per baptiſmum abſolutè collatum: eos quos probabiliter putamus non baptizatos per baptiſmum ſub conditione, idem conſequi. dixi probabiliter putamus non baptizatos, quia ex leuibus coniecturis id putare non ſufficit, ne ad conditionale quidem lauacrum. *l*

Tertium remedium, eſt recurrere ad ſanctos viros, & auxilium ab eis petere, quos conſtat habere donum miraculorum (quod donum, & ſi rarius ijs etiam poteſt competere, qui vitæ ſunt non probatæ, vt in Euangelio, *a* dum tamen fidem rectam habeant) hoc remedium, quia vix vlli tales hodie, ſaltem in Europæ regionibus, vix vſui hic ſit, olim frequens fuit: Sunt enim plenæ vtiliter ad ſanctos confugientium exemplis omnes ſacræ hiſtoriæ; neque tum qui Dæmonia eijciebant, erant omnes præditi ordine Eccleſiaſtico Exorciſtarum, vt conſtat. *b* Sanè olim Sancti viri dæmones fugabant, & vincebant ſola interdum præſentia ſua, vt legimus de B. *M*achario Alexandrino apud Palladium cap. 19. & 20. de Aegyptio apud Sozomenum lib. 6. cap. 20. & Sancto Guthberto apud Bedam, in vita Sācti Guthber. cap. 15. & de Ruſtico apud Caſſianum collat. 14. cap. 7. & de alijs multis, vt paſſim legitur in ſcripturis.

Quartum, eſt Exorciſmus Eccleſiaſticus. Circa hoc notandum, hunc ordinem Exorciſtarum in Eccleſia iam ante annos 1300. ſeruatum fuiſſe, patet ex B. Ignatij Epiſtol. ad Antioch. Et Epiſt. Cornelij Papæ ad Fabianum, quam Euſebius conſeruauit, *c* & ex Firmilian. ad Cypria. *d* & ex alijs Patribus conſtat. *e*

Quintum remedium petitur à miſericordiæ operibus ſatisfa-

e Ad Epheſios 6. & 1. ad Theſſal. 5.
f Libr. 3. De origine & ſitu Friſiæ c. 31.
g Ad fortunatū de exhortat. martyrij.
h Lib. 2. c. 16.
i Lib. 5. in Apoc. c. 11
K In Epitom. Formic. c. 4.
l Vide Socum in 4. diſt. 3 art. 9.
a Mat. 7. Marc. 9. Luc. 10.
b Clemēs Rom. li. 8. conſt. c. 32 Iuſtinus Martyr dial. cōtra Triph. Tertul. in Apol. c. 32.
c li. 6. hiſ. Eccl. c. 35.
d Lib. 4. Epiſt. 7.
e Clemēs. Ep. ad Iacob. Anacl. Epiſt. 3. Caius Ep. ad Felicē Ep. Conc. Rom. ſub Siluestro can. 3. Antioch. can. 10. Carth. 4. can. 4. cui interfuit, & ſubſcripſit. Diu. Auguſt.

ſtorijs,Ieiunio,Eleemoſina,& oratione,Eleemoſinas commendat Canonum authoritas. cap. ſi ſortiarias. De ieiunio, inuenio id præcepiſſe cuidam Comitiſſæ S. Auxentium Abbatem. vt habet Metaphraſt. in eius vita, Februar. 14. Et Sanctus Procopius *Mo*nachus per Ieiunium ſæpius victoriam contra dæmonem obtinuit, accedente inſuper Chriſti teſtimonio Matth. 17. Marci 29. De oratione, extat verſus quidam Annonymi veteris verſificatoris, ſic dicentis. *Dæmones aderſus magna eſt oratio virtus.*

Sextum, eſt inuocatio deuota nominis Saluatoris Ieſu Chriſti, vel Beatæ Virginis Mariæ, vel petita opitulatio ab Angelo cuſtode. De nomine Saluatoris docent vetuſtiſſimi quinq; Eccleſiaſtici ſcriptores, tam conſtanter, tam frequenter, vt ſuperfluum ſic hic eorum verba coaceruare. *f* De Beata Virgine plura ſunt exempla, & præ cæteris illud notum Theophili, de quo præter alios egit. Honorius Auguſtodunenſis in ſigillo Mariæ. De Angeli cuſtodis ope Teſtis eſt Origen. libro ſexto contra Celſum, & Sanctus Golauduc, cuius mentio apud eius coætaneum Euagrium libro ſexto cap. 19.

f D. Iuſt. aduerſus Triph. Orig. lib. 1. cōt. Celſū Tert. de corona mil. ad ſcapulam, & in Apol. Cypr. aduerſ. Demetr. D Ath. de inc. verbi.

Septimum, eſt ſignaculum Sanctæ Crucis, de cuius præconijs liber eſſet ſolidus contexendus ex Sanctorum Patrum ſcriptis, & rerum geſtarum exemplis. Vide D. Cyprian. ſerm. de paſſione Chriſti. Origenem lib. tertio in Iob. Lactan. libro quarto cap. 24. D. Antonium apud Athanaſium. Ipſum D. Athanaſium de Incarnatione Verbi. D. Gregor. Nazianz. Oration. 1. in Iulian. & ad Nemeſium. D. Chryſoſtom. homil. octaua in Epiſt. ad Coloſſ. & homil. 50. in Matth. D. Cyrill. Cathecheſi 4. de Aſcenſion. Niſſenum in vita Taumaturgi. Hieronymum in vita S. Hilationis. Auguſt. lib. 2. de Symbol. ad Cathecumen. & ſerm. 81. de tempore Theodoretum in vita Macedonij, & lib. 3. hiſtor. cap. 3. & lib. 5. cap. 21. D. Gregorium lib. 2. dialog. cap. 10. & alios multos.

Octauum, præbent Sanctorum Reliquiæ, de quibus legitur. Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Cauendum ſolum, ne quas in hoc cultu ſanctiſſimo ſuperſtitioſas cæremonias miſceamus, vt monet Silueſter, verbo Reliquiæ: Sanctis enim odioſa ſuperſtitio, grata religio, id teſtata fuit B. Glyceria Martyr, ex cuius corporeis exuuijs vnguentum ſuauiſſimum, ac ſaluberrimum morbis omnibus medicamentum fluere ſolebat, quadam verò die, cum Epiſcopus Perinthi inſcienter argenteum quoddam vaſculum emiſſet, quod Magicis miniſterijs impenſum fuerat, continuo deſijt ſacri fluor vnguenti, quocirca rem diligentius inquirens Antiſtes, comperit vas il-

Sſ lud

lud nefandis rebus ſeruiſſe,quo ſublato, & altero repoſito, protinus vnguentum,vti prius fluere cœpit, narratur à Nicephoro lib. 18. cap. 32.

Nonum, in Eccleſia quoque vetuſtiſſimum,& miræ efficacitatis eſt, aqua benedictione ſacra, & ſolemni ritu ad id inſtituta; Vna eſt quæ dicitur baptiſmalis, in vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes conſecrari ſolita. Altera luſtralis ſingulis Dominicis initio primi ſacri conſecrata, nominatim ad Dæmonis impetum reprimendum, & alia pericula auertenda, iam in vſu ante Alexandri primi tempora,& ſemper à catholicis omnibus,magno cum fructu retenta, honorataque meminit, in vita Sancti Gregorij Magni, Ioannes Diaconus Monaſterij, per eius aſperſionem à Dæmonibus liberari, hodie miraculum illud apud Indos ſæpe renouatur. *a*

a Lib. 2. Epiſt. de rebus Iaponicis epiſt. 1.

Decimum, exhibent remedium res aliæ Catholico ritu ſolitæ benedici ad hunc effectum, vt cereæ formæ orbiculares, quas, Agnos Dei vocamus, propter agnum vna facie impreſſum, de quorum effectibus liber extat Vincentij Bonardi. Multa quoque Petrus Matthæus in 7.Decretal.cum conſecrantur à Pontifice Meximo,poſtulat ille à Deo,vt deuotè geſtantibus Deus tribuat plurima gratiarum genera. Item grana benedicta,cerei benedicti,ſal benedictum, & panis benedictus.

Vndecimum, ſunt pia ſcripta,ſeu amuleta ſacra ad collum appenſa,vt Symbolum Apoſtolicum. Initium Euang. ſancti Ioannis. In principio erat Verbum.vel Pſalmi alicuius particula,quò & olim vſi ſunt multi, & ſcribit Eman. Coſta, *b* Hormutij noſtris temporibus, hoc pacto Dæmonem ex Energumena pulſum. Sed vt hoc remedium ſit licitum, oportet,vt habeat duas conditiones iuxta D.Thom. *c* Prima eſt, vt pijs verbis nihil ſuperſtitioſi admiſceatur,vt ſi fideret quis figurę colorivè litterarum,vel modo ſcripturæ, vel materiæ membranæ,vel attramenti. Secunda,vt recta ſit gerentis intentio, veluti ſi pius verborum ſenſus obſeruetur, ſpes verò figatur in Deum.

b Cōmēt. rerum Indicarum. c 22. q. 96. ar. 4.

Duodecimum, eſt pulſatio campanarum Eccleſiæ Catholicæ (nam hæretici magis delectantur tonitruis bombardarum) quam docet experientia quotidiana, dæmonibus adeò infeſtam, & inimicam eſſe, vt ab ijs excitatæ tempeſtates, vel ingruentes impediantur,vel iam ortæ ſedentur, & aliò auertantur, vt rectè docuit Concilium Colonienſe cap. 24. iam veniamus ad exempla horum omnium, quæ docuimus.

Obſeruandum tamen eſt prius,non ſemper Eccleſiaſtica iſthæc

remedia

remedia eſſe efficacia, neq; ſemper homines per ea maleficijs liberari, duæ autem huius rei cauſæ ſunt præcipuæ altera eſt, peccatum maleficio læſi, vel medicina adhibentis, maximè, ſi ea non vacet ſuperſtitione, vel ſi modicam ſpem, fidemq; habeat, propter, quæ indignum effectu ſe præſtat: Altera, vt cenſeo eſt, maius bonum ægri, ſeu læti; nam afflictio, & ægritudo ſolent à multis peccatis homines abſtrahere, aut præterita peccata expiare, aut patienti meritum augere, & ſpectantibus, patientiæ, aliarumque virtutum ſpecimen præbere. Imò, (quod & Gentiles intellexerunt) præſtabilius, & fœlicius eſt, patienter aduerſa tollerare, quam illæſum nihil omino aduerſæ fortunæ deguſtare.

Exempla.

DE FIDE.

REfert Joannes Niderius ſequentia. Cum, ait, quidam Maleficus me inuocaret, vt quendam inimicum ſuum vita priuarem, aut in corpore læderem grauiter fulminis ictu, aut alio modo: Vocaui ego *Magiſterulum*, i. dæmonem, qui mihi reſpondit, quod neutrum facere poſſet, habet, inquit fidem bonam, & diligenter ſe ſigno crucis munit, idcirco non in corpore, ſed in vndecima parte fructuum ſuorum in campo, ſi libet, ei nocere poſſum. Epitom. formicā c. 4.

In Patrem noſtrum B. Ambroſium Iuſtina Auguſta Maleficum quendam nomine Innocentium immiſit, hic poſtea palam confeſſus eſt, ſe delegaſſe Dæmones, qui Ambroſium interficerent, ſed ne ad fores quidem domus, vbi manebat Epiſcopus accedere potuiſſe, eo quod ignis inſuperabilis omne illud ædificium communiret, à quo adhuc remoti vrerentur, atq; ita victas artes ſuas; quibus contra Sanctum Dei Sacerdotem, & Epiſcopum, ſe aliquid efficere poſſe arbitrabatur. Nazia. oratione cont. Cyprianū.

Narrat Caſſianus, Duos philoſophos Magicis pręſtigijs, & circumuentione Dæmonum conatos B. Antonium perturbare; ſed cum irrito labore nihil penitus præualerent, eò profecerunt tales, tantæq; eorum inſidiæ tanta Magica arte quæſitæ, vt per hæc euidentiſſimè comprobarent, magnam profeſſioni Chriſtianorum ineſſe virtutem, quibus ille tam ſæuæ, tamq; potentes vmbræ, quas exiſtimabant, Solem, Lunamq;, ſi ad eas directæ fuiſſent obducere potuiſſe, hunc non ſolum nihil lædere, ſed ne ad punctum quidem Vide Paulinum in vita Sāctī Ambr.

dem de monaſterio ſuo valuerint perturbare. Vnde Epiphanius in hæreſi Ebioneorum ſcribit, quod non valet incantantis vis, vbi eſt nomen Chriſti,& ſignaculum crucis.

Cornelius Kempius lib. 3. de origin. & ſitu Friſiæ c.31.

Circa tempora Lotharij Imperatoris erant paſſim in Friſia multa Laruarum Infernalium ſpectra, quæ in paruo quodam ſupereminentis collis ſupercilio ſubterraneum habebāt Specum, abſq; humana ope, artificio præſtigioſo extructum, in quo reſidebant quas antiquo vocabant, Albas Nymphas, quæ ſolebant nocturnos viatores gregumque,& armentorum intentos excubijs,& puerperas cum infantibus ſæpiſſimè in abdita ſua, & ſubterranea antra clanculum abducere, in quibus ſubinde ſubterranei murmuris ſonus, atque etiam vagitus infantium auditi ſunt,& præterea etiam ingens fletus, & gemitus hominum, & quandoque muſarum concentus,& voces dubia aure colligebantur. Qua de cauſa magna fiebat cuſtodia prægnantium mulierum,& paruulorum infantiū, ne ab iſtis Nymphis infernalibus clam abriperentur, quæ omnes Dæmonum illuſiones, poſt ſuſceptum ſincerum Dei Euangelium (erant enim tunc Friſij Sabelij, & Arij erroribus dementati) euanuerunt, & ad nihilum redactæ ſunt.

DE BAPTISMO.

Exempla.

DOcet hiſtoria Eccleſiaſtica, Tiridatē Armeniæ Regem, cum Chriſtianos Diocletiani tempore varijs cladibus,& damnis affeciſſet, & Gregorium quidem in lacum, luto,& altitudine moleſtiſſimum fame necandū miſiſſet: Ripſimen verò Virginem recuſantem illi obſequi, & ſocias eius ſanctimoniales plurimas crudeliſſimè necari iuſſiſſet, mox Dei vindictā conſequutā eſſe. Inuaſit enim eum inſania, qua planè dæmoniacè furebat, & mutata corporis figura in porcum, mentis emotæ, dentibus ſuas deuorabat carnes, cæteri quoque, qui eius facta approbarant, milites, Magiſtratus, & alij in furorem redacti ſimilia deſignabantj, & ipſi in ſues conuerſi (vt vult Nicephorus) vel mente tantum abalienati (vt cenſet Metaphraſtes) tandem baptiſmi lauacro abluti, corporis formam, & animæ mentiſq; ſanitatem receperunt, ipſo illos baptizante, & hortante ad penitentiam D. Gregorio Martyre, non quidem Taumanturgo, vt putant aliqui ſcoliaſt. Nicephori, ſed alio, vt docet Metaphraſt. neque hoc malum fuerat illatum vlla arte Magica

(vt

(vt cenſet eruditus uir) ſed Deo uindictam per Angelos malos exequente.

Rex Tartarorum Caſſanus, quem vocant alio nomine Magnum Cham, cum ducentis equitum millibus Syriam cepit, & finitimas Regiones; omnibus itaque formidandus petijt ſibi vxorem filiam Regis Armeniæ, quòd audiſſet eſſe pulcherrimam. Rex Chriſtianus tanti Regis viribus exterritus, dedit. Illa poſt aliquod tempus è viro ſuo Caſſano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, vt Rex maritus nullo modo illum veluti ſuum voluerit agnoſcere, quòd Monſtrum videretur. Vocat ad conſilium primarios, de ipſorum ſententia vxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio ſuſceptum vltimo ſupplicio adiudicat. Innocens mulier infœlicitatem ſuam deplorans, ad preces confugit, ignara cõſilij petijt, vt ſibi liceret baptizare, quem pepererat, data illi facultas, ita tamen, vt adeſſent baptiſmo aliqui ſpectatæ fidei viri vnà cum Rege, ne qua fraus fieret. Mira res, vbi baptizatus eſt puer, adeò venuſtus, ac formoſus apparuit, vt Rex tanta re permotus, cum plurimis nomen Deo dederit, & maximum Chriſtianæ rei factum fuerit incrementum. Idem narrat Fuſius D. Antoninus p.2. hiſtor. tit. 20. c. 8. §. 9. Veniamus ad recentiores narrationes æquè certas. Petrus de Chieza. *a* de Leon miraculi plenam de ſpectris victoriam huic Sacramento baptiſmi à Deo attributam deſcribit, ex quo fideliter narrabo.

Ioaunes Villaneus lib. 8. cap. 35. apud Thom. Boſium li. de notis Eccleſ. c. 16.

a p. 1. hiſtor. peruanæ c. 118.

Prope Anzermam, loco, cui nomen Pirſa, imperabat regulus, cui frater florenti ætate erat, quem nominabat Tamaracungam. Iuuenis hic mirè baptiſmum ſitiebat, ea cauſa Chriſtianos adire cupiebat, ſed miris eum viſis dæmones terrefaciebant: offerebant ſe ſoli videndos ſolidarum auium ſpecie, quas auros nuncupabãt. Cernens iuuenis Dæmones ſæuire, accerſiri Chriſtianum in vicinia degentem iubet, venit ille non ſegniter, & intellecta reguli voluntate, crucis ſignum fronti eius impreſſit, hoc magis irritari hoſtes illi, & ſæuiori ſpecie ſe inferre videbat ſolus Indus: Chriſtianus nihil niſi ſaxa cadentia, & dæmonum ſibila ſentiebat, aduenit tunc commodè eo loci Pachecus quidam Hiſpanus, & ſe ſocium addidit Chriſtiano alteri in diſcrimen. His cernentibus Tamaracunga trepidabat vehementius, & exalbeſcebat metu, quin, & per aerem raptabatur: id omnes videbant, & ipſum quidem quærentem, gementemque, illos vlulantes, ſibilanteſq; excipiebant auribus; ſemel cum Indus poculum vino plenum manu teneret, en tibi vas in aera afferri, & vino vacuum reddi, mox vinum in illud ex alto refundi, & formidine plenum Indum, veſte vultũ,

faciemq;

faciemq; cooperire tentat, ne horrenda illa ſpectra in oculos incurrant: ſic tecto faciem, non remotis veſtibus, nihilominus cretam in os ingerebant, vt obſtructo ſpiritu fauces præfocarent, tandem Chriſtiani, qui continuè interea Deum orarant, ſtatuere in vrbem Anzermam eum deducere, vt ibi ſalutari lauacro tingeretur. Dedere ſe comites viæ plures trecentis Indi, ſed adeò pauidi, vt ad Principem baptizandum propius accedere non auderēt; venerunt ſimul omnes, ad iter impeditum, & perfractum, ibi hoſtes humani generis nitebantur abripere in aerem, vt præcipitarent, ſed ille valida voce Chriſtianos orabat, vt illum adiuuarent, accurrerunt, & in medium agmen ſuum, recedentibus metu Indis, recepere, & cingentes eum funibus, funes cingulis ſuis alligauerunt, atq; ita medium ſtipantes ſimul incedebant, manu tres cruces præſeferentes, nunquam intermiſſis pro liberatione, & ſalute miſeri precibus; Ne ſic quidem omni moleſtia liberi proceſſere: ſæpius illum terra affixere hoſtes, & in viæ cuiuſdam accliui aſſenſu, vix manibus eleuare in aera volentium, & necare nitentium, extorſerunt. Vt ventum Anxermam in Pachechi domum Chriſtiani quotquot in oppido erant conuenerunt, ibi omnes cernebāt crebro grandine de tecto lapides deijci, & audiebant sybilantes, clamanteſque Dæmones, ſolemne illud, quo ſolent Indi Martem laceſſere, Hu, Hu, Hu, ferociter, & crebro celerrimè ingeminatum. Mortem dæmones intentabant, niſi voluntatem baptiſmi abijceret, contra Chriſtiani Deum obſecrabant, ne dæmones permitteret, erepta corporis vita Indo animæ vitam impedire. Gliſcente deinde Saxeo imbre templum petiere, ibi quia ſtramineum erat, Euchariſtia non aſſeruabatur, aiebant nonnulli, ſe ante ingreſſum, neſcio quos inambulantes audiuiſſe, vbi templum apertum eſt, & cum Indo ingreſſi cæteri, cernebat Indus Dæmones terribili ſpecie, ſed capite deorſum in terram ſpectantes, pedibus ſurrectis. Cumque frater Ioannes ordinis Beatæ Mariæ Virginis pararet eum baptizare, non viſi vlli Chriſtianorum dæmones, in omnium oculis Indum eripiunt, ſuſtollunt in altum, & capite deorſum, vt ipſi erant ſtatuunt. Chriſtiani tunc fide freti alta voce: Ieſu Chriſte adiuua nos inclamantes Indum extorquent, retentantibus, & iniecta collo eius ſacra ſtola, aqua luſtrali aſpergunt, attamen adhuc in templo ſybila, fremituſque audiebantur, Tamaracunga Dæmones cernebat, & colaphis frequenter cædebatur, adeò ut, & pileum, quem obtendebat oculis ei excuſſerint; & in faciem ab ijs conſpuebatur ſaliua fœtida, hæc nocte acciderunt. Orto mane Monachus ſacris ueſtibus induitur, ut incruentum

tum

tum offerat ſacrificium, uix miſſam incæperat, ceſſarunt ſybilla, fremitus, ululatus, ſtrepitus, deſijt Indus uexari: Peracto ſacrificio Tamaracunga cum uxore, & liberis baptiſmum flagitat, quo percepto fide robuſtior, & audacior factus, ſe iam Chriſtianum aſſerit, experiri uelle quid hoſtes poſſint, ſolum finerent periculum facere; ſolum non ſunt auſi aggredi: lætus ter, quaterué per Templum ambulans clamabat, gaudium non capiens, Chriſtianus ſum, Chriſtianus ſum: ut uidit ſe immunem, & uictorem domum redijt, nec quidquam amplius moleſtiarum ſenſit, tanta vis baptiſmi fuit.

In Bungo Anno 1596. Erat fœmina Gentilis à Dæmone obſeſſa; huic indicatum eſt à dæmone liberari non poſſe, niſi fiat Chriſtiana, cum illa annueret, & iam ſe ad baptiſmum pararet, nocte ſequenti, Dæmon ei diſſuaſit, ne fieret Chriſtiana, dicens: hactenus tanta familiaritate tanto tempore mihi es coniuncta, & nunc me deſeris? non abibis profecto inulta; dormienti itaque, nec ſentienti abſcidit capillos, uno tantum capillorum floco relicto; illa uerò cum ſummo mane deprehenderet ſibi ademptos capillos, & arundini lecto oppoſitæ implexos, calcar ea fraude ſibi aditum putauit, ut citius aduolaret ad baptiſmtm, quod & factum eſt, atq; eo ſuſcepto, manſit ab omnibus dæmonis moleſtijs immunis. Hæc refert Ludouicus Frois in litteris Iaponenſibus illius anni: addit etiam ſequentia.

In Ciazzurana Inſula gentili adoleſcentulo 18. annorum ſe crebro uiſendum offerebat canis ingens, horribilis, ruffus, qui eum alloquebatur, & per montes in loca abditiſſima deducebat, detinens eum ibi biduo, uel triduo, atque impellens, ut ſe manibus ſublatis adoraret, aliaque ſcriptione indigna faceret. Adoloſcens miſer uidens ſe tantas moleſtias à capitali generis humani hoſte perpeti, tandem profugium habuit ad Eccleſiam, doctrinam Chriſtianam audiuit, & didicit, baptiſmi Sacramento Chriſto deuinctus eſt, ac de cætero nunquam à tartareo illo cane diuexatus eſt.

Bungi circa annum 1549. quidam Ancillam habebat dæmoni familiarem, nam dæmon ad eam accedens uulpis figura ſingulis noctibus domo educebat, uerum per baptiſmum ſuſcepta fide, ab hoc ſpectro liberata eſt.

Fuit anno 1583. Monachij in Bauaria quidam adoleſcens Iudæus uiginti duos annos natus, communi omnium gratulatione in Aula Gymnaſij Ieſuitarum baptizatus; huic miras ſæpe dæmon inſtruxit inſidias, & quo magis urgebat ille baptiſmum, eò hic

impu-

impugnabat uehementius: Nudum penè de nocte ciecit ex ædibus, interdum etiam fauces illi premere, nonnunquam eum uiſis, ſpectriſq; terrere, vt de mente illa deijceret, conſueuit. Vultus dæmonis adeò fœdi, vt negaret adoleſcens parem ſibi vllum videri ijs imaginibus cruciatum. Pridie eius diei, quo baptiſmate luſtrandus erat, quoniam eo demum die de Victoria dæmonis agebatur, multo eum vehementius inuidus hoſtis exercuit, ita vt is, ne à pluribus quidem contineri loco poſſet: vt autem vi baptiſmatis Chriſti membrum effectus eſt, continuo fractus, debil itatuſque fuit Dæmon.

DE CONFESSIONE.

Exempla.

Bencius litt. prouinc. Mediol. 1591

IN Valle quadam Ciſalpina Diœceſis Nouarienſis deſtituebatur puella ſenſibus, ſed vt vmbrarum ſpectris, quas ſibi videre videbatur, reddebatur attonita, ac ſimilis ſtupenti. Verſabatur in vltimis finibus huius de qua loquimur vallis, mulier Veratrix, & Saga, quæ carminibus profitebatur ſanare, quæ apud alios inſanabilia eſſent, magni ad eam concurſus hominum conſilij gratia, & auxilij, & quamquam à Sacerdotibus & ſcelus oſtenderent, tamen illis abeuntibus adoleſcentulæ genitrix, affectu materno filiam mittit, conſulitq; mulierculam de vmbris, & remedium petit laboranti. Tum Maga; adducite puellam ad Sacerddtes, & ab ijs petite opem: Pater, & mater filiam adducunt itinere octo milliarum, idem exponunt, ac reſponſum Veneficæ, vtramq; adhibita peccatorum confeſſione, ſacro ſe Chriſti corpore communiri præcipiuntur, quo facto melius ſe habuit adoleſcentula.

Circa annum 1591. Muſiponti in Lotharingia puer erat, nobilis magis pollens genere, quam domo opulenta compingitur in Aulam parentum iuſſu à Gymnaſio abſtractus, ſed mobilitate ingenij, cum recuſaret, deſiderium prioris vitæ, ſtatuit inter calones verſari potius in caſtris, iter ingreſſo atra viri ſpecies occurrit in ſerica veſte, qui interrogans cauſam triſtitiæ, pollicetur remedium. Verum vbi ego te adiuuero, quid mihi erit premij? at puer, ſi totum, ait, me excuſſeris, ne teruncium quidem reperies, ſubijt alter, da te mihi modo: nulla tibi cupiditas fruſtra erit, exiſtimauit puer ſe in ſeruitium expeti, poſtulat tempus deliberandi, ille

contra

contra onerat promiſſis ingentibus, vt vel puero tanta iam vaniloquentia mira eſſet, ſuſpectare cœpit, num in figura hominis latitaret Cacodæmon. Mox cum tacitus totum eius corpus emetitur oculis, ſiniſtrum pedem animaduertit cum biffida vngula, ac deformi, ſtatim corruit, & Ieſum ingeminans, crucis ſigno armat frontem, & eodem tempore ſæua ſpecies euanuit. Tertio poſt die ad ſuos reuertenti eadem ſe offert imago, & proditur pedis eadē nota. Quærenti vtrum captum eſſet conſilium, Reſpon. puer, ſibi Domino opus non eſſe, rogatus quo iret, Vrbem nominauit, tum dæmon ante eius pedes crumenam iacit ſonantem, in qua triginta, quadragintavè flandrici nummi æreî, (ſicut ignis probauit) tū puluerem in linteo pernitialem tradidit, cuicunque ſubita morte tollendo, addit conſilia ad turpes libidines, & admonita, ab vſu aquæ benedictæ, & ab adoratione conſecratæ hoſtiæ (quam contemptu placentulam appellabat) abſtinendi. Eam blaſphemiā dum auerſatur puer animo pio, ſimulq; veretur, ne obtorto collo ſtranguletur à Monſtro, ſalutarem crucem imprimit pectori, ſtatimq; magno impetu alliditur ad terram, nec niſi poſt ſemihoram exurgit. Mox matri redditus, ac ſcholæ: & ſacra confeſſione expiatus, è laqueo venantium, metuq; ereptum eſſe ſe Diuina ope gratulatur.

Accipe vetuſtiora exempla. Nauigantibus è Phortea æſtuario tempore in Flandriam negotiationis cauſa, tanta ſuborta eſt ventorum vis, vt velis, malo armentiſq; ruptis, nauiq; fœdè inter tumentes vndas iactata, certiſſimam mortem cuncti expectarent. Nauta, tantam, tamque inſolitam aeris inclementiam eò temporis demiratus (ſuberat enim æſtiuū) ſolſtitiū cum id non ſyderum, ſed malorum dæmonū, qui hominibus ſemper ſunt infeſti, inſidijs magnis tribueret, clamoribus reddita eſt ex ima naui Mulieris ſe miſerè incuſantis, quod incubo dæmoni humana ſub effigie, qui cum per multos ante annos habuiſſet conſuetudinem, iam tum fuiſſet commixta, & ab eo ſubacta. Mari ego celerius ſe tradendam, vt pereunte ipſa, quæ tanti imminentis mali cauſam præſtitiſſet, cæteri Dei benignitate permanerent incolumes; Accedens ad lachrymantem fœminam, iubente naniculario Sacerdos, eius atq; cæterorum ſaluti conſulendi cauſa, crimen iam palam fatentem, horrendum ſcelus, vehementer alto ex pectore, ſuſpirijs indicibus, pœnitentemque facti, piè eſt hortatus, ne ſibi deeſſet, cui certo cognoſceret numinis fauorem adeſſe, crimina lachrymis, ac animi pœnitudine deleri. Tam miſerentis Dei clementiam eſſe erga mortales, vt altius, vel in malorum profundum lapſos, reſci-

Hector Boethus lib. 8. rerum ſcotī carum.

piſcentes, nonnunquam ad maiorem longè, quàm ante habuiſſent vnquam gratiam, recipiant. Media pij Sacerdotis adhortatione cum multis ſuſpitijs mulier admiſſum facinus deploraret, cunctis viſa eſt atra nubes è nauis ſentina proſilijſſe, ingentiq; ſono, flamma, fumo, atque fœtore ſe ſe deieciſſe in mare, & inde ſedatum eſt cœlum.

Lib. 1. miracul. c. 6.

Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis cum narraſſet horrendã Monachi cuiuſdam vexationem, neque eam oratione, & aquæ luſtralis aſperſione tolli potuiſſe, grauiter, & verè ſubiungit. Sed ne miretur aliquis benedictæ aquæ aſperſione Dæmonem non fugatum, agnoſcat tabe interitus latente, vnguenta exterius exhibita nihil proficere poſſe: tabem autem voco lethale peccatum, quod quandiù in interioribus quibuſlibet latuerit, nullius exterius Sacramenti percepto ei prodeſſe poterit, hortatus illum ad confeſſionem peccatorum Abbas faciendam, poſtquam confeſſus eſt, vexatio prorſus deſijt.

Lib. 3. miracol. cap. 13.

Narrat Cæſarius, Bonnæ quendam peſſimæ vitæ Sacerdotem, laqueo diebus ſuis finem impoſuiſſe; eo mortuo Concubinam pænitentiæ deſiderio Monaſterium ingreſſum, ſed Dei permiſſione ab incubo dæmone, ſæpius ad flagitium importunè ſollicitatam, crucis ſigno, & aquæ benedictæ aſperſione repuliſſe, ſed cum rediſſet, Angelica ſalutatione deuotè recitata, longius velut ſagitta ictum fugiſſe, neque adhuc dum finis, donec purè omnibus vitæ maculis confeſſione expurgatis abijt importunus procus, nunquam rediturus.

Niderius in formicar. Epitome. Litteræ Auſtriæ 1591.

Eadem peracta, Leodienſem quendam moleſtiſſimi ſuccubi dæmonis ludificationibus teſtatur ereptum. Subdamus recentius exemplum. In Auſtria anno 1591. Vir nobilis magno quodam, & furori proximo amore detinebatur, vt nullum eius, neque humanis, neque Diuinis admonitis faceret finem, ita veſano completa igne tota torrebantur præcordia; hac ratione furere deſijt terrore Diuinitus incuſſo. Leuicula correptus febri cum iaceret noctu lecto affixus, ante ſe uidere uiſus eſt Rhedam flammiferam, ſubiectumque equum igne flagrantem; tum Rhedarius informe monſtrum, tetrumque atq; ipſo malo dæmone truculentius, quo nihil terribilius mortalium timori eſt. Quid ceſſas, inquit? quin conſcendis currum meritis tuis dignum? horruit miſer ſubito pauore defixus, tãdem recepto animo, corripuit gladium lecto proximum, vibratq; vt ſubueniatur interim magna voce domeſticos vocans: trepidi accurrunt famuli, domuſq; tota ſopore diſcuſſo, quin etiam excitati vicini, nonnulli quærentes clamoris cauſam,

deinde

deinde prætexentes impoſitum fuiſſe auribus, oculiſq; formidine alleuandæ, verum cum fremeret adhuc eſſe in conſpectu, nec finiretur metus, inſinuaret ſe potius in pectora aliorum, intempeſta licet nocte itur ad Sacerdotes, mittuntur duo qui luſtrali aqua crucis ſigno, & in cera conſecrata imagine Agni, timorem tantiſper leniunt, dum affirmaret æger Dæmonem diſceſſiſſe in præſens minaci vultu, ſæueque iræ manifeſtum, detectis deinde peccatis, turpi perinde amore, quam triſti animum terrore liberauit. Ieſuitæ.

Eodem tempore in Bauaria Mulier ærumnoſa, leuitate naturæ, ſiue grauitate ærumnæ implorato Dæmone ſe ſe illi deuouit, vt opem ferret, & tum quidem non ſenſit præſentem, verum in poteſtatem, vt redijt ex mœrore, dedit pœnas iacti verbi, terroribus non tantum pauida, ſed & verberibus tunſa, vt etiam ab aditu templi prohiberetur, virgarum, quas ſola ipſa conſpiciebat intentu, cum rem narraſſet Matronæ cuidam, adducta ad Sacerdotem, ab eo confeſſione purgata, omni moleſtia liberata eſt, cerea cæleſtis agni imagine ad collum appenſa.

Idem remedium alteri fuit eodem morbo laboranti. Votum alia virginitatis, & monaſticam vitam, cum incæſtis nuptijs mutarat propinquorum impulſu non impunè, nempe coniuncta eſt cum viro nequam, neque deſerebatur vnquam ab angore conſciẽtiæ, ita miſerè viuebat, cum afflictaretur aliquando his curis, & careret ſolatio, domo egreditur, mox dæmonem cum ingenti terrore conſpicit, fugatq; obiecta cruce, ſed confeſtim tamen, non ſecus, ac furijs icta, quoduis facinus immane meditatur; intermicabat in his tenebris aliquid lucis confugienti ad preces, vt ad ortum ſolis nebula, timor abſceſſit, ſubito cogitatio confeſſionis, & recordatio fidei violatæ, nimirum hoc ſeminarium mali, cum acceſſiſſet ad ædem, multo magis cum prorumpere conaretur ad Sacerdotem à confeſſionibus retrahebatur, quaſi manu iniecta, donec tandem aliorum auxilio exemploq;, ſe ipſam, & malum dæmonem vicit. Litteræ Germaniæ ſuperiores.

DE CONFIRMATIONE.

Exemplum.

Scribit Cantipratenſis his verbis. Venerabilis Bonifacius quõdam Lauſanenſis Epiſcopus, me audiente tale quid recitauit, Erat in quadam Villa Cæcus quidam, qui Vaccas totius villæ in Libro 2. Apum. c. 57. p. 33.

paſcuis cuſtodiebat, repellebat à frugibus, & ad certa loca paſcuis vberiora ducebat, & quod maioris erat prodigij, colores, & ſtatū ſingularum Vaccarum ſpecialiter diſcernebat. V.g. ſi vaccam talis, & talis coloris petiuiſſes ab eo, ſine difficultate Vaccam talem tibi apprehenſam in cornibus obtuliſſet. Ad locum cum quidam Epiſcopus adueniſſet, & de Cæco audiuiſſet talia, & probaſſet, quæſiuit ab eo, ſi confirmationis Sacramentum ab Epiſcopo accepiſſet, at ille, non, inquit; Nulla facta mora Epiſcopus Cæcum confirmauit, & mox ab eo Vaccarum diſcretio, & cognitio particularis eſt ablata, quoniam Dæmonum operatione, & miniſterio hoc fiebat.

DE EVCHARISTIA.

Exempla.

Bedim. l. temp. c. 6.

BEatus Proſper. Noſtris quoque temporibus, inquit, quędam Iuuencula Araba natione, ancillæ Dei habitum geſtans, cum in balneo lauans, ſimulacrum quoddam Veneris impudicè aſpiceret, & ſeipſam. eiq; ſe conſimilans, domicilium ſe Diabolo præbuit: ſtatim ille leo, qui rugiens circuit, quem quærebat, inuenit, meatus igitur gutturis eius occupans, nullum cibum, nullumq; potum traijciens per ſeptuaginta fermè dies, totidemque noctes ieiunium ſibi Diabolus ex capto poſſeſſoque vaſe exhibuit. Hoc monſtrum parentes puellæ pòſt tot dierum ſpacia auferri poſſe ſperantes dum iuge malum vlterius tolerare non poſſent, ſimul cum filia ſeſe ingeſſerunt Sacerdoti, quæ acta erāt fideliter intimantes. Hoc tantum puella fatebatur, auem quandam noctis medio apparere, quę ſibi in os neſcio quid infunderet: Stupor tunc inerat cunctis, videre puellam nullis indicijs diuturni ieiunij fœdatam, nullo pallore, ſeu tabe, vel debilitate confectam, quinpotius robuſtam ſucco viſcerum, moleq; membrorum. Cumq; incredibilia viderentur quæ dicebantur, habito conſilio in Monaſterio puellarum, in quo Reliquiæ Sancti Stephani ſitæ ſunt: Sacerdos puellam ſimul cum Præpoſito commendauit, illic primo tantum die apparuiſſe illam auem aſſeruit, ſibiq; increpaſſe, quòd neq; fame, neq; ſiti compulſa illum appeteret locum, quo ſibi accedere non liceret, per duas ſanè hebdomadas nihil cibi, vel potus ſumens in monaſterio manſit. Accidit autem, vt quintus decimus Domini illuceſceret dies, aſcendente

nobiſcum

nobiſcum Sacerdote, vt matutinum illic ſacrificium ſolito offerretur, puellam Præpoſitus ad altare perduxit, eo inceſſu, & habitu, quo ſolent rubore perfuſæ, ex epulis, poculisq; mulieres aduenire, ſed vt ſe illa proſtrauit altari, clamore fletus ſui cunctis aſtantibus gemitus, lachrymasq; induxit, quibus tantum malum auferrendum plebs Dominum exorabat; erat enim iam incedens murmur in populo; peracto itaq; ſacrificio, cum eadem inter cęteras, breuem particulam corporis Domini tinctam à ſacerdote perciperet ſemihora mandens, traijcere non valuit, nondum illo fugato, de quo dicit Apoſtolus: quæ conſonantia Chriſti ad Belial? & iterum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & Dæmoniorum. Manu igitur faciem eius ſuſtentante Sacerdote, ne ſanctum proijceret, à quodam Diacono ſuggeſtum eſt, vt calicem ſalutarem gutturi eius Pontifex applicaret, quod vt factum eſt, ſtatim vt locum illum, quem diabolus obſederat Saluatoris imperio reliquit, Sacramentum, quod ore geſtabat cum laude Redemptoris tranſglutiſſe puella clamauit: hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quòd poſt octoginta, & duos dies, diabolo expulſo; puella de poteſtate fuerit eruta inimici.

Mediolani in Eccleſia Sancti Ambroſij, ad D. Bernardum adducta fuit mulier multis annis obſeſſa, ſicq; deformata, vt Monſtrum, non fœmina videretur. Conuerſus ad populum iuſſit omnes attentius orare, miſſamq; iuſſa prope altare conſtituta fœmina teneri, auſpicatus, quoties de more ſacro ſalutarem hoſtiam ſignabat, toties ad mulierem quoque conuerſus, eodem ſigno crucis edito, & ſpiritum nequam Athleta fortis impugnat. Expleta autem oratione Dominica, efficacius hoſtem aggreditur, patenę ſiquidem calicis ſacrum Domini corpus imponens, talia loquebatur. Adeſt ille, qui pro noſtra ſalute paſſurus, nunc, ait, Princeps mundi eijcietur foras. Hoc illud corpus, quod de corpore Virginis ſumptum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt: quod in tumulo iacuit, quod de morte reſurrexit, quod videntibus diſcipulis aſcendit in cœlum. In huius ergo Maieſtatis terribili poteſtate tibi ſpiritus malignè præcipio, vt ab hac creatura eius egrediens, contingere iam deinceps, non præſumas. Cumq; eam inuitus deſerens, & manere vltra non valens attrocius afflictaret, tam magnam iram, quam modicum tempus habens, rediens pater Sanctus ad altare, fractionem hoſtiæ ſalutaris ritè compleuit, diffundendamq; populo pacem miniſtro dedit, & confeſtim pax, & ſalus integra reddita mulieri. Hactenus Gulielmus Abbas, loco citato.

Lib. 2. eius vitæ c.

Ioannes

Ioannes Molinetus deſcribit moleſtiſſimam multorum annorum vexationem,quam propter vnius, quæ diu dæmonis ſuccuba fuerat,peccatum, in Innocentes virgines ſocias eius Quercetenſes Deus Sathanæ permiſſerat. Cum enim Decanus Cameracenſis, vir doctus, & probus, vnà cum aliis Exorciſtis accederet, peracta ſacra communione viuificam hoſtiam non ferens, ſubito Dæmon exclamabat. Ah ſatis probè armati acceditis? panem ne illum ſumpſiſtis? quem panem, ais, improbe? inferebat Decanus: ſi nihil eſt aliud,quam panis maneto in hoc corpore obſeſſo,ſed ſi, vt nos credimus verum eſt corpus Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, iubeo confeſtim fugere ex hoc corpore, nec vllam ei amplius moleſtiam exhibeas. Quo dicto(rem miram) Energumena, vt magno leuata faſce moleſtiæ, confeſtim reſpirare, & alta voce Ieſum vocare cœpit, quod idem omnes faciebant cæteræ, quando Dæmone expulſo liberabantur.

In chron. Belgicis ann.1590

Huic ſimile noſtris temporibus Laoduni in Belgia accidiſſe,tam norunt Caluiniſtæ,quorum aderant multa millia quæ fremunt, & rumpuntur B. Auxentius, Abbas diſcipulum habebat nomine Baſilium,hunc dæmones adeò malè mulctarunt,vt pro exanimi,corpore toto ſaucius, & confractus ad Auxentium delatus curru fuerit. Abbas iuſſit eum ſurgere, & venerandum corpus, & viuificum ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumere, & ſtatim reuerti ad locum ſuum: abijt, nec amplius tentator eum aggreſſus eſt.

In Cathal. hæretic. littera G.

Superat omnem admirationem quod de Guidone de Lachia memorat Bernardus Luxemburgus. Hunc in Epiſcopatu Brixienſi,ita ſimulaſſe ſanctitatem,vt pro altero Sancto Ioannes Baptiſta à populo haberetur, ſepultus fuit itaq; honorificè. Poſt mortem certis teſtimoniis Inquiſitores deprehenderunt hæreticum fuiſſe; quare de conſilio Epiſcopi,& aliorum prudentum aſſeſſorum ſententiam tulerunt, cadauer exhumandum, & comburendum: Exhumatur aſtante populo, & oſſa proiiciuntur in ignem: ſed ecce tibi ſtatim, illa dæmones (qui à nonnullis cernebantur) ex rogo eleuant, & in aere ſuſpenſa tenent, inde nata populi indignatio. Exclamant,occidantur Epiſcopus,& Monachi,qui ſtimulati liuore ſancti viri oſſa comburere conati ſunt. Quid ceſſamus? Deus id ſibi non placere demonſtrat. Extimuit Epiſcopus, ſed Inquiſitores eum adhortati ſunt, vt ad miſſam celebrandam ſe accingeret, Deum potius miraculum facturum, quam fidei cauſam ſinat in periculo verſari. Miſſa fuit de B. Virgine; vbi ventum eſt ad corporis Dominici eleuationem,dæmones clamare in aera cœperunt.

runt. O Guido de Lacha, nos defendimus te quantum potuimus, ſed modo plus non poſſumus, quia adeſt maior nobis; confeſtim oſſa in rogum reciderunt, & incendio in cineres redacta fuerunt. Simplic. Metaphr. in vita S. Auxentij 14. Febr.

Petrus Martyr, qui texuit Hiſtoriam nauigationis Columbi in Occidentali illo Indiarum tractatu, teſtatur, commune miraculum fuiſſe; quòd ſi Euchariſtiæ Sacramentum per Chriſtianos alicubi collocabatur, continuo dæmones obmuteſcebant.

Ante annos fermè 400. vixit Cæſarius Ciſtercienſis cuius hæc ſunt verba. Tempore illo, quando manifeſtari cœperunt hæreſes Albigenſes, quidam maligni virtute diabolica ſuffulti, quædã ſigna, atque portenta oſtenderunt, quibus, & eaſdem hæreſes roborauerunt, multos fidelium in fide ſubuerterunt: ſuper aquas ambulauerunt, & non ſunt ſubmerſi. Cernens hoc ſacerdos quidam fide catholicus, & vita Religioſus, ſciens vera ſigna cum falſa doctrina eſſe non poſſe, corpus Domini cum pixide ad flumen, vbi illi populis ſuas oſtenſuri erant uirtutes, deportauit, dixitq; in audientia omnium: Adiuro te Diabole, per eum quem in manibus porto, ne in hoc flumine ad huius populi ſubuerſionem per hos homines tantas exerceas phantaſias: poſt hæc verba, illis ſuper vndas fluminis ambulantibus, vt prius, ſacerdos turbatus, corpus Dominicũ in flumine proiecit. Mira Chriſti potentia, mox enim, vt elementum tetigit Sacramentum, phantaſia ceſſit veritati, & pſeudo illi Sancti, quaſi plumbum deſcendentes in profundum, ſunt ſubmerſi. Pixis vero cum Sacramento ſtatim ab Angelis ſublata eſt. Videns ſacerdos hæc omnia, de miraculo quidem exultauit, ſed de iactura ſacramenti doluit, totam verò noctem in lachrymis, & gemitu tranſiens; mane Pixidem cum Sacramento reperit ſuper altare. Lib. 9. miracul. cap. 12.

Thomas Brabantinus vulgo vocatus à Cantipatro eodem ſæculo vixit anno 1231. Prædicante inquit, in Theutonia Magiſtro Conrado contra hæreticos, & ab eiſdem fælici morte perempto; hæreticus quidam ſeductus à dæmonibus, fratrem quendam ordinis prædicatorum ad hæreſim inuitabat, quem cum vidiſſet inſtantiſſimè renitentem, dixit fratri, pertinax es valde in fide tua, nec tamen de hac, niſi per ſcripta quædam aliquid certius inſpexiſti, credere autem ſi velles dictis meis Chriſtum tibi, & Matrem eius, & ſanctos oculata fide monſtrarem: Mox ille illuſionem Dæmonum ſuſpicatus, volens tamen probare, quid eſſet, non immerito, inquit, tibi nunc crederem ſi promiſſa duceres ad effectum. Gauiſus hæreticus, diem fratri ſtatuit, frater verò Pixidem cum Sacramento corporis Chriſti clam ſecum ſub cappa portauit. Du-

xit ergo fratrem hæreticus in ſpecu cuiuſdam montis in amplum valde palatium, quod claritate mirabili relucebat, nec mora, vbi in inferiorem partem palatij peruenerunt, viderunt Tronos poſitos, quaſi ex auro puriſſimo, in quibus ſedebat Rex fulgore coruſco circundatus, & iuxta eum Regina ſereno vultu pulcherrima, & ex vtraque parte ſedilia, in quibus ſeniores quaſi Patriarchæ, vel velut Apoſtoli aſtante Maxima multitudine Angelorum, & hi omnes luce syderea coruſcantes, vt nihil minus, quam dæmones putarentur. Hos mox, vt vidit hæreticus, cadens in faciem adorauit, dictus autem frater immotus ſtetit, ſed tanto ſpectaculo vehementer obſtupuit, & mox ad eum conuerſus hæreticus, quare inquit Dei filium intuens non adoras? pronus accedens adora, quem uides, & ab ore eius fidei noſtræ ſecreta ſuſcipies. Tunc frater accedens propius extraxit Pixidem, & obtulit Reginæ in ſolio ſedenti, dicens; Si Regina es Mater Chriſti, ecce filius tuus, quẽ ſi ſuſceperis, te uelut Dei Matrem recognoſcam. Cum hac protinus uoce, totum illud phantaſticum euaneſcit, & annihilato fulgore, tantæ tenebræ denſuerunt, ut uix frater cum ductore ſuo ad montis exitum regredi potuerint. Conuerſus ergo hæreticus ad fidem redijt, & miram dæmonis aſtutiam ſtupefactus expauit.

Libro de ſtrigibus. Accipe aliud Pici Mirandulani uerbis narratum. Fuit in Alpibus Rhetijs ſacerdos quidam probus ante annos quindecim, cui cum foret opus ad ægrotum quendam graui oppreſſum morbo Euchariſtiam differre, cum longius ille abeſſet, uideretq; ſe non ita ut oporteret celeriter ad eum pedibus poſſe peruenire, aſcendit equum, colloq; ſanctiſſimum Chriſti corpus pixidi incluſum ſatis honorificè alligauit, iter ſuum quanto citius accelerans, cum nonnihil proceſſiſſet, obuium habuit quendam, qui, ut equo deſcenderet inuitauit, & ſecum pergeret ad ſpectaculum quodam mirabiliſſimum. Imprudens hòmo, & cupiditate rei tam ſtupendæ ductus paruit, uix equo ſè demiſerat, cum ſenſit ſe per aera unâ cum comite deferri, & breui tempore in altiſſimo montis cacumine ſtatui, ibi ampliſſima, & amæniſſima planicies erat arboribus undiq; excelſiſſimis ſæpta rupibuſq; horrendis circumcincta, in medio choros innumeros, ac uarios ludos cuiuſuis generis, menſas lautis, ac diuerſis ferculis inſtructas erat uidere, audiebantur etiam concentus quilibet omni ſuauitate affluentes, deniq; aderant, quæ animos hominum iucundiſſimis delineamẽtis tenere poſſent, & dulcedine perfuſos intima demulcere ſolent. Obſtupefactus re improuiſa ſimplex, bonuſq; Sacerdos, neq; eloqui præ admiratione, aut hiſcere audens, penè extra ſe poſitus,

attoni-

attonituſq; hærebat, tum ſocius, qui eum adduxerat, petijt ab eo uellet ne Reginam, quæ ibi aderat ſupplex uenerari, & munus ei aliquod offerre. In alto quodam ſolio Regina ſedebat effigie formoſiſſima, Regio, cultu, & ornamentis mirificis ornata, accedebant ad eam proſternentes ſe humi cuncti, qui aderant bini, quaternivè ordine pulcherrimo, & humi ſe proſternentes eam colebant, varia munera offerentes. Ad mentionem Reginæ homo cũ videret eam ſic fulgentem, & miniſtris plurimis cinctam putauit eſſe Matrem Chriſti, Cœli, Terræque Reginam, neque enim ſuſpicabatur vllas præſtigias, dæmonumque ſpectra eſſe, alioquin eò non appropinquaſſet, reputans igitur ſecum quid illi dono daret, exiſtimauit nihil ei gratius, aut iucundius futurum in munus quã filij corpus, acceſſit, & ad pedes in modum ſupplicis, arculam, in qua erat Auguſtiſſimum Sacramentum è collo detractam in gremio mulieris illius poſuit. Mira res continuo euanuere omnia: perculſus huiuſmodi nouitate homo rudis, & præſtigijs ſe irretitum videns, & in horroribus denſiſſimis, & luſtris deſtitutum conſpiciens, opem Diuinam tremens implorare cœpit, vt è tantis ipſum amfractibus expediret. Cumque diu per loca inuia, ſyluaſque vaſtiſſimas erraſſet, vix tandem paſtorem reperit, à quo in viam ductus didicit, ſe milliaria centum à loco abeſſe, quo Euchariſtiam deferre cupiebat, ad ſuas tandem ſedes reuerſus, rem totam detulit ad Magiſtratus. Contigit hoc imperante Maximiliano.

Vir Tribunicius Heſpericus habebat in territorio Fuſalenſi fundum Zubedi appellatum, vbi cum afflictione animalium, & ſeruorum ſuorum domum ſuam ſpirituum malignorum vix noxiam comperiſſet, rogauit presbyteros noſtros me abſente, vt aliquis eorum eò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit, vt ceſſaret illa vexatio, Deo protinus miſerante ceſſauit. *Auguſt. lib. 22. de ciu. Dei. c. 8. habet huiuſmodi verba.*

Idem Auguſtinus ait, quod fatentur Maleficæ, ſeſe dum miſſam audiunt, ab omni dęmonis vexatione liberas eſſe, ideoq; ſe diutius ad horam vſque meridianam in Catholicorum templis, in quibus plures miſſæ dicuntur moras trahere. *Lib. 9. collat. c. 5. & alijs eodẽ lib.*

Non eſt iocandum cum Dæmonibus.

NIderius in formic. refert vidiſſe ſe fratrem in Conuentu Colonienſi, verbis ſatis iocoſum, ſed in gratia expellendi dæmones valde famoſum. Hic cum in terminis Conuentus Colo-

nienſis dæmonem in obſeſſo corpore arctaret, dæmõ petiuit à fratre locum recedendi, quo gauiſus frater, ait in ioco, in latrinam meam vadas. Exijt igitur dæmon, & nocte cum frater ventrem expurgare vellet, dæmon tam dirè eum torſit propè cloacam, vt vitam cum difficultate ſaluaret. Quare ſancta res eſt dæmones eijcere ſanctè tractando.

Vicuarij anno 1585. Sacerdos quidam, cui nomen erat, Ioannes ægiptius, Energumenam habebat ancillam, quam, vt iuuaret exorciſmis diabolum ſatis ſolicitè præmebat: Vt autem quodam die ventum eſt ad terminum, quo diabolus, tum exorciſmorum vi, tum etiam virtute Diuina coactus, deberet ab obſeſſa recedere, dixit Sacerdoti: vis me exire, ſed cum receſſero, quo vadam? Subiunxit Exorciſta. O ſus lutulente, qui olim à Chriſto deturbatus, petiſti, ſaltem vt porcos liceret poſſidere, ex, (& per contemptum ſubdidit) & ingredere poſteriora mea (mirabile dictu) poſſedit diabolus ipſum Sacerdotem exorcizantem, ac ita diuexauit furiosè, vt ſic Deo permittente, paucis diebus, poſt multos ei adhibitos exorciſmos, vita functus ſit, ad omnium doctrinam, & inſtructionem.

DE ORATIONE.

Exempla.

ANno 1549. quidam confeſſus cuidam Ieſuitæ, media nocte, dum ſatisfacit pœnitentiæ ſibi à Confeſſore impoſitæ, repente vidit feles, mureſque, & alias beſtias colore atras, aſpectuq; terribiles tam multas, vt totum occupare cubiculum viderentur, quo ille viſo, perterrefactus tremere cœpit, ne à beſtijs illis arriperetur viuus; anxius, & trepidus accurrit ad Domini noſtri imaginem magna voce opem implorans, quare omnium animalium ſpecies, ſubito euanuerunt, tanto cum impetu, ſtrepitu, & fragore, vt domus ruere videretur.

Bungi in Iapone anno 1555. familia fuit, quam à centum annis dæmones infeſtabant, & moleſtia in paſtores quaſi hæreditaria tranſibat. Pater familias opes omnes placandis Idolis conſumpſerat, potius auctum ijs, quam ceſſauit malum. Triginta annorum filium dæmon occupauit, ita vt nec patrem, nec matrem agnoſceret, nec quindecim diebus quidquam cibi ſumeret. Sub

horum

horum finem vnus ſocietatis Ieſuitarum ad eum acceſſit, iuſſitque vt D. Michaelem nominaret, dum Diuum nominat, vehementi tremore cœpit concuti, & varios motus membrorum edere, ita vt circumſtantibus terrori fuerit. Inuocante verò Patre, Deum patrem, & filium; & Spiritum ſanctum, ſubito à Dæmone liber extitit. Huius ſoror paucis poſt diebus moleſtijs dæmonis agitata eſt, qui etiam in ea loquebatur, certis temporibus Ieſuitarum concionibus auditis, Chriſtianam fidem ſuſcipere voluit. Cum verò ſacro fonti eſſet admouenda, conareturq; principio ſe ſacro ſigno crucis munire, tremere vehementer, ac concuti cœpit. Pater preces fundebat ſollicitè, ipſa verò ſacrum Ieſu nomen, & D. Michaelis proferre conabatur, ſed magis ipſam tunc dæmon irritauit obſtringendo os, & comprimendo. Tandem verò in cantum prorumpens exclamat. Si Idola Xaccam, & Amidam ſectarum Iaponenſium authores reijcimus, nullus ſupereſt, qui adorari debeat, aliaque huc ſpectantia protulit, nec eſſe, quod in ijs reprehendere poſſet quiſquam. Quadam die innumeris Chriſtianis præſentibus Sacerdos ſacrum fecit, cui quoque intererat dæmoniaca, quo finito rogat, quomodo valeret, optimè, ait, iuſſa verò D. Michaelis nomen pronunciare, tremere, ac ſtringere dentes cœpit, & dæmon ſe velle exire dixit, ſed quoniam iam à tot annis ea familia pro hoſpitio vteretur, non libenter migrare. Iubet iterum pater Sancti Michaelis nomen proferre, reſp. illa, id perioleſtum eſſe, & lachrymas fundens, & conquerens, quo, inquit, me vertam? Chriſtiani itaque omnes in orationes corrunt, dumq; ſatis diu orant, dæmon occupatam hactenus prædam deſeruit. ipſa verò ſubito potum petijt, admonita, vt Ieſum, & Mariam inuocaret, tanta ſuauitate vtrumque protulit nomen, vt Angeli vocem ſibi viderentur audire.

Anno 1588. Brunæ in Morauia mulier erat in Noſocomio, acerrima diaboli pugna ſic oppreſſa, vt nunc aquis, ſibi vitam extinguere, nunc cultro, quem gnarus nocendi porrigebat in manus, eripere moliretur, prohibentibus cunctis, qui erant in valetudinario, poſt illam triennij vexationem, Apoplexia corripitur: obligatione linguæ loquendi vſu adempto, mittitur ad ſacerdotes, vt concione populi preces efflagitent, & exoratum fuiſſe Deum, ſolutus primum linguæ nodus, deinde animæ, poſt ſacram confeſſionem peractam oſtendit.

In litteris Ludouici Frois habetur hæc narratio. Nobilis quidam homo olim magna authoritate in hoc Regno Fingano pollens, habebat filiam matrimonio cum gentili copulatam, cuius E Iaponia ſcriptis anno 1596.

cum tota familia quoq; erat gentilis, nullus verò Chriſtianus niſi dictus Nobilis, vir bonus, & Religioſus: accidit filiam ex improuiſo infirmari, & quidem intra ſex dies vſque ad mortem, quidam dicebat à dæmone eſſe obſeſſam, propterea quòd tam furioſos, & inſolitos geſtus ederet, vt ægrè à duobus vel tribus hominibus teneri poſſet. Maritus & ſocer implorarunt opem Bonziorum, ſed ſuis illi ritibus, & nugis ſuperſtitioſis ne hilum quidem eam iuuare potuerunt. Verum quia fœminæ impendebat mors, monuerunt patrem eius, octodecim milliaribus inde diſiunctum: is celerrimè aduolat, inuenit filiam quidem ſpirantem, ſed mentis impotem, vt patrem ſuum non agnoſceret. Pater illico mandat ſubmoueri Bonzios, alioſque Ethnicos lectum ſtipantes, ipſe verò accepto Roſario, ter Dominicam orationem, & ſalutationem Angelicam aggreditur pronunciare; fœmina interim nihil mutatur, horribiliores autem potius geſtus, quam prius edit, vt à multis teneri vix poſſit, pater redit ad præſidium Roſarij, eo verberat tergum filiæ, dicens, tu videris mihi dæmon aliquis, recede ab hoc corpore. Et reſpond. Dæmon, non recedam. Pater, vt erat homo virtute præſtans, Roſarium inijcit in eius collum, dicens, velis, nolis, recedes. Tum dæmon, tollite inquit Roſarium, quia abſcindit mihi collum, & tunc recedam; Reſpond. pater, minimè tollam, imò funes quoſdam arripiens, minatus eſt ſe eum verberaturum, & ſic dæmon receſſit, & liberam eam reliquit.

DE ANGELO CVSTODE.

Exempla.

2. par. hiſ. Ganer. ordin. Prædicat. li. 2 cap. 72. V. ex eo refert Alphonſ. Villegas Flo Sanctorũ p. 3. vita 373.

FErdinandus de Caſtillo Beati Dominici ordinis Hiſtoriographus refert. Boncella Municipium eſſe Coimbricenſe, ibi nobilibus parentibus natus eſt quidam Aegidius, hic vix dum adoleſcens, induſtria, & fauore, tres canonicatus, & Prioratum vnũ adeptus, omni diffluebat vitio, non indoctus humaniorum ſtudiorum, & Philoſophiæ, & Medicinæ, cui quam ſibi opportuniorem ad nequitiam rebatur, totum ſe dare, & Lutetiam eius addiſcendæ cauſa cum cogitaret, iter aggreſſus dæmonem habuit humana ſpecie obuium. Malus iſte viæ comes à noto ſibi, ſed ignotus, paulatim varia quærere, vt audiuit profectionis conſilium; quin tu, inquit, me potius audis? ſcientiam indicabo, quæ & adeptu facilis, & vſu præcipua ad dignitates, voluptateſque, ipſius etiam quam

ſcitis.

ſcitis, medicinæ ſumma perfectio eſt. Necromantiam dico, dixit, & perſuaſit. Abducit Aegidium, & adducit in vaſtum ſpecũ propè Toletanam Ciuitatem, ibi occurrere læti, & excepere venientem viri Dæmoneſque humana effigie, itur in ſpecum, exigitur, non ſecreti tantum, ſed & ligiæ fidei, ſiue homagij perpetui ſacramentum, volens adigitur, & ſchedula proprio cõſecrata cruore promiſſum confirmat. Septennio illic tetris artibus, & caliginoſa ſcientia imbuitur, poſt Lutetiam profectus, miros breui inter Hypocratis ſectatores progreſſus facit, & doctoratus lauream adeptus gliſcebat enormia magis, magiſque peccata, ruebat de ſcelere in ſcelus: ambiguum erat, fama eruditionis, an nequitiæ infamia maior. Sed, ò Dei bonitas, vi quem lenitate nequiuerat ſtatuit trahere. Ecce tibi equitem hoplomacum lanceam vibrantem, & intentantem miſero, irato vultu, minaci voce, clamantem. Vitam hanc, moreſque deſere, ad frugem reuertere. Subitus Aegidium terror occupauit, ſed veloci motu cum terrore inſtitutum priſtinum diſplicere deſijt, ad volutabrum luti reuerſo, poſt triduum idem ille Eques iam terribilior, non ſolum minatur eadem verba, repetens de mutando vitæ inſtituto, ſed lanceam pectori infigit, & vulnus, & ſi non graue imponit: fractus animo noſter. Dedo, inquam, me; faciam Domine quidquid iuſſeris, Saulum diceres in terram deiectum. Statuit ſerio ſe totum Deo dicare, & quo intus impelli ſe ſentiebat (vrgente ſic opinor Angelo cuſtode, qui apparuerat) Religioſæ alicuius inſtituto familiæ ſe addicere. Hoc animo Luſitaniam repetens, dum per Palentiam iter habet, vbi tum Monachi Dominicani Monaſterium ædificabant, ſubit cupido cernendi operis. Vidit viros ſanctitate, & eruditione claros, quoſdam etiam viribus, & ætate defectos, delicate olim nutritos, calcem ſubigere, ligna dolare, lapides parare, & onera humeris portare, ſumma lætitia, & alacritate: optat ſe illis iungere; petit inſtanter admitti, & impetrat. Tirocinio defungitur magna ſpe ſanctitatis futuræ excitata. Poſt aliquot annos miſſus Santarenum in Luſitaniam, ibi creſcebat oratione, & victoria ſui. Vnus angebat ſcrupulus, quòd penes dæmonem hæreret ſchedula illa obſcæna, & inteſtabilis. Igitur ardentius Reginæ Cælorum ſe commendabat, mali huius remedium aliquod poſtulabat, non ſine lachrymarum effuſione, & continuo ſuſpiriorum concentu. Quid neget Miſericordiæ Mater ſic poſtulanti? Die quadam, cum in Sacello Templi prolixius oraret apparuit illi dæmon formidabili aſpectu, deteriore vlulatu, conuitium facit, & præſtitam fidem, acceptaq; beneficia petulanter exprobrat, tandem poſt mul-

ta

ta minaciter,& proteruè,& impotenter obiecta, ſaxo, inquit, huius te Monachiſmi, & violentiæ, quæ me tibi chyrographum hoc cogit reſtituere, nunquam ſatis pœniteat, ſimul abijcit illud ad pedes Aegidij, & videri deſijt. Aegidius cartulam accipit, & lacerat minutim,nec vanæ minæ dæmonis fuere, admirandis illum modis plus ſeptennio poſtea vexauit, mitto vexationes alias,aſſumebat Monachi cuiuſdam, qui in eodem degebat Monaſterio, ſimilitudinem, & nihil non quod excogitari inter domeſticos poſſet, moleſtiæ Aegidio inferebat, patiebatur, hic, ſed tandem dolens malitiam illam ſerpere,& fratrem, vt putabat illum Deum ſic ſemper offendere, rem defert Priori, & petit aliò mitti, cauſamq; aperit, accerſito fratre,deprehenſus calumniator, & inſolens ab alijs, ſolitus ab Aegidio vinci deſijt victori negotium faceſcere. Viuus tandem clarus multis, non virtutibus tantum,ſed & miraculis varijs,anno 1265. denaſcitur mundo, vt Cœlo naſceretur. Sepultus Santareni, vt ſanctus colitur. Ecce Deiparæ Virginis efficaciſſimum contra dæmones præſidium, & Angeli cuſtodis attractio ad bonum.

Lib.2.polier.c.11. Saliſberienſis ſequentia tradit his verbis. Dum puer, vt Pſalmos addiſcerem Sacerdoti traditus eſſem, qui fortè ſpeculariam magicam exercebat,contigit,vt me,& paulo grandiuſculum puerum præmiſis quibuſdam maleficijs,pro pedibus ſuis ſedentes ad ſpeculariæ ſacrilegium applicaret, vt in vnguibus ſacro neſcio oleo, an chriſmate delibutis, vel in exterſo, & leuigato corpore peluis, quod quærebat, noſtro manifeſtaretur indicio. Cum itaque prædictis nominibus, quæ ipſo horrore licet puerulus eſſem dæmonum videbantur,& præmiſſis adiurationibus,quas Deo authore neſcio,ſocius meus,ſe neſcio quas imagines, tenues tamen, & nebuloſas videre indicaſſet, ego quidem ad illud ita cæcus extiti,vt nihil mihi appareret, niſi vnguis,& peluis, & cætera,quæ ante noueram. Exinde ergo ad huiuſmodi inutilis adiudicatus ſum, & quaſi qui ſacrilegia hæc impedirem,ne ad talia accederem,condemnatus ſum. Et quoties rem hanc exercere decreuerant, ego quaſi totius diuinationis impedimentum arcebar, ſic mihi in ea ætate propitiatus eſt Dominus (vtique reor per Angelum cuſtodem. Sed addit, cum verò paululum proceſſiſſem, & flagitium hoc magis,ac magis exhorrui,& eò fortius confirmatus eſt horror meus, quòd cum multos tunc nouerim, omnes antequam deficerent,aut defectu naturæ,aut manu hoſtili,beneficio luminis orbatos vidi, vt cætera incommoda taceam, quibus in conſpectu meo à Domino,aut proſtrati,aut perturbati ſunt,exceptis duobus,Sa-

cerdote,

cerdote, videlicet, quem præmiſſi, & Diacono quodam, qui ſpecu-
lariorum videntes plagam effugerunt, alter ad ſinum Canonicæ, alter ad portum Cellulæ Cluniacenſis, ſacris veſtibus inſigniti: eoſdem tamen præ cæteris in Congregationibus ſuis, aduerſa plurima poſtmodum perpeſſos eſſe miſertus ſum.

Auxilium ſingulare Beatæ Mariæ Virginis.

Exemplum.

PRæter ſuperius alibi adducta exempla, aliam certiſſimam narrationem ſubdam, ad demonſtrandum præſens Deiparæ Virginis auxilium. Horatius Torſelinus hiſtoriæ Lauretanæ ſcriptor, pari elegantia, & fide rem geſtam proponit. Alium porrò Iuuenem Lauretanæ Virginis tutela ſeruauit, quem in præcipitem locum libido inſana prouexerat. Hic vt erat proiectæ cupiditatis, audaciæq; in vetitas ſe effuderat voluptates. Expugnato multarum Matrum familias pudore, immodico cuiuſdam mulieris amore flagrabat, qua, cum nec prece, nec pretio, nec vi, dolovè potiri liceret, vltima experiri ſtatuit. Igitur conciliatum Magicis cantionibus rogitat dæmonem, vt ſe voti compotem faciat, ad omnia ſe deſcendere paratum oſtendens, ſi eo, quod expeteret, frueretur. Diaboli ergo iuſſu à Chriſto deficit, ſeque totum illi dedit, & tradidit, ſuper hæc omnia iurat conceptis ab illo verbis, & chyrographo ſuam pollicetur fidem, vſque eo impuras mentes voluptatis amor excecat. Cœterum, vt potitus eſt quod cupierat, fecit, vt fit, faſtidium copia, & cœleſti luce oborta magnitudinem ſceleris ſui ſera æſtimatione perpendit. Ergo poſtea quam animum curis anxium pęnitentia ſubijt, ad veniæ ſpem erectus, cæleſtem opem ſpectare, Deum, Deiq; Matrem implorare cępit, inter hæc occurrit animo Virgo Lauretana, eiuſque ædis Sacerdotes ampliſſima facinorum expiandorum, authoritate prædıti, prot nus Deo authore Lauretum petijt, haud dubius, quin ibi non eſſet tantis malis remedium inuenturus, nec ſua illum fruſtrata ſpes. Lauretum, vt venit, Sacerdotem idoneum nactus, re omni expoſita, conſulit, ecqua ſibi ſit ſpes reliqua ſalutis. Ille primo ſceleris atrocitate exterritus, paulisper hæſit, deinde immunitate facinoris demonſtrata, ita ſpem illi ſalutis oſtendit, ſi precibus, ieiunijs, voluntariaq; corporis caſtigarione Deum placare penitus inſiſtat. Cum ille nihil omnino pœnarum recu-

ſaret, promiſit Sacerdos ſi imperata feciſſet, ſe faciles aures ei daturum, & tantum piaculum Deo propitio vtique expiaturum. In digreſſu hominem monet, vt per triduum inedia, cilicio, flagris corpus affligat: Beatæ Mariæ Virginis opem implorans, per eam à Deo veniam expoſcat, ſe eodem triduo rem Diuinam pro ipſius incolumitate facturum, & vtrinque extitit fides, ita triduo exacto Sacerdos optimum ratus eſt ante abſolutionem chyrographū à dæmone extorqueri, ne quid omnino iuris in illum haberet, proinde hominem ab ſe dimittit monitum, vt Auguſtiſſimum Sacellum ingreſſus, precibus, lachrymiſq; Deiparam vſque eo fatigaret, dum chyrographum à diabolo extortum reciperet. Morem gerit ille, ſuæ ſalutis, ſecuritatiſq; auidus, haud dubia ſpe, id ſe deprecatione Deiparæ Virginis impetrare poſſe. Ergo proſtrato ante Virginem corpore, lachrymans, obnixè eam precatur, vt recepto illo nefario chyrographo, ſaluti, incolumitatiq; ſuæ conſultum velit, ingenti miraculo compos voti efficitur, verſiculos illos ex animo iterabat. MONSTRA TE ESSE MATREM, SVMAT PER TE PRECES; QVI PRO NOBIS NATVS, TVLIT ESSE TVVS.

Talia precatus, ſubito chyrographum in manus ſuas delapsū conſpicit. Itaque ſibimet vix ex inopinato gaudio credens, integrato fletu, gratias Virgini enixius agit. Inde Sacello egreſſus, lætitia exultans ad Sacerdotem accurrit, receptum Deiparæ beneficio ſcriptum oſtendit, id erat tot, tantiſq; in Chriſtum, atq; in ipſum qui ſcripſerat diris, & execrationibus refertum, vt facilè appareret à ſempiterno humani generis hoſte dictatum. Veruntamen tantum vinculum omni diabolica fraude potentior vis Diuina diſſoluit, ita deuotum illud inferis caput, Deiparæ benignitatè aſſeritur in libertatem filiorum Dei, ne quiſquam omnino, quamuis facinoroſus, ac perditus, ſi modo ipſe perire nolit, de ſua ſalute deſperet: nec cuiquam in dubium veniat Dei clementia, quæ vltro Matrem ſuam reis patronam dederit ad ſalutem.

DE SIGNO SANCTAE CRVCIS.

Exemplum.

Ex eius litteris Medio l. anno 15 91.

INter cætera exempla plurima, quæ afferre poſſem, præter ea quæ etiam allata ſunt; hoc vno contenti eſtote, quoniam rarū, & mirabile. QuidamSacerdos Aronæ degens pollicitus erat Deo aditurum Societatem Ieſuitarum, & id vni eorū aperuit: indignè

hoc

hoc tulit dæmon,ſeque ad ſolita arma conuertit;Impuris cogita-tionibus hominem aggreditur ita infeſtis,vt adimerent ſomnum, ſurgit è lecto Chriſti miles, & Lectitandis piorum hiſtorijs noctes ducit inſomnes, neq; hoc tulit aduerſarius, ſuſpenſam lucernam ad parietem ſic deijcit,vt effuſo oleo totum volumen fędè pollueret, neque hoc ſatis, inter cœnandum inuadit immundo afflatu. hic à menſa ſtatim in cubiculum humiles ad Deum preces effundens humi proiectus, & pro cibo corpori flagra ingerere, cum ſic quoque cęco igne carperetur, nudatis pedibus terram inſiſtit binas horas vel ternas, dum importunus calor deferueſceret, deinde conijcit ſe in cubile feſſus; Viſus in eodem ſtrato videre mulierem, & attingere eius comam manuum extentu, deſilijt repente attonitus,& ad lectum conuerſis luminibus nihil videt,donec bis, teruè agnouit:timuit ludibria oculorum,idque pluribus noctibus accidiſſe teſtatus eſt, tandem eò res proceſſit, vt miſer iturus cubitum brachia ſibi,manuſque arctè colligaret, inditis vinculis,ne in ſomno attrectarent quidquam manus errantes fruſtra: ſimul enim ſopor,& ligabat ſenſus, breuè ad tempus, & brachia ſoluebat. Sed mirum quæ eſt Dei clementia, Diaboli tentatio eſt infra hominum facultatem,fugauit illum,qui pro caſtitate pugnabat, cum fortiter obſtetiſſet, redijt tamen victus ad pugnam admirabili arte. Egreſſus aliquando Sacerdos idem ex oppido leuandi æſtus gratia, iuxta lacum inambulat, perſoluens horarias preces Virgini Mariæ. Vix ducentos paſſus proceſſerat, cum aſſequutus eſt eum vir quidam rutila barba,& promiſſa,veſteque magni prętij, inſidebat equo pulcherrimo atri coloris, qualis nullus illis regionibus:famuli erant pedeſtres duo,cum acceſſiſſet propius perhumaniter ſalutauit nunquid ad Iubilate,inquit,perueniſti? recitabat fortè ſacerdos Pſalmum illum, & quod magis mirum, ita ſubmiſſa voce,vt audiret tantum ſe ipſe. Tum verò inter equitem, & ſacerdotem inſtitutus ſermo, hoc ordine. Prior eques ſpecie rimantis, quæ eſt animo tibi infixa cura? quæ ſollicitudo mærentem exedit. at ille diſſimulans,mihi benè eſt, ac bellè,fruſtra tibi huius rei quæſtio fuit,cui eques, mi homo mihi dare verba difficilè eſt, cui datum olim à Deo,vt introſpiciam,quid tacitis cogitationibus volutent homines. Cum ſtetiſſet Sacerdos admiratione defixus,& ſtupens, loquentis habitum,corpuſque totum luſtraret luminibus,ſumpto animo,ait. Si tibi ea eſt virtus,effare, quæ me angit moleſtia? ſi quid fortaſſe tu plus ſcis de rebus meis, quàm ego ipſe, cui ille. Votum Societatis Ieſuitarum,hic ſtimulus cor vellicat,hoc te quietum eſſe non ſinit, ſed tu alias res agas neceſſe

eſt, ad illam tibi aditus non patebit. Suſpicatus alter ne aliqua ratione audiſſet à Ieſuitis. Non certum ſatis votum illud fecerim, necne; ſed vt ita ſit; ſi certum eſt patribus me excludere, non abijciam animum, nec me diſcruciabo, neque enim vna eſt tantum piè, ac ſanctè Deo inſeruiendi via. Rectè iſtud quidem ait eques, mitte illam de pectore curam; eſt tibi ea indoles ingenij, is truncus corporis, vt hæc ſuper ea voluntas, vt vel in iſta, qua nunc vteris ratione vitæ poſſis innocentiam tueri, quòd ſi me audis, aliam terram vide, vbi Deo viuas, & tibi, Arona relicta, iam me ſequere, nec temere erit conſtultum rationibus tuis, optima apud me eris conditione: non lacto inanibus promiſſis, huc reſpice: hæc cum diceret crumenam prægrantem manu percutiebat crepantem argẽto. Egit gratias Sacerdos: non poſſum ad præſens vti liberalitate tua, vt fidem meam præſtem Aronenſi Eccleſiæ, & ſubito interfatus eques, quæ iſthæc fides ſine publica vlla ſponſione, aut chyrographo? ante quinquaginta tres libræ æris, (neque enim plures accepiſti) addictum habebunt? aſſentiebatur hæc audiens, non ſine admiratione, ſed coniectura ducebatur ad ſuſpicandum ad illius aures permanaſſe omnia ab Aronenſi aliquo. Tum paulo fidentior; tu verò quo vadis? vbi habitas? Palantiæ Reſpond. & qui ad nos appellit linter meus eſt, ad vicinalem vſum paratus, agebatur ab vno, atque altero remige, vtroque pullato, aſpicit Sacerdos, & miratur non antea viſum. Nunc ſi accipis conditionem Pallantiæ mecum eris quantum voles. Si ſtat Religioſam vitam complecti, vt in vnam admittaris inſignem, & ſanctitate præſtantem curabo. Laudo egregiam humanitatem tuam, qua ſponte vteris in hominem ignotum, ſed habeo cauſas remittendi, hac ſermonum vice, cum paululum ſubſiſtere cogeretur Sacerdos: præi Domine, inquit, paulo poſt ſequar, nec aliter fecit, ac dixit; tum ſalutare crucis ſignum in fronte exprimens, atque in loco cordis, & penſilem corollam baccis conſertam ſacris, cum qua preces numerantur, manu apprehendens, præcedentem ſubſequitur: Deſiere ad Crucem apparere, Eques, famuli, Cymba, remigeſque. Ecce tortuoſi Colubris fraudes, vno crucis ſigno ad inſtar nebulæ diſſipatas.

Accipe aliud non ſpernendum. Virgo quedam in Dięceſi Argentinenſi aſſeruit, quod die quoddam Dominico, dum ſolitaria in paterna domo eſſet, vetula quædam illius oppidi, illam conuenit, viſitationis gratia, & inter plurima ſcurilia verba habita, hæc tandem ſubiunxit. ſi placet, te, ad locum quendam vbi multi iuuenes pulcherrimi, oppidanis incogniti, tripudiant, ſaltant, deducam.

cam.

cam. Aſſentitur Virgo, & ſic vetulam ſubſequuta, ad præfixum locum, cum ventum eſſet, ait vetula, (Saga nempè). Ecce per gradus ad ſuperiorem locum eſt nobis aſcenſus, vbi ſunt Iuuenes, ſed vide, ne te ſigno crucis munias. Virgo annuit ſe facturam quod præcipit; precunte malefica, & illa ſubſequente, ſe crucis ſigno occultè muniuit, quo factum eſt, vt ambæ in ſummitate graduum poſitæ, ante aſſignatum locum, cum nullos ibi inueniſſent, vetula illa, toruo intuitu, & ſtomachabundo animo, ſe ad illam vertens, ait, maledicaris cum tuo crucis ſigno, cur te ſignaſti? abi in nomine diaboli, & ſic illæſa Virgo ad propria redijt.

De aqua benedicta, ſiue luſtrali.

Exempla.

ANno 1583. Herbipoli ædes erant cuidam Parocho non procul ab vrbe, ſiue malo dæmone, ſiue præſtigijs infeſtæ. Narrabat ipſe Parochus, domeſticique propinqui, quidquid erat in ædibus magno impetu ad terram proijci; ardentes præterea faces, eaſque plurimas in conclaui, quo nulla aſpirabat aura concluſo, anhelitu vno reſtingui: lectos cubantibus, plurimos ceruicibus ſumma vi ſubtrahi; pleriſq; domeſticorum ſic præcludi fauces, vt præfocari viderentur. Denique multa, & aſpectu, & auditu terra in eadem domo fieri ſolita. Parochus triſtis, conſilijque inops adijt alios Sacerdotes, commemoratiſque, quas pateretur, iniurijs, Sacerdotem aliquem, cuius præſidio tueri poſſet ſe à Rectore quodam popoſcit. Datum eſt uni negotium, qui cum ieiunus ſub veſperum eò ſe contuliſſet, uix intra limen pedem intulerat, cum ea ipſa, quæ audierat intueretur, ipſo cum comite inſpectante, parieti eſt impacta ſcutella tanta ui, tantoque impetu iaculantis, ut eos, qui aderant metu propemodum exanimarit, Sacerdos ille omnes bono eſſe animo iuſſit, hortatuſque Parochum, ut ad expiandum animum ſe præpararet, ipſe ſuper peliiceo, ſtolaq; indutus, in ſuperiori ædium parte, ubi plerunque tumultuari conſueuerat dæmon, aſcendit. Hic uſitatis Eccleſiæ religionibus ad dæmones fugandos adhibitis, cũ reſponſum daretur nullum, nemoq; ſacerdotis uoce prouocatus adeſſet, redit ad exortandos domeſticos, præcipueq; ad hæreſim abijciendam, expiandaq; confeſſione peccata. Tum luſtratis ritè

ſedibus, ad domum ſuam, non ſine magno animorum fructu reuertitur: conſtat enim multos ab hæreſi reſtitutos Eccleſiæ, & ædes illas omni ſuperiori moleſtia, vt teſtatus eſt poſtea Parochus, liberatas.

Epiph. li. 2. Epiſtol. de rebus Iaponicis ep. 1. Epiph. hæreſi 30. Pall. Lauſiac. c. 19. Theodor. lib. 5. hiſt. cap. 21.

Legitur de Ioſepho quodam, quòd cum adhuc Iudæus eſſet, inſanum quendam ab eo per aquam cruce ſignatam ſanitati reſtitutum. Item de fœmina, quæ Magicis præſtigijs in equam transformata putabatur, teſtatur Palladius: cum B. Macharius aquam benedixiſſet, ſuperq; caput eius precatus fudiſſet, & feciſſe, vt quod erat, omnibus videntibus fœmina videretur.

Apud Theodoretum, Marcellus Epiſcopus Iouis Apameni Fanum cum dirueret, atrum dæmonis ſpectrum flammæ vim, ne materiam ligneam depaſceretur impedire cernens, aquam ſignaculo crucis muniuit, & benedixit, & ea iuſſit flammam aſpergi, contactum non ferens improbus ille aufugit, & aqua quaſi oleo excitatus ignis, momento temporis Fanum conſumpſit.

B. Theodorus Archimandrita noxas omnes aqua benedicta ſolebat repellere, etiam morbos à dæmonijs illatos, vt à Phentino illo apud Tantendiam, qui obuius dæmoni in forma canis ſolo illius hiatu in grauiſſimam ægritudinem inciderat, vt à Theodori cuiuſdam Tribuni domo, in qua homines, & animantia omnia à dæmonibus cruciabantur, & cum domeſtici, aut cænarent, lapides ſuper menſam iaciebantur, ex quo magnus omnes terror inuadebat, & mulierum telæ rumpebantur, & tanta ſerpentum, & murium multitudo domum occupabat, vt præ formidine in eam ingredi nemo auderet. Domum igitur Dei ſeruus ingreſſus, totam noctem pſallendo, & Deum obſecrando traduxit, & aquas cui benedixerat totam domum aſpergẽs, eam à ſpiritibus immundis liberauit. Hæc Gregorius Presbyter ſæpe citatus.

Idem recenſet hoc Illuſtre miraculum. Apocomenſis vici incolæ bouem occiderunt, vt carnibus eius veſcerentur, contigit autem, vt omnes, qui ex illis carnibus comederant in morbum inciderent, & iacerent vt mortui, & quidquid carnis reliquum fuit, nigrum euaſit, ac fœtidum, qui igitur ex carne illa non guſtauerant, id quod acciderat viro ſancto nunciauerunt, qui reſpondit, exitiũ iſtud à Phalange dæmonum, qui per lebetes pertranſierat prouenisse oportet, & cum eo tempore, non poſſet cum illis diſcedere, benedixit aquæ, quam per vnum è fratribus miſſit, vt periclitantes conſpegeret, eiſq; bibendam propinaret, quo facto, cuncti tanquam è ſomno ſurrexerunt, præter vnum, qui mortuus eſt. Ioannes enim procurator, cuius fratri ea calamitas contigerat, non

expe-

expectans viri ſancti benedictionem, accurrit ad maleficam mulierem, & dum eius incantationem adhiberet fratri, ille animam egit.

Sancti Vberti Epiſcopi Leodienſis veri dæmono maſtigis habitaculum, multiplices catheruæ dæmonum inuaſerant, id animaduertens vir Dei, puero dixit, vade, aqua, quæ Sacerdotali conſecratione ſale admixto benedicta, & ad effugandam inimici nequitiã orationis virtute imprægnata eſt, liquorque olei itidem (en chriſma) apoſtolica authoritate benedictus, huc deferatur, quorum aſpergine, atque littura, mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantaſmata, vt amplius ſua non audeat inferre machinamenta. Hactenus Annonimus D. Ruberti diſcipulus, vel familiaris ſcriptor eius vitæ.

Anno 1583. Rigæ, Ruthenus quidam cùm ſæpius moneretur, vt cum Eccleſia Romana rediret in gratiam, ſemper autem obſurdeſceret, ſine pænitentia deceſſit; ex eo die varia ſe in eius domibus ſpectra domeſticis offerrebant, aſſidentibus auferebantur menſæ, nemine comparente: cubiculorum fores, non modo peſulis, verum etiam ſera penſili obfirmatæ, totis cardinibus euertebantur: è ſummis ædibus lapides ingentes iaciebantur pice fædati quos ſe tractaſſe perhibet ſacerdos quidam. Quidam autem Pollonus, quem ille Sacerdos ſe vidiſſe affirmat, adeò grauiter eſt vulneratus in vertice, vt dies aliquot iacuerit ſemiuiuus. In eadem domo, cum multum ſtraminis eſſet, id totum in minutiſſimas partes comminutum eſt: denique hæc, & id genus alia cernebantur plena terroris, quæ non obſcurè quantum ſibi ius in ijs ædibus ſumpſiſſet Sathanas, indicabant. Ingreſſus in eas is, quem dixi Sacerdos cum Comite altero, aqua benedicta, thureque adhibitis expiauit, quo exorciſmo omnis tumultus dæmonum conquieuit, id quod multis deinde gratijs ædium Domini teſtati ſunt.

Sic litteræ Collegij Ieſui. Rigenſis illius anni.

In Mexicana Prouincia Sedes Paſchuaræ Ieſuitæ poſuerunt circa annum Domini 1587. Erat Indæ fœminæ puer, quem cunctis noctibus cum dormiret, eripi ſibi à latere ſentiebat, deinde reponi, quo raperetur ignara, ipſe puer interea vitali ſpiritu in dies egeſto, lenta tabe properabat ad finem. Huic puero ſalutare fuit, in ædem ſacram deduci, & luſtrali aqua, adhibitis precibus ſacris adſpergi.

Vt patet ex litteris illius prouinciæ.

Sequenti Anno 1588. Viro cuidam Treueris mulier ruſtica, neſcio quid ouorum offerrebat, excipit pileo pediſequus, mox pileum ouis expoſitis imponit capiti, & ſtatim vſque adeo vexari cœpit dolore, vt penè deſiperet, neſcius quid ageret, confugit in

ædem

Litteræ Treuirenſes anni 1588.

ædem ſacram, caput immergit in promptum vas aquæ luſtralis, & conualeſcit. Maga comprehenſa in quæſtione dixit, oua ſic fuiſſe venenata, vt guſtantibus interitum, extuberationem tangentibus eſſent paritura.

Sic litteræ Prouinc. Franciæ iiſdem ann. Hiſt. Mexicanæ. c. 235.

Muſiponti in Lotharingia anno 1593. Virgo ætate prouectior tot incita furijs, vt obſeſſa diceretur, recitatis à Sacerdote littanijs, infecta altera Maleficijs, epota ſalutari aqua, alia vexata à Maligno ſpiritu, appenſa ad collum cera Agni benedicti, ad ſe rediere, mox & confeſſæ deceſſere è vita, cum eſſent precibus intentæ.

Franciſcus Lopezius Gomara quoq; teſtatur dæmonum ludibria, & apparitiones apud Indos potiſſimum tribus remedijs diſcuti, & depelli ſolita, efficaciſſimæ Venerabilis Euchariſtiæ Sacramenti præſentia: Crucifixi imaginibus illatis: & aquæ benedictæ aſperſione, idque non ſemel ipſos Cacodæmones Indis confeſſos.

De virtute Salis, Panis, Cerei, Agni Dei benedicti.

Exempla.

ANno 1585. Drepani, fuit Paterfamilias quidam, in cuius ædibus variæ dicebantur aliquot iam menſes ex occulto voces exiſtere; familiaris is erat dæmon, qui varijs modis conabatur hominibus illudere: proijciebat ſaxa prægrandia, nullius tamen capitis detrimento, vaſa quoque domeſtica altè iaculans non frangebat, cumque in his tectis fidibus caneret adoleſcens, dæmon cunctis audientibus laſciuis cantibus proſequebatur teſtudinis ſonum, aperteque dæmonem ſe eſſe iactabat. Cumq; ædium Dominus vnà cum coniuge quodã in oppidum ad ſua negotia diſcederet, comitem ſe ſe dæmon adiunxit, cum autem ille madefactus pluuia rediret, nequam ſpiritus præiuit, ſublatiſque de via clamoribus, præmonere domeſticos cœpit, vt ignem extruerent, herum iam eſſe in ianuis totum imbribus madefactum. Verum cum ita ſe illudi ędium Dominus intelligeret, minitatus eſt dæmoni ſe adducturum ſacerdotem, qui è ſuis eum ſedibus exturbaret: Ille verò ne id faceret exclamare cœpit, minitarique inimicitias, & odium, & quandiu Sacerdos in iiſdem ædibus verſaretur, fore, vt ſe abderet, & occultaret;

Venit

Venit tamen herus ad Sacerdotem, & rem illi narrat ex ordine, domum etiam mutat, vt ſe illis moleſtijs liberaret, obteſtatur Sacerdos, ne imperita multitudo, cupiditate videndi elata, id quod fore videbatur accurreret; ad eum ſibi proficiſcendum, non cenſuit. Tantum monuit, vt ipſe, & tota eius familia ablutis generali Confeſſione peccatis, cœleſti pane ſe confirmarent, cauerétq; ne quis, aut ex domeſticis, aut ex externis, ſermonem cum hoſte miſcerent, ne vè ex eo, vt antea fecerant, occulta perquirerent, riderent potius, quæ ab eo dicerentur, & vt orta ex mendacij patre planè contemnerent. Illi cum ſe facturos recepiſſent omnia, dedit eis Sacerdos ex conſecrata cera Agni Cœleſtis ſimulacrum, quod filiæ ceruicibus, vt quę omnium maximè à dæmone vexabatur, insererent. Hic terrere dæmon cœpit filiam, minitariq; ni ceram illam abijceret, fore, vt ei obtorto collo animam eriperet, ſed illi ſacerdotis monita, & conſilia ſequuti, cum loquenti reſponſa non redderent, ſeſeque inuicem contra hoſtem ſacramentorum armis munirent, facilè ſe ab eius inſidijs, moleſtijſq; tutati ſunt.

In Treuirenſi ditione hoc ipſo tempore, vt ſunt plurimæ illic Sagæ, quædam puerum octo annorum circiter natum ſuis præſtigijs, & carminibus circumuentum in eas ſedes ſolita erat abducere, vbi per licentiam noctis, ac tenebrarum nefarijs luſibus indulgerent, hic ſuæ quoque partes puero dabantur, vt dum illi choreas conſertis manibus inter ſe ducerent, is earum ſaltationem tympano proſequeretur, nec modo ludorum erat, chorique ſpectator, ſed ſæpe etiam præſtigiarum, quibus illæ humanis corporibus vitiſque nocent. Hunc Archiepiſcopus deductum in Aulam cuſtodiri iuſſit, vt cathechiſmo, cuius erat planè rudis, imbueretur: cui cum Sacerdos effigiem cœleſtis Agni de ceruicibus ſuſpendiſſet, noctu adfuit dæmon, grauiterque puerum increpās, quod tam facilè ſe decipi paſſus eſſet, iuſſit ceram illam, ni vapulare vellet, abijcere. Territus puer imperata fecit, continuoq; dęmon, eo quod iam metuebat amoto, ad muros vrbis eum arripuit, nigroque impoſitum hirco, ad impuriſſimas Sagarum regiones momento transfert, qui cum aliquandiu inter Veneficas latitaſſet, reſtituitur iterum in palatium, fracta, implicitaque nodis reſticula, vnde cera illa pendebat. Is puer Archiepiſcopi, & Ciuitatis petitione inter Ieſuitas incluſus, ſeruatuſque donec doceretur, quæ ad diſciplinam Chriſtianam neceſſaria, vt cum poſtea rediſſet in Aulam, ſacramentis religioſè munitus à dæmonum laqueis eriperetur, quod & denique factum eſt, etſi poſtea relapſum criminis poſt aliquot annos pœnas dediſſe dictum eſt.

Vide de his remedijs Steph. Duran li. 2. de ritibus Eccleſiæ Cath. cap. 58.

Anno

Anno 1586. in eadem ditione fuit Adoleſcens ruſticus, ſed peracri ingenio intra quintum decimum annum. Hic non ſemel acceſſerat ad feralem locum, vbi permixti fœminis mares, & ætatis teneræ maioribus dæmone Magiſtro epulabantur noctis licentia diſcrimiue pudoris extincto, ipſe tamen nondum Deo, Deiparæque renuntiauerat, execrandaſq; nondum precationes fecerat dæmone præeunte, felis tantum cerebrum cum ſumpſiſſet in cibum, decreſcente Luna, mentem ſibi ſentiebat imminui. Vbi Treuirenſem ingreſſus eſt vrbem, quam nunquam antea viderat, eo nimirum ducente ad ſupplicium, qui duxerat ad maleficium, vt fanaticus deductus eſt in ædes Principis, vt ſeorſum ab alijs certa in domus parte curatus dæmonem excuteret, ſed cum ei nulla à dæmone nocte daretur quies, coniuratiſque à quibus diuerberabatur, vel cerea effigie ſacri Agni, quam ad collum habebat, auulſa, Archiepiſcopo placuit mitti in Collegium Ieſuitarum, nec hic quidem miſero fuit pax, niſi ſolemni ritu cubiculo expiato. Operæ pretium erit quædam ex ijs commemorare, quæ ab ipſo narrabantur, ita enim ipſimet Antiſtiti ille dicebat. Cum exerceretur noſtra conuerſatio, fuit vnus è tua cohorte, qui gloriatus eſt quadam nocte (indicabat enim quænam fuiſſet) dormienti tibi potionem peſtiferam ingeſſiſſe, reperto ad te aditu, ex occaſione Agni Dei, quem iturus cubitum reliqueras imprudenter in menſa, quòd ſi paulo fuiſſet capacior calix, mortem non effugiſſes. Certè ipſe Epiſcopus dixit, ſe poſt illam noctem, ita infirma fuiſſe valetudine, vt per aliquot dies decumbere cogeretur. Cum hęc dicens in magna corona nobilium non faceret fidem, ad præfectũ Vrbis inquit, quin & te noſtræ Lamiæ bis inuaſerunt, ſed ab ea pixidula, quam fers continuo, vbi ſunt duæ imagines, & neſcio quid Conſecratum (Agnum Dei) intelligebat, ſunt à conatu repulſæ. De hac geſtatione rerum confeſſus eſt Præfectus.

Alius à dæmone obſeſſus canem magis ringendo, & latrando, quam ratiocinando, & loquendo hominem ſe eſſe oſtendebat, hic Burgundia, vſque ad nos adductus, vique ſumma compulſus in templum, non prius deſijt canem agere, quam Agnus Dei in collum inſertus eſt, tum demum obmutuit, & humanitati redditus, animum ſalutari confeſſione purgauit. Idem Amuletum fuit alteri eodem morbo laboranti.

Ex litteris Germaniæ ſuperioris Collegij Friburg. ann. 1590.

Ex eadem Prouincia in hæc verba Oenipontani; vt grauitate morborum medicamentorum reſpondet vtilitas, terriculis diaboli opponitur multis in locis ſacrarum plaguncularum vſus, ex eo genere nonnulla ponentur. Affirmabat ſe quidam inferis deſti-

deſtinatum ob ſcelera commiſſa, furijsque agitatus inuocabat dęmonem ſubinde, quem & adeſſe monſtrabat pauentibus alijs, indicis intentu, hunc perſanauit. Sacerdos mollibus primo delinitum verbis, mox etiam ad confeſſionem adductum, donata quam piè demitteret in pectus, bulla Agni cœleſtis; corpus quidam, animamque diro animarum prædoni deuouerat tempore præſtituto, hora ferè inſtante mæſtus, atque anxius adit Sacerdotem, eum dū conſulit trementibus labris, deerrantibus oculis repentino pauore opem exclamat, infœlici opem quin tu expedis pater? auxiliare aliquod ſacrum. Quærenti Sacerdoti quid nouum? Aſtat inquit ante oſtium hoſtis operiens abeuntem, & hoſtili vultu minitans raptum ex condicto; ergo huic quoque ſimile remedium allatum eſt, neque hæc ſunt fama incognita. Ruſticus cum audiſſet Oenipōti eſſe viros, qui veneficia, & præſtigias certis medicaminibus abigerent, ad illos venit, nempe Ieſuitas medicinam petens (hoc enim verbo vtebatur) aduerſus diabolum; interrogatus quid intelligeret nomine medicinæ, haud ſcio reſpondit; nihil enim præter auditum habeo, ſed iſtud quidquid eſt, quod diabolum fuget. Data igitur particula cerea, quam ſalutarem ſenſit valde paulo poſt, nunc Ieſuitæ per ipſius oppidum iter facienti, cum propterea obſideretur à pluribus ſeptuaginta amplius fuerunt diſpartiendæ particulæ.

Sub eodem tempore Auinioni, mulier Maligno vexata ſpiritu, cui ſuaſerat neſcio quis, vt conueniret Sacerdotem (dato interea parentibus cæleſti Agno, quem ignaræ inſueuerunt in veſtem) cum conſilium obliuiſcitur, aut differtur, à quatuor quaſi felibus per feneſtram raptata eſt ſupra domeſticum tectum, mox audiuit humana voce minantem præcipitium niſi ceream imaginem abijceret, quam in veſte habebat, intellexit illa quid eſſet, & agnouit ſuaſores mali, ergo magno animo negauit facturum, ſtatimq; cōuerſa ad preces relicta eſt de tecto ſuſpenſa (ſic enim inuenit eam maritus clamoribus excitatus.)

Anno 1590. Treuiris, acceptam Adoleſcens iniuriam cum inſigni rerum iactura à quibus minimè debebat ferebat iniquius, quā Chriſtianum deceret, ita dolore atrox, & mæroris immodicus, cum ſub crepuſculum ſolus ambulat, dęmonem haud occaſionum ignarum, non ſegnem obuium habuit, effigie viri nobilis, atro colore, exhorruit primum, ſed ſalus dicta timorem dempſit, quærenti cauſam triſtitiæ, reſpond. quod erat, tum dęmon præciſam omnem ſpem recipiendæ pecuniæ, peruaLidiorum potentiam interuerſæ, proinde ſe ſequatur, comprehenſurum ſe omnia leui nego-

Vnū remedium. tio. Cui adoleſcens, à notis mihi,& ab amicis imponitur, & habeo fidem ignoto? & quem nunc primum aſpexi? Bone Deus, hoc extremo dicto, velut fulminatum monſtrum hominis in auram ceſſit. Poſtridie eadem hora, idem agitanti, offert ſe mulier ameno cultu, orat breue ſpatium ſecreti receſſus: negat iuuenis, inſtantem repellit, exin ſuadet illa, proferat è cubiculo gladium, & in aduerſum parietem impingat, recuſat principio, demum neſcius quid ageret (cura fortè abſtulerat mentem) morem gerit, inter feriendum parietem; bene auertat Deus, clamat, hoc quoq; ſecundum fulmen Dæmonem abegit. *Alterū remedium.* Rediјt & tertiò (hærebat enim adhuc infixa animo ſollicitudo, & pellax non deſerebat) mulierem ſimulat pollentem ætate, ac forma, in ſtuprum illicit laſciua, voce geſtuq; nec ſe continet intra verba, vim adfert renitenti, vociferatur iuuenis opem implorans, accurrentibus ſubito domeſticis improba facies euanuit, & ipſe confectus laſſitudine, liquente animo repertus, rogatus timoris cauſam, & clamoris, ne hiſcere quidem, adeò iacebat rigentibus oculis exanimatus, per metum etiam voce amiſſa, igitur collocatur in lecto, ac fouetur, ſimulque reuocatur animus, aſperſione aquæ benedictæ, poſtridiè rem omnem exponit, & ſacerdotum ſuaſione ſacris myſterijs conſecrata, cera, cæteriſque armis diabolo formidatis, inſtructus, ita perterrefecit inimicum aduerſarium, vt apparere deſierit. *Remediū tertium.* Fit tamen aliquando Dei permiſſu, vt hoc remedium non iuuet, maximè, quando per aliud glorioſius vincere decreuit Deus, ut per nudum nomen Ieſu, vel Mariæ, vt euentu comprobatum eſt. *Bene. litteris Rhenanis dicti anni.*

Auguſtæ Vindelicorum anno 1591. vbi adeptio conſecratæ ceræ cum imagine Agni multis præſens remediū in horrificis à diabolo monſtris, & terroribus nocturnis fuit, alicui, tamen, quaſi contemneret dæmon, palam apparens, & magna oblata vi argenti ad flagitia impellens, retinaculo perrupto, abiectoque inuolucro, Ieſu, & Mariæ inuocata nomina ſaluti fuere. *Idem in litteris German. ſuperioris*

Anno 1589 Mulier quædam, quæ chyrographo, quod proprio ſanguine conſcripſerat, ſe dæmoni deuouerat, cum reſipiſcenti illud dæmon ſæpius oſtentaret, freta diuini Agni præſidio, cuius imagine pectus muniuerat, cum reddi chyrographum ſibi iuſſiſſet, tandem vidit illud, in cinerem, & fauillam conuerſum ad pedes ſibi deijci. *Idem in lit. Colon. & Treuirenſibus.*

DE SONITV CAMPANARVM.

Exemplum.

CAmpanarum ſonum valere contra Dæmones alibi exemplis demonſtrauimus. hoc etiam docuit Concil. Colonienſe. cap. 24. & idem confirmat exemplo Venerabilis Abbas Petrus Cluniacenſis, cum inquit. Frater quidam Ioannes nomine, natione Italus, regularis diſciplinæ ſeueritatem faſtidiens, etiam fugere de monaſterio cogitabat. Ipſe ei diabolus Abbatis aſſumpta ſpecie ſe obtulit, nam duobus dæmonibus in ſpecie Monachorum ſe comitantibus, fratri in quodam monaſterij loco ſecreto ſoli reſidenti, multaque ſecum voluenti opportunum fallendi tempus ſe inueniſſe credens apparuit, eique aſſidens dixit. Ego frater modo huc hoſpitandi cauſa diuerti, ſed caſu te conſpiciens, agnoui multa te ſollicitudine laborare, multoſq; in corde tuo cogitationum æſtus verſare, quorum cauſa licet quibuſdam referentibus mihi ex parte nota ſit, ſi tamen eam plenius indicaueris, poterò forſitan vtile tibi dare conſilium, vnde quis ſis, & quare mæſtus, amico quærenti expone. Cumque frater ille ignoto, vt putabat homini, ſecreta cordis ſui aperire formidaret, & ſe tantummodo natione Italicum eſſe reſpondiſſet, dæmon, qui Monachus videbatur adiunxit, & ego ipſius Regionis Abbas ſum, & tibi benè in omnibus auxiliari poſſum, noui enim licet tu reticeas, quòd Abbas monaſterij huius, & cæteri malè te tractent, neque vt dignum eſſet honorant, inſuper multis ſæpe iniurijs vexant, vnde admoneo te, vt tibi cõſulas, & locum hunc omnimodè pernicioſum relinquas, & mecum recedas, paratus enim ſum te ab his malis eripere, & Abbatiam meam, quæ Cripta ferrata dicitur, perductum, omni te ibi honore ſublimare. Ad hæc frater reſpondit. Ego hinc exire nullo modo poſſum, quia & clauſura monaſterij prohibet, & fratrum me multitudo circundat. Tum diabolus, nec ego inquit quandiu hic fueris te in aliquo iuuare poſſum; ſed fac qualibet arte, vt ſæpta monaſterij tranſgrediaris, quod poſtea quàm feceris, ego ſtatim adero, teque ad locum meum, vt dixi, perducam. Sed miſericors Deus, qui non permittit nos tentari ſupra id quod poſſumus, non vltra paſſus eſt hoſtem procedere ſed ſicut ſcriptum eſt, (qui fecit illum applicauit gladium eius) quando namque hoc agebatur, fratrum conuentus in refectorio ex conſuetudine hora

Lib. 1. de miraculi cap. 13.

cœnandi reſidebat, qua expleta à Priore ſecundum morem vno ictu campanula percuſſa eſt, quo ſono auditoq́, mox dæmon qui ſe Abbatem fingebat, actus Diuina virtute à fratre, qui loquebatur, ſe abripuit, & præcipiti curſu, ac maximo impetu ad latrinas, quę proximæ erant tendens, vidente fratre iam dicto, in earum ſe inferiora demerſit. Hoc idem quotidiè fatentur maleficæ, ſi quando à dæmone ad Conuentus feruntur, vel inde domum referuntur, ſignum campanæ audiatur, confeſtim dæmones ipſarum baiulos, ſpurcum onus in ſolum deijciunt, & fuga trepidos dilabuntur, vt ſuo loco iam docui.

Da quæſumus Domine Populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum Deum pura mente ſectari. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum &c.

EXOR-

EXORCISMVS

Virtutis eximię contra dæmoniacos,& ad ſoluendum omne opus diabolicum,& quoſcunq; morbos corpora humana vexantes,ſiuè ſint per facturas:maleficia, & incantationes à Maleficis factos , ſiue à Dæmonibus introductos.

Per eundem authorem compilatum , & ad infirmorum ſalutem accommodatum .

EXORCISMVS.

Deus in adiutorium meum intende . Domine ad adiuuandum me feſtina . Gloria Patri,& Filio,& Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum.Amen.

Oratio .

OMnipotens,& clementiſſime Deus à quo omne bonum ſumit initium , & ſemper ad potiora progrediens percipit incrementum , intercedente glorioſa Virgine Maria , totaq; cœleſti curia:concede quæſumus,vt quod ad gloriam tuam,& dæmonum confuſionem inchoare aggredimur, æterno tuæ paternæ ſapientiæ munere ad deſideratum portum perducamur. Per Chriſtum Dominum .

In Nomine Sanctiſſime Trinitatis, Patris † Et filij † Et ſpiritus † ſancti. Amen . Ego miniſter Exorciſta Sanctæ Eccleſiæ Apoſtolicæ Romanæ ſeruus licet indignus, per authoritatem fundatam in

paſſione,

paſſione,& Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, mihi conceſſam ſuper Serpẽtes,& Scorpiones:ſuper Aſpides,& Baſiliſcos: ſuper Leonem,& Draconem,& in virtute Beatæ Mariæ Virginis:Archangeli Michaelis,& Angeli cuſtodis,ac Sanctorum omnium. In Diuinæ Maieſtatis terribili poteſtate, ac auctoritate mihi ab ea tradita, ſtrictè præcipio, & mando omnibus malis ſpiritibus, de cœlorum habitaculo detruſis, cuiuſcunq; generis,gradus, conditionis, naturæ, officij,ſuperioritatis, ordinis, ac præeminentiæ ſint, quatenus ſub pœna excommunicationis, anathematis, maledictioniſq; Omnipotentis Dei,Indignationis Beatæ Mariæ Virg. ac Sanctorum Apoſtolorum Petri,& Pauli ſtatim incurrenda,vt poſtpoſita omni mora non præſumant, nec audeant per ſe, nec per ſuppoſitam creaturam quamcunq; peruerſam, moleſtare, perturbare, inquietare,nocereq; per Magos,Sortilegos, Sortiarios,Necromanticos, Lamias, præſtigiatores, Sagas, Veneficos, Laruas, & cuiuſcunq; generis diabolicas perſonas, quæ diabolo innituntur pacto, ſiuè tacito, ſiuè expreſſo: per inuocationes, adorationes, incantationes, præcepta expreſſa, ſiuè tacita; ire, mittere,appropinquare, per viſum auditum, guſtum, tactum, & odoratum: nec per ſomnia, nec per vigilias, vmbras, malas, figuras,phantaſmata, ſtrepitus, maleficia, incantationes, ſignaturas, ligaturas, facturas, dolores, tumores, infeſtationes, inquietudines, perturbationes,ſuperſtitiones, moleſtias, vexationes, paſſiones,& quoduis tormentum diaboli,ſeu malorum viuentium: nec per maleficium expreſſum,vel tacitum: internum, vel externum: perpetuum, vel temporale à quouis dæmone cuſtoditum, oblatum, & ablatum: nec habeant poteſtatem vexandi, ſeu perturbandi ſenſus eius interiores, vel exteriores à planta pedis, vſq; ad verticem, neq; humores commouendi: neq; in diſſecationem inducendi, vel quacunq; imbecilitate. vexandi: nec horis diurnis, vel nocturnis eius quietem impediendi:nec dum ipſe in loco aliquo opaco, vel ſolitario ſolus, vel comitatus ierit,vel tranſierit,ille terrorem,vel nocumentum incurrere,vel ei aliquam illuſionem,tam fantaſticam, quam realem facere,vel mittere, ſed ſemper ab eo,& ab omnibus eius rebus procul pellantur,& fugiant, quia ſic imperat Ieſus Mariæ filius,quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis,& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis. Hic enim iuſtificatus eſt in ſpiritu: prædicatus gentibus: in cruce ✝ ſuſpenſus, & aſſumptus in gloria, ſedet ad dexteram Dei patris,vt credentium exaudiat præces, & vota. Per nomen ergo Ieſu,cui omne genu flectitur, cæleſtium, Terreſtrium,

&

& infernorum,& per merita Beatæ Mariæ Virginis, & preces Sancti Angeli cuſtodis:omnium Sanctorum,& Sanctarum Dei, præcipue Apoſtolorum, & Euangeliſtarum Mattei, Marci, Lucæ, & Ioannis; Sancti Antonij, Benedicti, Franciſci, Bernardi, Mariæ Magdalenæ,& Sanctæ Catharinæ Virg. & mar. te præſeruare, cuſtodire, & liberare dignetur ab omnibus incantationibus, maleficijs, ſignaturis, facturis, moleſtijs, infeſtationibus, paſſionibus, doloribus, & quibuſcunq; vexationibus, & operationibus Sathanæ, ac miniſtrorum eius. Qui viuit,& regnat &c.

Ecce Crucem † Domini noſtri Ieſu Chriſti fugite partes aduerſæ, cuiuſcunq; generis, grandus, ordinis, conditionis, natura, officij, præeminentiæ, ac ſuperioritatis ſitis, ita præſentes, ſicut abſentes, ſiuè ſitis ad extra, ſiuè ad intra, ſiuè ignei, aerei, terreſtres, aquatiles, ſubterranei, ſiuè lucifugi, quomodocunq; & ſub quouis prætextu vocati: ſponte miſi, per incantationes, præſtigia, ſortilegia, vel quouis modo, & arte facinoroſorum hominum, vel mulierum. Nam Ego coniuro vos, exorcizo, maledico, excommunico, & anathematizo, vt ab hac Dei creatura nullis relictis reliquijs maledictionis veſtræ, ſed ſemota omni diabolica fraude, ſtatim dicto verbo recedatis, per Deum viuum † verum † Sanctum † fortem immortalem † Patrem † filium † Et ſpiritum ſanctum; nec poſſitis ſub quouis prætextu moleſtare creaturam iſtam, ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti regeneratam, nec in corpore, nec extra corpus: corporalia, ſeu ſpiritualia exercendo, ſiue per vmbras, figuras, ſiue per alia phantaſmata: ſed auferre omnem dolorem, leſionem, infirmitatem, timorem, pauorem, furorem, & paſſionem quamcunq; aliter inuoco ſuper vos omnes maledictiones omnipotentis Dei, excommunicationes, iras, furores tormenta, & pœnas, ac immiſſiones in ſtagnum ignis, & ſulphuris, per manus inimicorum veſtrorum, ſintq; ſuper vos cunctæ confuſiones: dolorum aſperitates, & culmen omnium iniquitatum tormētorum inundationes: impetus: calamitates: ſagittæ: anguſtiæ: laquei ignei: incendia æterna ignis. ſulphuris, furoris ire Dei, ac indignationis B. Mariæ Virg. & omnium ciuium ſupernorum, & trado vos lucifero dæmoniorum principi, omnibuſque inimicis veſtris dæmonibus caſu inobedientię, vt vos torqueant, excruciēt, affligant, & dilapident, ac ſi realiter eſſetis in inferno, per virtutem incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos,& mortuos ſeculum per ignem.

Si diabolus ligauit, vel tentauit te ſuo effectu, creatura Dei, vel per opera ſua, vel alius aliquis per ſua maleficia, incantationes, faſcina-

faſcinationes, ſignaturas, facturas, vel ligaturas, verbo, nutu, viſu, tactu, ſufflatu, laude, maledictione, vel facto arte diabolica, aut alio quouis maleficio facto, Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, per ſuam pijſſimã miſericordiam liberet te ab omnibus ſpiritibus malignis, & ab eorum operationibus, qui deſcendit de cælo, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto in vtero B. Mariæ Virg. vt ſaluum faceret hominem, & eijceret diabolum, & omnem ſpiritum malignum in profundum abyſſi. Benedicat te † Deus, & ego in nomine ſancto ſuo termino omnia maleficia, & benedico te, vt ſis nunc, & ſemper benedictus, ſicut Deus benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit eum. Sicut benedixit † Noè, & filijs ſuis. Sicut † benedixit Abraam, & magnificauit nomen ſuum inter ſanctos. Sicut † benedixit Melchiſedech offerenti panem, & vinum. Benedicat † te Deus, & corroboret te benedictione ſancta ſua contra infeſtationes diabolicas, prout termino omnia maleficia, & commendo te Deo excelſo, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſint. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & oſculetur te oſculo ſanctæ pacis. Auferat omnipotens malas has beſtias à te, & gladius maleficij, non tranſeat terminos hos, ſed per has benedictiones cæleſtes cadant inimici tui gladio in conſpectu noſtro, & eradicentur à te cum omnibus maleficijs, incantationibus, ſignaturis, & facturis.

Pone Deus omnipotens dexteram tuam plenam larga benedictione ſuper famulum tuum, & reple eum æternis benedictionibus. Sancta Maria admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis: ſit per te excuſabile quod per te ingerimus: fiat impetrabile quod fida mente poſcimus: accipe quod offerimus: redona quod rogamus. excuſa quod timemus, quia tu es ſpes vnica peccatorum: per te ſperamus à vexatione malignorum ſpirituum liberari. *Aue* ſine veh. *Maria* tota mitis, dulcis, tota pia. *Gratia plena*. cuius memoria ſuauis eſt ac peramena. *Dominus tecum*. tua gratia ſit mecum. *Benedicta tu in mulieribus*. excelſior facta ſyderibus, *Et benedictus fructus ventris tui*. cuius pretioſo ſanguine redemptus fui. *Ieſus Chriſtus*. ſit in æternum laudatus, & benedictus. *Sancta Maria* omnium errantium tutiſſima via. *Mater Dei*. rogo te miſerere mei. *Ora pro nobis peccatoribus* ne nouis implicemur erroribus. *Nunc & ſemper*. vt puri te laudemus frequenter. *Amen*. O Maria gaudium noſtrum virtus, & ſolamen. Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe. Monſtra te eſſe matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus,

tulit eſſe tuus. Sancta Maria ſuccurre miſeris iuua puſilanimes, refoue debiles, te precamur per vnigenitum filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cum quo viuis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio.

Domine Deus omnium Creator, terribilis, & Omnipotens, benignus, & miſericors, qui ſolus es bonus, præſtans auxilium, & liberans tribulantes de omnibus, anguſtijs, exaudi preces noſtras pro hac creatura tua, & reſpice eam à diabolo vexatam, cōtemptam, & abominatam: affige quæſumus opprimentes eam, & in ſuperbia contumeliam facientes. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

O maledicti, & excommunicati ſpiritus cuiuſcunq; conditionis ſitis, diſtrictius, & fortius in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis adiuro vos, & exorcizo, ut ſi ingreſſi, vel ingreſſuri eſtis, vel tenemini quocunq; modo, forma, ordine, via, conditione, incantatione, detentione, ligatione, interdictione, vel per malitiam dæmonibus ſeruientium, vel aliquo præcepti vinculo adorationis, innodationis, artis, & facturæ veſtrorum maiorum, vel minorum, vel malorum hominum, ſeu Lamiarum quouis modo facta, vel nuncupata ad quoduis malum finē compilato, fabricato, vel fabricaturo per virtutes, & potentias veſtras, ſiue per locutionem internam, vel externam, vel per dęmonomaniam, & quamcumq; malam artem, ſcientiam, viam, & cogitationem, vel per maleficium taciturnitatis profeſſionis, vel non perpetuum, vel terminatum, ad tempus, vel momentum, vel per diabolum, aut aliam creaturam delatū, vel immiſſum, ſiue per coniecturas, reuelationes, & prędictiones dœmonum; ſiue per maleficium ad amorem, vel odium, vel conſuetudine: vel in contemptum alicuius diei feſti, vel ferialis, ſiue per curioſitates, ſuperſtitiones, & ſaltationes; ſiue per obliuionem, vel memoriam, febrem peſtilentem, præfocationem ſpiritus, & cerebri: ſiue per oppreſſionem, ſomnum, vel vigiliam, phegmonem cum rubore, & dolore, ſiue per extenſionem duritiam, vaſtitatem, apopleſiam, ſpaſmum, cephaleam, cum omni dolore, & paſſione capitis; telum, ilcos, & apoſtemam cum dolore, & febribus, epilepſiam, melancoliam, & inſaniam, paraliſim, hydropiſiam, inflationem, turgentem, & anelitum fætidum, podagram, chiragram, lepram, cancrum, ſaniem, ac aerem corruptum, pruriginem, ſcabiem, peſtilentiam, cæcitatem, ſurditatem, mutitatē,

& omnem interitum, dirum dolorem viſcerum, & amara interiorum torméta, vlceras peſſimas, & plagas inſanabiles; maniam, freneſim, opilationem, iteritiam, iliacam, diſſenteriam, vniuerſos langores, & diluuium cunctorum dolorum, & pœnarum inducentium; ſiue fit in aere, plumbo, argento, auro, aut in filato aliquo bombicino, ſerico, lineo, vel laneo, vel in oſſibus hominum viuentium, vel mortuorum, animalium terreſtrium, volatilium, vel aqueorum, vel in gummis, in libro, & carta, etiam virginea, vel in aliquo ligno, vel in aliquibus verbis, herbis, vel lapidibus, vel in elementalibus, in capilis, plumis, lanis, paleis, vel in quibuſuis creaturis: & ſi eſt in ſepulcro hebreorum, paganorum, hæreticorum, vel Chriſtianorum: & ſi eſt in agro, vinea, pratis, nemoribus, montibus, vallibus, cauernis, fontibus, vel extra: & ſi eſt ab oriente, occidente, ſeptentrione, vel meridie; & ſi eſt in veſtimentis, centuris, in triuio, vel in domo, in pariete, in thoro, deſuper, aut deſuptè in rebus domus, vel domorum: & ſi eſt in arbore, in folijs, in fouea, puteo, ciſterna, in profundo, vel in abyſſo: & ſi eſt in ſilua, uel ſpelunca ſolitaria in deſerto, in diuiſionibus marium, uel fluminum: & ſi eſt in ſtatua, in clauſura ferrea, uel lignea in cóiunctura membrorum, uel conſumpta per ignem, aquam, uel terram, potatione, commixtione, tactu, uiſu, odoratu, auditu, uel quocunq; loco ſit, & quomodocunq; factum, uel fiendum etiam vſq; ad mortem, & ſub quibuſuis uerbis, & rebus, tàm ſacris, quam non ſacris: ſiue in quauis re cognita, uel incognita, ſiue naturalia ſint, ſiue ſimplicia, aut mixta, temporalia, aut ſpiritualia: aut in nominibus magni Dei, aut Angelorum: ſiue in characteribus punctis, ſignis, figuris, formis, numeris, horis, minutis, diebus, noctibus, anno menſe ſuperſtitioſe obſeruato, cum pacto expreſſo, aut tacito: ſiue in planetis, Sole, Luna, Marte, Mercurio, Ioue, Venere, & Saturno: ſiue in celeſtibus ſignis, Ariete, Tauro, Gemini, Cancro, Leone, Virgine, Libra, Scorpione, Sagittario, Capricorno, Aquario, Piſce; ſiue in augmento, uel diminutione Lunæ, diebus feſtiuis uel ferialibus: ſiue ſub quouis, & in quouis sydere ſub cælo, ſiue per homagium à magis præſtitum, ſiue per proceſſum factum, etiam non completum uſq; ad definitiuam ſententiam æternæ maledictionis, quæ uobis iure debetur, etiam iuramento firmato: omnia illa, & alia extermino, deſtruo, extirpo, euello, expello, confringo, euacuo, eradico, diſſipo, irrito, annullo cum omnibus, circũſtantijs, clauſulis, & conditionibus annexis, & connexis, & dependentibus, appoſitis, & nó appoſitis per potentiã Patris † per Sapientiam filij † per bonitatem Spiritus † Sancti. Extinguatur

ergo

ergo in creatura iſta, diſſipetur, deſtruatur, & fugetur omnis uirtus diaboli per ſignum Sanctæ † Crucis, & per inuocationem omnium Sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriacharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & Dei electorum, quos humiliter præcor, ut dignentur orare pro nobis Deum, ut per ſuam pijſſimam miſericordiam te adiuuet, liberet, conſeruet, & cuſtodiat ab omnibus inimicis tuis, & à ſpiritibus immundis. Dominus noſter Ieſus Chriſtus apud te ſit, ut te defendat † Intra te ſit, ut te conſeruet. † Ante te ſit, ut te deducat. † Poſt te ſit, ut te cuſtodiat. † Super te ſit, ut te benedicat. † & ſanet ab omni moleſtia, uexatione & dolore. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto uiuit, & regnat &c.

Oratio.

DEus, qui per unigenitum filium tuum excluſa diaboli dominatione populum tuum fide roboraſti: expelle quæſumus ab hac creatura tua cunctas diabolicas inſidias, nec patiaris eam oppreſſione, uel uexatione eius fatigari, quam eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti filij tui prætioſo ſanguine redemiſti. Per Chriſtum Dominum &c.

Iterum coniuro vos abbominabiles ſpiritus per vnum ſolum, verum, æternum, immenſum, incommutabilem, incompræhenſibilem, omnipotentem, & ineffabilem Deum, Patrem † Filium † Et Spiritum † Sanctum: Deum in perſonis trinum: & in ſubſiſtantia, & eſſentia vnum: conſubſtantiales, cœquales, omnipotentes, & coæternæ perſonæ: vnum vniuerſorum principium omnium viſibilium, & inuiſibilium, ſpiritualium, & corporalium Creatorem, vt feſtinanter, & abſq; mora fugiatis ab hoc plaſmate Dei, deſtructis cunctis ligaminibus iniquitatis, quibus hic tenemini. Quomodocunq; ergo ſpiritus damnati & reprobati, quicunq; eſtis, ſiue vnus, ſiue plures, ad hunc famulum Dei omnipotentis in baptiſmo recreatum, vel in cibo, vel in potu, vel quacunq; alia maleſica ſuperſtitione, vel tua malignitate nequiſſima, aut exigentibus culpis, & peccatis ſuis, acceſſum habere præſumpſiſtis, vbicunq; latitatis in hoc famulo Dei à planta pedis vſq; ad verticem vel in veſtibus, ſiue aliquibus ſibi adherentibus, vbicunq; ſitis, vos requiro, & cito, temerariamq; hanc, & præſumptuoſam inuaſionem, agitationem, & perturbationem huius famuli Dei iniuſtiſſimam ex parte, & nequiſſima voluntate veſtra, interdico, non meis viribus, ſed fortiori poteſtate omnipotentis Dei, & Domini

noſtri Ieſu Chriſti filij eius, qui ſuperueniens in atrium huius mundi, principem veſtrum cum omnibus immundis, & miſerrimis ſatellitibus infernalibus vicit, eiecit, & eorum vaſa diſrupit. Cedite ergo nefandiſſimi in nomine Ieſu, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, ſeculũ per ignẽ. Cedite creaturæ maledictę, quia vobis interdico, ac definitiuè prohibeo, vt operationes veſtræ, vel aliorum operata maleficia, quomodocunq; , & qualiacunq; facta, diſſoluatis, & amoueatis, & nunquam de cætero, nec per vos, nec per alios aliquam vexationem cauſetis, vel ſenſus eius, tam interiores, quam exteriores, perturbetis, per Patrem † per Filium † & per Spiritum † Sanctum.

Abſoluo te creatura Dei ab omnibus maleficijs, incantationibus, ligationibus, ſignaturis, & facturis tibi arte diabolica factis, quæ omnia diabolica, deſtruo, annichilo, extirpo, & eradico ab omnibus membris tuis, vna cum omnibus infeſtationibus, moleſtijs, perturbationibus, doloribus, paſſionibus, & vexationibus quomodocunq; & qualitercunq; tibi factis, & recedat maledictus ipſe confuſus ſine læſione animæ tuæ, nec corporis, vel alterius cuiuſuis, per ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui effuſus fuit in redemptionem animarum noſtrarum. Per nomen Dei, qui eſt, Deus Abraam † Deus Iſaac † Deus Iacob † Rex magnus glorificatus, & adoratus, terminentur, diſſoluãtur, & annichilentur ab iſto famulo Dei omnes facturæ, & omnia opera ſathanæ, vt non habeatis poteſtatem ſuper famulum iſtum nocendi, nec in die, nec in nocte, neq; orando, nec vigilando, nec dormiendo, nec ſedendo, nec ſtando, comedendo, aut bibendo, nec ſua naturalia exercendo, nec in noua, nec in veteri, nec in vlla hora diei, neq; noctis, neq; habeatis poteſtatem intrandi domum ſuæ habitationis, nec in vlla figura appareatis per laudes Angelorum glorificatorum, per virtutes atq; dominationes cęlorum, & per orationes omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei. Aperiat Dominus huic creaturæ ſuæ ianuas miſericordiæ ſuæ, & det ei ſanitatem animæ, & corporis, & dilectionem cum omnibus ſanctis ſuis, & diſcedant omnes maligni ſpiritus cum maleficijs, incantationibus, ligationibus, ſignaturis, & facturis, nec habeant poteſtatem maligni nocendi, neq; contradicendi, aut contriſtandi famulum Dei, per abſolutionem, qua ego hodie eum abſolui. In nomine Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti. Amen.

Iterum coniuro vos abhominabiles Spiritus per potentiſſimum Deũ fortem, admirabilem, excelſum, ineffabilem, & inuiſibilem: & per virtutem omnium coniurationum, alligationum, vinculorum,

rum,& mandatorum, cuiuſcunq; conditionis,& virtutis exiſtant, quibus aliquo modo in nomine Ieſu Chriſti poteſtis coniurari, conſtringi, ligari,fugari, vel de loco ad locum mitti,vel cruciari, torqueri, vel ad pœnas aliquas damnari: ſit vobis ipſo facto omnis locus,& omnis ſitus interdictus præter centrum mundi, & ego vt miniſter Chriſti in ſtagnum ignis & ſulphuris præcipito,& æternaliter condemno,& ibidem virtute omnium ſupradictorum,vos maledico,excommunico,& condemno, & vſq; in profundi abyſſi,ad diem iudicij futurum proijcio,& relego,vt ſitis ſubiecti omnibus pœnis infernalibus acrius, & durius lucifero, quia fuiſtis, & eſtis ſpiritus deiecti de ſocietate beatorum de loco inenarrabili, de conſortio Angelorum, de fœlicitate æterna, de Sanctorum communione, de charitate Ieſu Chriſti de bono incommutabili, de pace perpetua,& de ſempiterna Dei viſione.spiritus inurbani, in furca infernali ſuſpenſi: spiritus deformes, leproſi, ſtercorati, incantatores,Magi,& malefici: Spiritus excommunicati, maledicti, præcipitati de cælo, immundi, ſine gratia Dei: Spiritus ſpurciſſimi: ruſtici tartarei, ſuperbi, adulatores, & ambitioſi:spiritus præſumptuoſi, incantatores, deſperati, detractores, & contumelioſi: Spiritus blaſphemi,hæretici, petulantes,idolatræ,& irreuerentes: Spiritus iracundi,iniurij,homicidæ,infideles, & apoſtatæ: Spiritus crudeles,contentioſi, diſcordes, curioſi, deriſorij, & vituperoſi: Spiritus odioſi,ſciſmatici,ſeditioſi, litigioſi, maledictorij, & iniuſti: Spiritus auari, fraudulenti, raptores, hypocritæ, ebrioſi,& inobedientes: Spiritus mendaces, ingrati, negligentes, incontinentes,ſacrilegi, inceſtuoſi, ſodomitæ,beſtiales, adulteri, & fornicarij: Spiritus obſtinati, inuidi, impij, ſcandaloſi, inquieti: Spiritus ſuſſuratorij, detractores, infames, ſimoniaci, ſimulatores, & ſtulti: Spiritus verboſi, murmuratores, malitioſi, vani, pertinaces, & vagi: Spiritus tentationis, elationis, pompæ, otij, pigritiæ, & ſomnolentiæ: Spiritus iniuriæ, rumoris, loquacitatis,rapacitatis,fraudulentiæ, inquietudinis, deſperationis,contemptus, & impietatis: Spiritus mendatij,cupiditatis,periurij,& perſeuerantiæ in peccato: Fugite ergo euaneſcite, confundimini, diſſipamini, & conterimini in potentia Patris † in ſapientia Filij, in bonitate Spiritus † Sancti. Amen.

Oratio.

RESpice Domine Deus hanc creaturam tuam, & ab ea cunctã inimici repelle nequitiam: vt lumine tuæ claritatis, & miſericordiæ illuſtrata,atq; liberata, dignas tibi referat gratias. Per Domi-

Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

Coniuro vos dæmones, adiuro, conteſtor, & exorcizo, vt ſtatim dicto verbo fugiatis, per Diuinitatem, increationem, immenſitatem, æternitatem, gloriam, maieſtatem, immortalitatem, impaſſibilitatem, immutabilitatem, incomprehenſibilitatem, potentiam, iuſtitiam, ſapientiam, pulchritudinem, miſericordiam, benignitatem, bonitatem, ſanctitatem, gratiam, & influentiam, potentiſſimi Dei viui omnipotentis, cui omnes obediunt creaturæ, & per admirabilem præordinationem Dei, quam habuit ab æterno, vt mitteret filium ſuum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui dixit Apoſtolis ſuis, petite, & accipietis, quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis, & qui eoſdem Apoſtolos docuit orare patrem cœleſtem dicens; cum autem oraueritis dicite. *Pater.* in creatione excelſus in amore ſuauis, in hæreditate diues. *Noſter.* Chriſti per naturam, noſtri per gratiam inceptam, ſed beatorum per gratiam conſummatam. *Qui es.* duratione æternus, ſubſtantia infinitus, bonitate ſuauis. *In cælis.* ſpeculum æternitatis corona iucunditatis, Theſaurum fœlicitatis. *Sanctificetur.* per fidē viuam, per ſpem fortem, per charitatem ardentem. *Nomen tuum.* vt ſit dulcedo in ore, melos in auribus iubilum in corde. *Tuum etiam.* vt tu ſolus glorificeris, tu ſolus deſidereris, tu ſolus tamquam vltimus finis ameris. *Adueniat.* deſuper à patre luminum, intus in animo, foris à gratia, & non à naturam. *Regnum* iuſtitiæ, pacis, & gaudij in ſpiritu ſancto. *Tuum.* non huius mundi fallacis, non huius carnis mortalis, non diaboli deceptoris. *Sed tuum.* iucundum ſine mœſtitia, tranquillum, ſine perturbatione ſecurum ſine perditione. *Fiat* mandato tuo, conſilio tuo, auxilio tuo. *Voluntas tua.* bona in creatione, beneplacens in redemptione, perfecta in iuſtificatione. *Sicut in cælo.* ad imitationem beatorum, ad ſimilitudinem Virginum, ad modum Chriſti. *Et in terra.* vt ſpernamus quidquid tibi non placet, vt amemus quod amas, ut faciamus quod iubes. *Panem noſtrum.* panem lachrimarum, panem verbi Dei, panem Sacramentorum. *Quotidianum.* quia ſine illo morimur, ſine illo nihil ſcimus, ſine illo peccamus. *Da.* quia tuum eſt proprium dare, quia beatius eſt magis dare, quam accipere, quia noſtrum eſt accipere. *Da etiam.* non Angelum, ſed filium, non hominem, ſed creatorem, non datum, ſed datorem. *Da Domine.* in incarnatione verbum tuum, in iuſtificatione ſpiritum ſanctum in glorificatione te ipſum. *Nobis,* indignis, inutilibus, ingratis ſeruis tuis. *Hodie.* in hac die pugnæ, in hac die tenebrarū, in hac die miſeriæ. *Et dimitte.* tu, qui es fons miſericordiæ, fons

gratiæ,

gratiæ, tu qui in cruce fudiſti ſanguinem. *Nobis.* conceptis, enutritis, & qui viuimus ſemper in peccatis. *Debita.* commiſſa contra maieſtatem tuam, contra proximi charitatem, contra ſalutem noſtram. *Noſtra,* quia corde, ore, & opere illa commiſſimus. *Sicut & nos dimittimus.* quia ſi dimittimus debitoribus, tu dimittis nobis, ſi dimittimus illis, efficimur filij tui per imitationem: ſi dimittimus, obſeruamus præcepta tua. *Debitoribus noſtris.* qui in nos leuiter, ignoranter, & iuſtè peccauerunt, cum ſimus digni mortis. *Et ne nos inducas.* auferendo gratiam tuam, arcendo à via ſalutis, recedente tua dulci præſentia, permittendo occaſionem peccandi. *In tentationem.* carnis, mundi, & diaboli, inimicorum noſtrorum. *Sed libera.* tu qui es liberator, ſaluator, & redemptor. *Nos,* filios mortis, diaboli mancipia, peccati ſeruos. *A malo*, præterito, præſenti, & futuro: culpæ, & pœnæ. *Amen*. ſic fiat per te vltimum finem noſtrum. Euaneſcite, ergo vos omnes immundi ſpiritus ſatanici in huius terribili maieſtate, & potētia, quia Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, Chriſtus ab omni malo, & ſuggeſtione veſtra hunc ſeruum Dei liberet, & defendat.

O maledicti canes infernales confundimini iam, in virtute Sanctiſſimæ Trinitatis, Patris † Et filij † Et Spiritus † Sancti, cedite iam vulpes fraudulentæ, diſſipamini iam aſpides tortuoſi, & virulenti: comminuimini lupi rapaces, qui laceratis gregem Domini: fugamini cloacæ iniquitatis: obſcuramini nebulæ ſuperbiæ à vento agitatæ, & abhominamini omnes vos Dei rebelles, creaturæ damnatæ, & reprobatæ, quia contaminaſtis viam Domini, ideo contriti ſunt dentes veſtri; defeciſtis à facie Dei, quia confregit Deus capita veſtra ſuperba, & effudit ſuper vos iram, furorem, indignationem, & addit dolorem vulneribus veſtris, ſed vos apponitis iniquitatem ſuper iniquitatem. O excommunicati vos malignatis ſuper nos conſilium, more aſpidis inſidiamini animabus hominum: vos perſequimini nos in ira, & tempeſtate inflammatis in circuitu animas credentium: loquimini ſuperbiam, & infertis malum, ſemper operantes iniquitatem, ſed diſperdet vos Dominus in iniquitate veſtra: inflammabit vos in circuitu veſtro, quia facti eſtis ſicut fœnum tectorū, quod areſit, priuſquam euellatur. fugite igitur damnati, & à Deo in æternum maledicti, quia Dominus terras veſtras euertit, & à fundamentis euulſit habitationes veſtras.

O miſeria miſeriarum, quia ceſſauit memoria veſtra in cælo, & in terra: hæreditas veſtra perijt, cecidiſtis in maledictione propter peccatum veſtrum: nomen veſtrum deletum eſt de libro vitę,

&

& luctus veſter in ſpiritu veſtro in æternum eſt. Idcirco dabit Dominus ſuper vos lapides prægrandes in conſumationem afflictionem, & perditionem, quia conturbati ſunt montes præ deformitate veſtra: vt ſtercus in medio platearum facti eſtis: ſagittæ domini ſuper vos acutæ, & in maledictione pax veſtra erit in æternum. O creaturæ ſtultæ quid proſunt vobis Teſauri impietatis veſtræ? inter vos ſemper erunt iurgia: extinguemini inuicem, quia eſtis lucernæ plenæ oleo maledictionis Dei: in fructibus veſtris conturbatio ſolum, & perditio eſt, propterea non poteritis lætari in alterius ruina. O miſeri vos ſeminaſtis iniquitatem, ſed metetis mala: fouea profunda facta eſt via veſtra, gladijs plena, ſed in eam præcipitabit vos Dominus. O latrones infernales, dum inſidiamini in via, operiunt vos vrtice, & ſpinæ, vt in opere veſtro malo cruciemini in æternum fauilla ſtupæ eſt fortitudo veſtra, & ideo ſuccendetur, & non erit, qui extinguat, quia dilatabit infernus animam ſuam: aperiet os ſuum in momento, vos autem fortes, & ſequaces veſtri ſublimes, & glorioſi, deſcendetis damnabiliter in eum, ad æternos horrores, ærumnas, & dolores, ſine numero, ſine pondere, ſine menſura duraturos.

Oratio.

OMnipotens æternæ Deus, qui facturę tuæ ſemper pio dominaris affectu: inclina quæſumus aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & creaturam tuam diabolica infirmitate laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, cæleſtiſque gratiæ præſta medicinam. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Coniuro, adiuro, & exorcizo vos ſpiritus rebelles per Sanctiſſima Dei omnipotentis nomina, ſcilicet, Tetagramaton † Heloym † Adonay † Emanuel † Meſſias † Agios † Otheos † Athanatos † Sabaoth † Rex † Lux † Dux † Iudex † Pater † Magiſter † Principium & finis † Alpha, & Omega † Via † Veritas † Vita † Sapientia † Oſtiũ † Imago † Propheta † Petra angularis † Vitis † Clauis † Primogenitus † Altiſſimus † Agnus † Ouis † Petra † Sponſus † Creator † Redemptor † Paſtor † Splendor † Præceptor † Sol † Flos † Sacerdos † Pontifex † Charitas † Vnigenitus † Fons † Paraclitus † Mediator † Omnipotens † Aeternus † Deus † Ieſus † & per virtutem ſanctiſſimi nominis, Ieoua, & aliorum nominum eius. Item adiuro vos per ſanguinem, qui de latere Chriſti in Cruce pendentis exiuit, & per beatam Virginem Mariã matrem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & per millia millium Angelorum Deo miniſtrantium:

ſtãtium: per collegium Apoſtolorum:per quatuor Euangeliſtas, Marcum, Matteum, Lucam, & Ioannem: & per viginti quattuor ſeniores: per ſeptem ſpiritus ſtantes ante Tronum Dei: per Tremendum diem iudicij: per ſeptem cœlos: per ſanctos Patriarchas Abraam, Iſaac, & Iacob: per incarnationem, & natiuitatem Ieſu Chriſti filij Dei viui: per Angelos, Archangelos, Tronos, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Cherubim, & Seraphim, per omnes Sanctos Innocentes, Martyres, Confeſſores, Virgines, Viduas, & per omnes sanctos, & sanctas Dei, vt ſtatim detis gloriam Deo, & fugiatis ab hac creatura Dei, & relinquatis eã liberam, & ſanam, nullis relictis reliquijs maledictionis veſtræ. Per Chriſtum Dominum noſtrum, verbum caro factum, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, ſeculum per ignem.

Item, in nomine, & ex parte Sanctiſſimæ Trinitatis, totiuſque curiæ cæleſtis, præcipio vobis dæmonibus, qui datis, vel daturi eſtis auxilium his ſpiritibus vexãtibus hanc Dei creaturam, quatenus nullum fauorem, auxilium, vel ſuccurſum eis detis, ſub quouis, quæſito, colore, & prætextu, ſed ſtatim tamquam ſtipula, quæ à vento rapitur, fugiatis, & eatis ad loca vobis à Deo deputata, ſub pœna detruſionis in omnibus cruciatibus inferni illico incurrenda. Ecce ſignum Sanctæ Crucis ✝ æternæ confuſionis, & maledictionis veſtræ, in fugam abite præcipites, ſicut exercitus Holofernis, & eo modo, quo de cælo cecidiſtis, nam vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, Alleluia, alleluia, alleluia.

O maledictæ creaturæ, quæ in ſuperbia, & obſtinatione veſtra confiditis, vt Deo reſiſtatis: eijciat vos Deus, ſicut eiecit, Cain à facie ſua: Diuidat vos Deus à creatura iſta, ſicut vos per *Michaelem* Archangelum diuiſit à ſpiritibus cæleſtibus: Pluat ſuper vos ignem, & ſulphurem dominus, ſicut ſuper Sodomam, & Gomorram, & finitimas ciuitates eius. Flagellet vos plagis maximis, ſicut Pharaonem, & domum eius propter Sarram vxorem Abrahę. Deuoret vos ignis infernalis, ſicut virga Moyſi deuorauit ſerpentes Magorum Aegipti. Impleat vos Deus cunctis generibus tormentorum, vlcerum, & dolorum, ſicut domos ægiptiorum plagis grauiſſimis, ita vt corrumperetur terra. Demergat te ſuperbum Dominus in profundum inferni, ſicut flante vento vehementi inuoluit currus cunctos, & exercitum Pharaonis in fluctibus maris. Irruat ſuper te gladius Domini in furore ſuo, ſicut filij Leui irruerunt in populum idolatrum, & ex eo ceciderunt triginta ferè millia hominum. Mittat in te Dominus accenſum ignem ardentem, & deuoret te, ſicut percuſſit populum deuorantem carnes, & mur-

murantem. Aperiat terra os ſuum,& deglutiat vos omnes,& fautores veſtros, ſicut abſorbuit Datan, & Abiron cum tabernaculis ſuis, & tota eorum ſubſtantia. Egrediatur ignis à Domino vos conſumens, ſicut interfecit ducentos quinquaginta viros offerentes incenſum. Percutiat vos in ore gladij ſui, ſicut percuſſit Regem Amorrheorum,& Regem Baſan cum populis ſuis. Deſtruat vos Deus, ſicut deſtruxit murum Geth, & Cananei, & Azot. Percutiat vos Deus cæcitate,ſicut percuſit populum Regis Syriæ perſequentem Heliſeum. Infigat Deus clauum cerebro veſtro, ac malleo percutiat, ſicut Iael clauo interfecit Siſaram, & mortuus eſt. Tradat vos omnes Deus luciſeto, ſicut Saulem Regem ſpiritui immundo. Suſpendat vos Deus in patibulo inferni, ſicut ſuſpenſi fuerunt ſeptem de filijs Saul. Deuoret vos ignis de cælo, ſicut deuorauit quinquagenarios illos Ochoziæ. Præcipitet vos deorſum in baratrum Deus, ſicut Iehu præcipitare fecit Iezabel de feneſtra, & comedant vos canes infernales, ſicut comederunt illam canes in agro. Euaginet Dominus gladium vltionis ſuæ, & percutiat vos,ſicut Iudith percuſſit Holofernem,& abſtulit caput eius. Deuorent vos leones infernales, ſicut leones deuorauerunt viros accuſantes Danielem. Eijciat vos Deus flagello à creatura iſta, ſicut eiecit de templo vendentes, & ementes, & menſas nummulariorum ſubuertit. Eijciat te Chriſtus de corpore iſto, ſicut eiecit ſpiritum mutum,ſurdum,& lunaticum de obſeſſo. Tradat vos Deus ſeruos rebelles tortoribus infernalibus, donec reddatis obedientiam Sacerdoti eius miniſtro. Percutiat vos Dominus ægeſtate,lepra,febre,frigore,ardore,æſtu,aere, corrupto,& rubigine, donec exieritis de hoc plaſmate Dei. Humiliamini ergo ſuperbi ſpiritus ſub potenti manu Dei, cuius ſtatuta tranſgreſſi eſtis: Humiliamini Ieſu Chriſto filio eius, quem temerariè auſi eſtis tentare, & crucifigere præſumpſiſtis. Ah excommunicata creatura confundere iam, quia, ecce præmunt te mala tua, nunc, nunc prodigia de cælo dabit Dominus,& pluet ſuper te ignem,& ſulphurem,ſanguinem,& vaporem fumi: ſol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem,lugebit terra, mærebunt cæli deſuper, & creaturæ omnes dabunt voces formidabiles, propter nimium terrorem.

O Heretieæ abhominandæ ecce dies irę,in quo acuet Dominus, vt fulgur gladium ſuum,vt reddat vltionem tibi inimico ſuo inebriabit ſagittas ſuas ſanguine tuo, & gladius iuſtitiæ ſuæ deuorabit te, Iam, iam adeſſe feſtinant tempora, & dies perditionis, in quo non erit, qui de manu Dei te poſſit eruere,ſed eris ſicut palea

ante

ante faciem venti, ſicut fauilla, quæ turbine diſpergitur.

O excommunicate, adeſt in ianuis dies caliginis, in quo interficiet leuiathan ſerpentem tortuoſum, & præcipitabit in locum plenum miſeriæ,& tenebrarum, vbi nullus ordo, ſed confuſio, & ſempiternus horror inhabitat. Baratrum te expectat, quaſi ſepulcrum patens,& deuorabit te,& ſequaces tuos,gregem tuum,& armenta tua caprina, in quibus habes fiduciam, ibi flebilis audietur planctus plorantium, & reſonabit horribilis damnatorum vox, ibi conſcientia tua peſſima vigilabit,& mordebit te; tunc reuelabunt cæli iniquitates tuas, & facinora tua in conſpectu vniuerſi manifeſtabit terra: Abyſſus aperiet os ſuum, & in puncto cunctis videntibus præcipitaberis. O damnatæ, ecce hora amara valde, nam gladius bis acutus,& limatus occiſionis magnæ iam eductus eſt de Vagina Domini,& in manu interficientis eſt,ut in amaritudine interficiat te,& in baratrum detrudat:omnia prætereunt,omnia conſumuntur,ſed tormenta tua in æternum manent,& in dies augentur.

O miſer tu docuiſti Euan planctum,ſed ſuper te volutus eſt, nã mandauit Dominus, vt in paradiſum nunquam tibi regreſſus ſit permiſſus, imo, vt excrucieris ſine fine, ſine ordine, ſine numero, ſine pondere,ſine mẽſura,vbi eſt fletus,mugitus, vllulatus,ſtridor dentium,omnis miſeria; tenebræ, nullus ordo, nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali: vbi continuæ flammæ, terrores pænarum omne malum, acerrima tormenta, & horror æternus eſt. O diſtrictum Dei iudicium,in quo non ſolum de factis, ſed etiam de omni verbo otioſo, & homines,& dæmones redituri ſunt rationẽ, & vſq; ad minimum quadrantem exigetur ab eis debitum cum vſuris:ibi flebunt, ibi plangent omnes Reges terræ,quia ibi ſolum cruciatus, ſtridor, labor, ardor,clamor,timor,tremor,fœtor,obſcuritas, anxietas,acerbitas,calamitas,ægeſtas,anguſtia,triſtitia, obliuio,confuſio,torſiones,punctiones,amaritudines,terrores,fames, ſitis,frigus,calor,ſulphur, ignis ardens in ſecula ſeculorum. Hęc omnia venient ſuper te,quia Deum,qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui: quia eleuatum eſt cor tuum, quia in multitudine iniquitatum tuarum polluiſti ſanctificationẽ tuam;propterea Dominus producet ignẽ de medio tui,qui comedet te, & dabit te in cinerem ſuper terram, in conſpectu omnium videntium te. Tu Domine Deus omnipotens da terrorem ſuper hanc beſtiam, quæ exterminauit vineam tuam: Da Domine fiduciam ſeruis tuis, contra nequiſſimum draconem fortiſſimè ſtare. Non contemnat Domine ſperantes in te, & de tua miſericordia

confidentes, & præſumentes. Vrgeat illum Domine dextera tua potens, diſcedere à creatura tua ne diutius præſumat captiuum tenere hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es. Repelle Domine virtutes diaboli, fallaceſq; eius inſidias amoue: procul impius tentator aufugiat: ſit nominis tui ſigno † famulus tuus, & anima tutus, & corpore. Tu pectoris huius interna cuſtodi: tu viſcera rege; tu cor confirma in anima aduerſatricis poteſtatis tentamenta euaneſcant. Da ad inuocationem nominis tui gloriam, vt hic ſuperbus territus fugiat, & victus abſcedat, tibiq; poſſit hæc creatura tua, & corde firma, & mente ſincera debitum præbere famulatum. Diſcede ergo nequiſſime ſatana, ſit tibi terror corpus hominis: ſit tibi terror imago Dei. Adiuro te, non per meam infirmitatem, ſed per virtutem Spiritus Sancti. Imperet tibi Deus. Imperet tibi maieſtas Chriſti. Imperet tibi Spiritus Sanctus. Imperet tibi fides Apoſtolorum omnium. Imperet tibi ſanguis martyrum. Imperet tibi candor Confeſſorum. Imperet tibi puritas Virginum. Imperet tibi Ieſus Nazarenus. Imperet tibi verbum caro factum. Exi ergo tranſgreſſor: exi ſeductor, plena omni dolo, & falacia, veritatis inimicæ. Tibi Eremus ſedes eſt, tibi habitatio ſerpens eſt. Ah damnatæ confundant te Seraphini. Conculcent te Cherubini. Opprimant te Dominationes. Irruant in te poteſtates. Dirripiant te Virtutes. Concutiant te Troni. Euertant te Principatus. Obruant te Archangeli. Contorqueant te Angeli. Exterminent te omnes cæli. Concutiat te terra. Abſorbeant te Maria.

Item fortius, & diſtrictius coniuro, adiuro † conteſtor exorcizo cogo, & conſtringo vos omnes nefandiſſimos Dei rebelles ſpiritus immundiſſimos, dignos veſtrorum immenſorum nefandiſſimorũ ſcelerum, æterniq; ignis infernalis optime meritos, & vobis plenis ſuperbia, rebelione, falſitate, abuſione, ſpurcitia, & dolo, ſtrictiſſimè mando, impero, & præcipio, per potentiſſimum nomen Dei Tetagramaton, per eum qui dixit, & facta ſunt omnia, vt deſtructis omnibus ſignis nequitię veſtrę fugiatis, & recedatis ab iſta creatura Dei, abſq; læſione animæ, & corporis. Fuge ergo immunde ſpiritus, miſerrimæ, tentator, fallax, mendacij pater, hæreticæ, fatuæ, beſtialis, pediculoſæ, lendinoſæ, furioſe, luxurioſe, inſipiens, crudelis, inique, prædo, beſtia macra, famelica, erugino ſa, ſcabioſa, truculentiſſima, omnium beſtiarum beſtialiſſima, ſerpens tortuoſæ, ſus lutulente ſcelerate, nefande, maledicte, excommunicate, blaſpheme, damnate, atq; damnandæ, eiecte de paradiſo, de gratia Dei, de loco inennarrabili, de conſortio, & ſo-

cietate

cietate Angelorum, vt fugias precipio validiſſime, deſtructis cunctis operibus tuis ſatanicis, non obſtantibus quibuſcunque pactis cum maleficis initis.

Item coniuro te fortiori modo, quo valeo, & poſſum, per Mariam matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Per Mariam humilitatis magiſtram, candidiſſimum lilium: ſpeculum ſine macula. Per Mariam Virginem prudentiſſimam, matrem Diuinæ gratiæ, dæmonum terrorem, inferni pauorem, & omnium veſtrorum exterminium. Per Mariam cordis ſignaculum, Turrim Dauid, ex qua pendent mille clipei ex veſtris debellati. Per Mariam Chriſtianorum auxilium, omnium beatorum imperatricem, vitæ lignum: vitem fæcundiſſimam, ciuitatem refugij, voluptatis paradiſum, & clipeum pugnantium. Per Mariam Dei Sanctuarium, altiſſimi propitiatorium, fœderis tabernaculum, rubum ardentem, & incombuſtum. Per Mariam regnum tuum diſſipantem. Per Mariam ſole amictam, gloriæ Dei ſolium, auroram rutilantem, & omnium Sanctorum decus. Et per eius nomina ſanctiſſima, videlicet. Mater † Arca † Paradiſus † Cedrus † Cupreſſus † Palma † Roſa † Oliua † Platanus † Balſamum † Myrrha † Vitis † Galbanus † Lilium † Scala Cęli † Porta Paradiſi † Mare † Ros † Luna † Sol † Terra † Arcus cæleſtis † Collum † Columba † Elephas † Ouis † Ebur † Dies † Fons omnium gratiarum † Nauis ſecuriſſimà † Nubes † Mõs ſynai † Thronus † Vellus † Lux † Vas Dei † Rota Dei † Sedes Dei † Ciuitas Dei † Caſtellum † Stella matutina † Lignum vitæ † Speculum perfectionis † Puteus aquarum viuentium † Regula morum † Auriga virtutum † Sponſa Dei † Mater Chriſti † Spiritus Sancti tẽplum † Hoſpicium Deitatis † Dominatrix dæmoniorum † Debellatrix Spirituum inferorum † Virga dæmonum † Pauor inferni † Mediatrix † Medicina † Auxiliatrix † Conſolatrix † Sanitas † liberatrix † Defenſio † Portus † Omnium Chriſtianorum gloria † per hæc, & omnia alia eius nomina coniuro vos, vt fugiatis ab hac creaturæ. In nomine Patris † Et filij † Et Spiritus † Sancti. Amen.

O muſca obſtinata, vermis viliſſimæ adhuc audes Deo reſiſtere? præcipio tibi, ò terra Dei creatura, vt aperias os tuum, & abſorbeas diabolum iſtum Dei rebellem ſtatim, & feſtinanter audito verbo, ſicut abſorbuiſti Datan, & Abiron per potentiam Dei creatoris tui, qui in te habitare dignatus eſt, & ſicut Cete eiecit Ionam de ventre ſuo, & non retinuit, ita nec retinere valeas hunc malignum ſpiritum, nec ſibi fauentes, cuiuſcunq; conditionis, & virtutis exiſtant, niſi in loco turpiſſimo tui, videlicet in inferno, & ibi ſine fine permaneant, cũ omnibus ſibi fauentibus. Audi, audi

ſpiritus

ſpiritus à Deo maledictæ, precipitate æternaliter, plene omni malo, vacue omni bono deriſio totius angelicæ naturæ, ignoraſti vt inſipiens, & dixiſti in corde tuo, non eſt Deus: recognoſce igitur ſententiam tuam horribilem, & pœnam terribilem, amaram, fortem, & multis flagellis, & anguſtijs plenam. O ſpiritus nequiſſime, authoritate, & potentia magni Dei, & totius curiæ cæleſtis, maledictus, & blaſphematus ſis perpetualiter, & nulla ſit tibi requies, ſi ſtatim non receſſeris à creatura iſta. Pereant ergo omnes cogitationes tuę in tuum detrimentum, & confuſionem ad laudem Dei, & pænam tuam terribilem, maledictionem æternalem, & expulſionem ſubitaneam ab hac creatura Dei. Exurge Domine in ira tua, iraq; tua deuoret eum; egrediatur diabolus iſte ante pedes noſtros, & corruat in terram; in furore tuo Domine exeat ſpiritus iſte. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: Da mihi auxilium Domine, & adiuua me Domine Deus meus: fiant aures tuæ intendentes, in vocem depræcationis meæ. In Domino confido non confundar in æternum. Cede iam vafer maledictæ, & niſi receſſeris, irruant in te cunctæ maledictiones.

Maledicat te Iob, qui in patientia ſua te proſtrauit. Maledicat te, Tobias, qui in miſericordia ſua, meruit à Deo tentari, & ſanari. Maledicat te Iudith, quæ armata ieiunio reportauit victoriam de inimicis ſuis. Maledicat te Dauid, qui in miſericordia conſecutus eſt ſedem Regni in ſecula. Maledicat te potentia Patris. Maledicat te Sapientia filij. Maledicat te bonitas ſpiritus ſancti. Maledicat te cęlum. Maledicat te Virgo Maria. Maledicant te Patriarchæ Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, & omnes Sancti, & Beati. Maledicat te terra, maria, flumina, fontes, & riui. Maledicant te cuncta elementa, & cunctæ creaturæ in cælo, in terra, & ſubtus terram. Maledictus ſis in oriente, & occidente; in ſeptentrione, & meridie: in Imperijs, & Regnis: in ſtatibus, & potentatibus: in Prouincijs, & Inſulis; in ciuitatibus, & caſtris; in omnibus villis, & oppidis. Maledictus ſis in omnibus ædificijs, & habitaculis; in vallibus, & collibus; in montibus, & planitijs; in campis, & vineis, in pratis, & hortis, ac diſertis: in cauernis, ruinis, & abyſſis; in ſepulcris, & ſtatuis: Maledictus ſis in ſiluis, & nemoribus, in ſpeluncis, & ſolitudinibus: in lapidibus, & mineralibus: in arboribus, & herbis, in fructibus, & floribus: in gemmis, & gummis: in puluere, & cinere: Maledictus ſis in aere, & nube; in tonitruis, & fulminibus; in Auſtro, & Zefiro, in Africo, & Aquilone; in Borea, & in omnib. ventis. Maledictus ſis in maribus, & la-

cis: in ſtagnis,& torrentibus: in fluminibus, & riuulis; in nauilijs, & puteis; in fontibus,& ciſternis ac balneis; in fluctibus,vndis,pluuijs,imbribus, guttis,& ſpumis.

Maledictus ſis in grandine,& gelu: in niue,& glacie; in rore, & pruina: in turbine, & procella; in omnibus aquis, & eorum finibus,& effectibus. Maledictus ſis in portu, & litore: in vijs,& itineribus: in igne, & calore; in luce,& ſcintilla: in frigiditate,& humiditate, in ſiccitate, & combuſtione, in auibus, & piſcibus, in vermibus,& ſerpentibus, in cunctis beſtijs,& animalibus. Maledictus ſis in horis, & momentis, in diebus, & noctibus, in hebdomadibus,menſibus,& annis,in Vere,& æſtate;in autumno,& hyeme; in omnibus ætatibus,ſeculis,& temporibus. Maledictus ſis in cibo,& potu,& in omnibus eorum vaſis,& ornamentis,in bello,& armis, in triumphis,& ſpectaculis,in pondere,& menſura,in omnibus ſignis, & veſtigijs. Maledictus ſis in litteris, proſis, & metris, in ſtatutis, & conſtitutionibus, in præceptis, & ordinationibus, in ſententijs,& legibus,in edictis,& hiſtorijs, in fabulis,& libris; in ſcriptis quibuſcunq; & vbicunq; inuentis. Maledictus ſis in cantu,& ſono, in tripudio,& ludo,in picturis,& colore, in omni materia,& forma, in locutione, & taciturnitate,in celeritate,& pigritia,in mora,& motu, in ſtrepitu, & quiete, in differentia, & arte, in vmbra,& tenebris, in finibus, & terminis. Maledictus ſis in dulcedine,& amaritudine, in guſtu, & odoratu, in mœrore, & lætitia, in confuſione, & procella, in captiuitate, & abhominatione, in laqueo, & formidine, in altitudine, & profunditate, in longitudine,& latitudine, in ſubſtantia veſtra, & ratione. Maledictus ſis in intelligentia,& voluntate peruerſa,in ſuggeſtione peccandi,& cogitatione,in affectione,& delectatione, in conſenſu, & operatione, in conſuetudine, & deſperatione, in defenſione peccati,& gloriatione in damnatione,& omni operatione veſtra maledicta. Et tandem maledictus ſis in qualibet parte huius,corporis,& extra corpus,& vbicunq; futurus ſis,& omnes pœnæ,& afflictiones amaræ valde, quæ dici aut excogitari poſſunt, aut haberi, in nomine Ieſu Chriſti, ſuper te irruant, & te excrucient donec exieris. Et quia potens es, potentiſſima tormenta patieris, tibi fortiori, fortior inſtat cruciatio, eo magis, quia nemine ſuggerente peccaſti, ſed ex propria ſuperbia, & iniquitate tua in vinea Sabaoth feciſti ingratæ labruſcas, idcirco ſublata ſepe,trado te in nomine Ieſu cunctis dæmonibus in conculcationem, & conſumationem.

Coniuro te culex ſtercorate,per virtutem omnipotentis Dei,&

per

per lac dulciſſimum, & ſacroſancta vbera Mariæ Virginis, quæ lactauerunt Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, vt exeas, & recedas ab hac creatura Dei. Nec te lateat maledictæ Satana, creatura damnata, reprobata, & á Deo maledicta in æternum. Nec te lateat ſpiritus immundæ vbicunq; latitas, immmere tibi diem iudicij ſempiterni, diem miſeriæ, iræ; calamitatis, & furoris Domini, qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi, & angelis tuis apoſtaticis æternus ſuperueniet interitus, quia Deum, qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui. O ſuperbæ, verum eſt, quod flebis irremediabililibus lacrymis, verum eſt, quòd in perpetuam lamentationem, & luctum, direptionem, fabulam, in properium, & æternam mortem conuerſus eſt dies creationis tuæ, quia theſaurizaſti tibi iram Dei, quia impleta ſunt oſſa tua vitijs ab adoleſcentia tua, quia impletus eſt venter tuus ira furoris Domini, quia panis tuus, tamquam fel draconum intrinſecus eſt; propterea, damnatæ, cum ſatiatus fueris iniquitate, arctaberis; pluet ſuper te ignis infernalis, & non effugies arma ferrea, dedit te Dominus in reprobum ſenſum, vt ea facias, quæ non conueniunt, ideo fabricas niſi mala, & non deſinis ſubuertere vias Domini erectas. Condis leges iniquas, & iniuſtitiam ſcribis, vt opprimas in iudicio pauperes; & pupilli, ac viduæ ſint præda tibi; ſed clamor iniquitatum tuarum introiuit in aures Domini Sabaoth, & peccata tua ſunt ſcripta ſtillo ferreo in tabula adamantina, exarata ſuper latitudinem cordis tui, ex quo exit putredo, ſanies, & venenum, de quo naſcuntur vermes mendaciorum.

O miſeria miſeriarum, quia non inueneris ſcriptus in libro vitæ, ſuper caput tuum volant noctuæ, in deriſum, oculi tui operiuntur ſtercore, facies tua nigra eſt fumo infernali.

O vitis infructuoſa, quæ pro vua dediſti labruſcas. O terra ſpinis obſita, ſterilis, maledicta, & excommunicata, ad nihil aliud vales, niſi ad comburendum, iam appropinquant cuncta mala, & dolores non tardabunt, imo in dolore, mœrore, & amaritudine botros tuos colliges. Cede ergo maledictæ, cede apoſtata, cede excommunicate, da honorem Deo, & fuge ab hac creatura, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus prætioſo ſanguine ſuo redemit. Cede per ignem Laurentij, per paupertatem Franciſci, per exilium Atanaſij, per tormenta Vincentij, per ſilentium Arſenij, per lachrimas Ephremij, per labores Pacomij, per ieiunia Euagrij, per ſolitudinem Honorij, per nuditatem Antonij, per cæcitatem Tobiæ, per vlcera Iob, per pacientiam Moyſi, per perſecutionem Dauid, per lapides Stephani, per crucem Petri, per gladiũ Pauli,

per vincula, & carceres Ioannis Baptiſtæ, & per alia innumera Martyrum, Confeſſorum, & Virginum tormentorum genera. Cede ergo, & fuge victus, & proſtratus abſcede. Cede Deo, qui te in humiliato Iob, in ſeruitutem redegit. Cede Deo, qui te per Danielem puerum ſuum perdidit, & draconem proſtrauit. Cede Deo, qui te per ſeruum ſuum Dauid de Rege Saule ſpiritualibus canticis pulſum fugauit. Cede Deo, qui te per malitiam tuam in Faraone, & eius exercitu, per Moyſem ſeruum ſuum in abyſſum demerſit. Cede Deo, qui te in Iuda Iſcarioth proditore damnauit. Quid reſiſtis adhuc beſtia fraudulenta? quid retractas obſtinatæ in malitia? Confundant te omnes furores, deformitates, nauſeæ, perfidiæ, imbecilitates, inſolentiæ, deriſiones, ſuſurationes, obſcuritates, iurgia, rixæ, perturbationes, ructus, perditiones, ruſticitates, profanationes, & ſcelera cuncta.

O excommunicatæ ſuperueniat in te perſecutio, rapina, confuſio aſperitas, dolorum renouatio, ignominia, rebelio, immunditia, infælicitas, contaminatio, impietas, gemitus, fœtor, duritia, inurbanitas, repugnantia, caligo & cunctæ iniquitates. O ſuperbe diſperdat te calamitas, anguſtia, conquaſſatio, præſſura, conflictus, conſumatio, mœror, impietas, crudelitas, omniumq; ſcelerum inundatio. Aperiat terra os ſuum in nomine Ieſu, & deglutiat te in inferno deorſum, deſcendant ſuper te cunctæ maledictiones, niſi receſſeris ab hac creatura Dei. In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, Patris † Et filij † Et Spiritus † Sancti. Amen.

Oratio.

O Bone Ieſu, corona certantium, & omnium in te ſperantium ſalus, qui, vt nos ab infeſtationibus dæmonum liberares, in contractione neruorum, compreſſione oſſium, & ſpinarum punctione, pœnas acerbiſſimas ſuſtinuiſti, & in cruce inſtar latronis affigi elegiſti: exaudi quæſumus vocem noſtri clamoris, qui eruiſti nos de lacu miſeriæ: libera bone Ieſu hanc crearuram, ne lupi rapaces opprimentes ouem tuam, quam prætioſo redemiſti ſanguine, deuorent, vel diù excrucient. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuis, & regnas &c.

O obſtinata muſca maledicta, venenorum ſibilator, vermis mẽdaciorum, & generator viperarum, inimice fidei, adductor mortis, vitæ raptor, iuſtitiæ declinator, malorum omnium radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorum, & in-

uĕtor cunctorum malorum, quid reſiſtis, cum ſcias Chriſtum tuas perdere vires? fuge, fuge cum cæteris conſortijs tuis, per nomen tremendum Ieſu, qui te præcipitauit de cœlo, coluber tortuoſæ. Hic enim præcipit ſoli, & non oritur, hic ſtellas claudit, quaſi ſub ſignaculo. Hic ſubuertit vos in furore ſuo. Hic aufert prædam de dentibus veſtris. Hic conterit molas iniquorum. Hic fortis, alligauit vos fortes. Hic vincula veſtra diſrupit. Hic vos expoliauit. Hic regnum veſtrum deſtruxit. Hic vos victos ligauit. Hic victoriam reportauit de vobis inimicis ſuis. Hic principem omnium vitiorum præcipitauit. Hic portas æreas veſtras confregit, & vectes ferreos contriuit. Hic percuſſit vos ſuperbos, & vulnerauit vos dracones. Hic fecit prædam in Inferno. Hic inferni captiuos liberauit. Hic mortem calcauit occiſus. Hic poſuit ſignum victoriæ in Tartaro. Hic ſuperbis vobis reſiſtit. Hic mortis, & diaboli eſt victor. Hic in natiuitate terruit Herodem, & moriens vicit diabolum. Hic poſuit circulum in naribus tuis maledictæ apoſtata. Hic vobis peccatoribus non pepercit, ſed damnabiliter in Tartaro in æternum excruciabit. Hic, in quem deſiderant Angeli proſpicere, illuſtrat paradiſum. Hic poſuit titulum gloriæ in ſeculo. Hic vocat peregrinos ad patriam. Hic eſt petra, & robur noſtrum. Hic eſt Saluator noſter, & refugium. Hic ſaluat, & liberat nos ab omnibus vobis perſequentibus. Hic Ieſus, verbum Dei, eſt dilectus noſter, electus ex millibus, vere Deus abſconditus, ſpiritus ſuauis, qui ingreditur ad animas deuotas; Dominus vniuerſorum, qui nullius habet indigentiam; munus nobile: ſingulare ſolatium animarum; charitas perfecta; ſanctificatio noſtra, & redemptio, conſolatio viatorum, & ſanctorum æterna fruitio: medicus infirmorum, fons ſitientium; conſolator deſolatorum: fons bonitatis, pietatis, & diuinæ miſericordiæ: lux animæ noſtræ: cibus, & potus noſter: amor, gaudium, & dulcedo noſtra, qui graditur cum ſimplicibus: qui ſe reuelat humilibus, qui paruulis dat intellectum: qui puris mentibus aperit ſenſum: in huius ergo nominis potenti virtute euaneſcite omnes vos maledicti diaboli, & abite præcipites ad loca vobis à Deo deputata, abſq; læſione cuiuſuis. In nomine Patris † Et filij † Spiritus † Sancti. Amen.

Bene-

BENEDICTIO
Quorumcunque comeſtibilium.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum, & terram.

EXorcizo vos creaturæ panis, vini, & cuiuſcunq; comeſtibilis in nomine † illius, qui panes in deſerto benedixit, & multiplicauit, qui aquam in vinum conuertit, & manna in deſerto patribus dedit, omne delectamentum in ſe habens, vt ſitis fortitudo, ſanitas, & purificatio, huic, & omnibus Dei creaturis ex vobis ſumentibus, ad effugandos omnes ſpiritus immundos, omnemq; nefariam vim diaboli, & omnes figuras, & minas ſatanæ exterminandas. Per Chriſtum Dominum.

Oratio.

OMnipotens æternæ Deus Angelorum panis viuus, qui Eliam in fortitudine ſubcinericij panis vſq; ad mõtem Dei Oreb ambulare feciſti, & quinq; panes in deſerto tua ſancta benedictione multiplicaſti, aquam in vinum optimum tranſubſtantiaſti, Moyſenq; & populum tuum in deſerto cibis ſuauiſſimis cibaſti: purificare † benedicere † & ſanctificare † digneris has creaturas cibi, & potus, quas in nomine tuo ſancto purifico † benedico † & ſanctifico † vt quicunq; ex eis comederint, & biberint, per dilectionẽ beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, bibant, & comedant coram Domino cum omni lætitia, & ſint contra maleficia, inſidias, & callidi hoſtis morbos præſidium, & tutamen, & comedentium corda, viſcera, & cuncta corporis membra, per Spiritus Sancti gratiam ſanctificentur: quę omnia maleficia, incantationes, ligationes, ſignaturas, & facturas per hæc comeſtibilia, & potabilia † deſtruo † anichilo † & à corporibus † humanis eradico. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO
Ignis ad comburenda inſtrumenta maleficialia.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum, & terram.

EXorcizo te creatura ignis, per Deum totius vniuerſi Creatorẽ, qui pluit ſuper Sodomam, & Gomorram ſulphurem, & ignẽ, ſubuertitq; eorum Ciuitates, & omnes habitatores: per † eum à

quo egreſſo igne, Nadab, & Abiu, & iterum extremam partem caſtrorum populi murmurantis, deuorauit, per † eum qui te in inferno ſtatuit ad cruciandum, & torquendum peccatores, ſuper quos pluit laqueos ignem ſulphurem, & ſpiritum procellarum: vt fias creatura ab omni labe inimici purgata, & benedicta † Et in te retineas omnem vim, & virtutem comburendi. Et ſicut hęc inſtrumenta hæreticalia, & maleficialia, creaturas Dei vexantia in fumũ nunc es, conuerſurus, & ad nihilum redacturus, ſic in virtute Domini exercituum, eorum operationes, & diabolicæ vexationes euaneſcant, & cuncta maleficia incantationes, faſcinationes, ligaturæ, ſignaturæ, facturæ à cunctis membris maleficiatorum eradicentur, confringãtur, & annichilentur, ſine tamen ſpirituali, vel corporali eorum læſione. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Aſpergatur aqua benedicta.

Et in ipſa combuſtione recitetur pſ. Exurgat Deus &c.

BENEDICTIO

Medicinalium, vnctionum, & cæterorum mutandis mutatis.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

Reſp. Qui fecit cœlum, & terram.

EXorcizo te creatura medicinę † per medicum æternæ ſalutis, qui à morte æterna genus humanum proprio ſanguine ſanitati reſtituit: per eum, qui ad curationem hominum virtutem medicinalem, herbis, lapidibus, ac diuerſis creaturis contulit, vt nulla ſit tibi communicatio cum angelis apoſtatis, ſed in virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti cunctas inimici fallacias à te expelle, &, vt ex diuerſis rebus facta es compoſitio medicinalis ad ſanãdas Dei creaturas, & præcipue à diabolo vexatas, ſic virtutem tuam naturalem retineas, ſupernaturalemque recipias, adiurata in virtute Dei Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti cuncta maleficia deſtruentis, ac regnantis in ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio.

OMnipotens æternæ Deus, qui es vera ſalus, & medicina, & à quo omnis ſanitas, & medicamentum venit: quæſumus clementiam tuam, & pietatem, vt hanc medicinam, quam ad expellendas omnes ægritudines, & quaſcunq; virtutes diabolicas, & infeſtationes maleficiales: imo, & ipſos dęmones à corporibus, & viſceribus hominum in nomine ſancto tuo benedico † ſanctifico † & confecro: † Sic clementiſſime Domine benedicere † ſanctificare † & conſecrare † digneris: & in homine, qui eam ſumpſerit, extin-

gue

gue febrium infeſtationes, viſcerum tormenta cura: cordis, & capitis dolores,& paſſiones cunctas diſſolue, grauitates pectoris remoue, infeſtationeſq; cunctas à quibuſuis partibus corporis reſolue: phantaſmaticis adeſto periculis, tumoreſq; compeſce. Fiat etiam illi hæc medicina ſancta, morbi præſentis expulſio, & peccatorum omnium optata remiſſio: vt dum gloriatur aduerſarius de habitatione percepta, ab hac creatura tua, cum omnibus maleficijs, incantationibus, ligationibus, ſignaturis, & facturis, ipſe confuſus recedat. Per Dominum noſtrum &c.

Aſpergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO OLEI.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum,& terram.

EXorcizo te creatura olei † per Deum patrem † omnipotentem, qui creauit cælum,& terram,& omnia, quæ in eis ſunt: per ſapientiſſimum filium † eius Ieſum Chriſtum, per quem omnia in ſapientia ordinata ſunt: per Spiritum † Sanctum, per quem, bonitatem, & clementiam conſequimur: per Mariam † Virginem debellatricem dæmoniorum: per Sanctos Angelos, caſtra ſummi Regis: per Patriarchas † tentoria Iſrael: per † Prophetas, oracula ſpiritus ſancti: per † Sanctos Apoſtolos, iudices ſeculi: per Euangeliſtas † Cancellarios Chriſti fideles: per Innocentes † flores Martyrum: per Sanctos † Martyres charitate feruidos: per Sanctos † Confeſſores lumina mundi: per Sanctos Doctores † tubas Spiritus Sancti: per Monacos † ſemina benedictionis: per Sãctos † Eremitas mundi contemptores: per Sanctos † Sacerdotes, ſacra Chriſti dantes: per Sanctos † Ieuitas præceptorum ſeruatores: per Sanctas † Virgines Chriſti ſponſas: per Sanctas † Viduas ſpecula morum; vt omnis virtus diaboli, omnis exercitus aduerſarij, omnis incurſus, omnis tumor, dolor, & phantaſma Satanæ, miniſtrorumq; eius eradicetur, & effugiat ab his, qui ex te biberint, vel ſe vnxerint, maleficia cuncta diabolica deſtruas,& ad nihilum redigas,& medicina optima,& ſancta efficiaris menti, & corpori ſanitatem reſtituas: nec valeant dæmones ſe latitare in corporibus ipſis, ſed in virtute potentiſſimi nominis Ieſu ſe manifeſtent, & obedientiam miniſtris Ieſu Chriſti præſtent,& exeant cum omnibus maleficijs. In nomine Patris † Et filij † Et Spiritus † Sancti. Amen.

Lectio

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam.

SVſpiciens Ieſus, dixit. Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Hierico, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerint eum, & plagis impoſitis abierunt, ſemiuiuo relicto. Accidit autẽ, vt Sacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo præterijt. Similiter & leuita. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum, & videns eum, miſericordia motus eſt, & appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, & imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit, & altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait, curam illius habe, & quodcunq; ſuper erogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Reſp. Laus tibi Chriſte.

Oratio.

OMnipotens æternæ Deus, qui oliuas creaſti habentes amaritudinem in radice; fortitudinem in ligno: pulchritudinem in folijs: latitudinem in ramis: durationem in longitudine: celſitudinem in erectione, & plenitudinem in fructificatione ex quibus ad condimentum vniuerſi, liquorem ſuauiſſimum emanare feciſti, quo Iacob titulum lapideum in Bethel vnxit ad conſecrationem Sacerdotum; & in ſacroſanctis Sacramentis oleo vti iuſiſti, ſuper Reges fundi, & eo infirmos vngi ordinaſti, tabernaculumq; & altare cum omnibus vaſis eorum, vt eſſent Sancta Sanctorum, conſecrari: ſacrificia, & primitias oleo conſperſas offerri, præcepiſti, ſic Domine, per hæc, & alia mirabilia, quæ in ſancto oleo operatus es, dignare hoc oleum † benedicere † ſanctificare † & conſecrare; vt quicunq; ex eo biberit, vel ſe vnxerit, vnctus ſit dolore peniténtiæ, ſoliditate conſcientiæ, ſanctarum virtutum diuerſitate, charitatis amplitudine, perſeuerantia in omni bono opere, æternorum contemplatione; & æternæ conſecutione, & ab eo eradicantur omnes facturæ, maleficia, incantationes, phantaſmata, tumores, dolores, & ligationes quomodolibet contra creaturas tuas factæ. Sit omnium operum Satanæ, & miniſtrorum eius deſtructio expulſio, & exterminatio. Et ſicut oleum benedixiſti, & per Samuelem, Saulem, & Dauid in Reges, & prophetas vnxiſti; per Moyſen, Aaron, in Sacerdotem, per Sadoch Salomonem, per vnum de filijs prophetarum, Iehu; per Eliſeũ Reges ſuper Syriam, & Iſrael, & prophetam pro ſe oleo vnxiſti ſancto; Sic in nomine ſancto tuo,

hoc oleum benedico † ſanctifico † & conſecro † & omnibus benedictionibus Dei repleo, & ſit benedictum † ſanctificatum † & cóſecratum † creaturis à diabolo vexatis in vnctionem, vſum, & potum trado, ad extirpandum, & eradicandum omne nephas diaboli. Sit omnium operum ſatanæ deſtructio, & exterminatio & quiſquis hoc oleo vſus fuerit, non poſſit in eo diabolus latitare, imo ſe manifeſtare vrgeatur. Hoc oleum benedico † ſanctifico & conſecro † ad reſtituendum obſeſſis viſum, auditum, loquellam & greſſum: febricitantibus valetudinem: ægrotantibus ſanitatẽ: ad extinguendum venena, tumores, & dolores: ad comprimendum noxia: ad depellendum aduerſa: ad reſtituendum Coniugũ amorem, & odium expellendum, & quiſquis ex eo vſus fuerit, ab omni pariter langore anxio, & ab omni infirmitate ſanetur: à cunctis, operationibus, & inſidijs inimici liberetur: à morſu antiqui ſerpentis nunquam lædatur, & cunctæ aduerſitates ſeparentur à plaſmate tuo, ſanguine filij tui redempto. Sit Oleum Iudith: ſit oleum gaudij: oleum exultationis præ participibus tuis in viſceribus creaturarum Dei: oleum miſericordiæ in oſſibus eorum: oleum fructificationis fidei, charitatis, & pacis. Multiplica benedictiones † tuas æternæ Deus ſuper hoc oleum, ſicut ſtellas cæli, & ſuper arenam, quæ eſt in littore maris. Quia ego, per eum, cuius nomen eſt oleum effuſum, benedico † ſanctifico † & conſecro †. Fũdat petra riuos olei ſacri ſuper vexatos à diabolo, & vngat eos Deus, oleo lætitiæ in habitaculis iuſtorum, & proficiat in ſalutem ſempiternam. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, qui vnxit mundum oleo miſericordiæ ſuæ. Amen.

Oratio.

OMnipotens æternæ Deus, qui per potentiam tuam cuncta creaſti, & per mirabilem bonitatem curationem morborum oleo dediſti: ſic miſericordiam tuam, & virtutem ſuper hoc oleum inuocamus, vt benedicendo † benedicas, ſanctificãdo † ſanctifices, & conſecrando † conſecres; quatenus, quicunque hoc oleo vſus fuerit, benedictionis tuæ gratia † opulenta repleantur corda, viſcera, capita, & cuncta membra, per gratiam ſpiritus ſancti à turpitudine callidi hoſtis purificentur & ſanctificentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

VNgantur, aures, oculi, nares, pulſus, capitis, & manuum infirmi, labia cætereq; partes vexatę, dum honeſtè fieri poſſit, & vngendo dicat.

Extin-

Extinguatur in te N. creatura Dei omnis virtus diaboli, & per hoc ſignum crucis, quod tibi dò, abſoluo te ab omnibus maleficijs, incantationibus, ligationibus, ſignaturis, facturis, doloribus, paſſionibus, & vexationibus, quomodocunque arte diabolica tibi factis, ac per iſtam ſanctam vnctionem det tibi Dominus corporis ſanitatem, & animæ benedictionem. In nomine Patris † & Filij † & Spiritus Sancti † Amen.

Poſt vnctionem dicat.

V. Dominum vobis. R. Et cum Spir. &c.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui es ſalus, & medicina vera, à quo omnis ſanitas, qui inſtituiſti, vt languidos olei liquore tangentes vngamus: quæſumus clementiam tuam, vt creaturam hanc tuã diabolica vexatione laborantem ſanare digneris. Qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

MODVS CVRANDI FEBRICITANTES.

PRIMA DIE.

Sacerdos ſuperpelliceo, & Stola indutus ante Altare, vel alio condecenti loco: dicat.

✠ IN nominæ Sanctiſſimæ Trinitatis, Patris † & Filij † & Spiritus Sancti. Amen. Super Aegros manus imponent, & benè habebunt, dicit Dominus.

Deus in adiutorum meum intende. Domine ad adiuuandũ me feſtina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Infirmorum propitiator, abiectorum protector, deſperandorũ Saluator, Deus patris mei, & Deus hæreditatis Iſrael, Dominator cœlorum, & terræ. Creator aquarum, Rex totius creaturæ tuæ, exaudi preces ſerui tui.

Domine non ſecundum peccata noſtra, quæ fecimus nos, neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis. Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Oratio.

OMnipotens ſempiternæ Deus ſalus ęterna credentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo. N. pro quo miſericordię tuę imploramus auxilium: vt reddita ſibi ſanitate gratiarum, tibi in Eccleſia tua refferat actiones. Per Dominum &c.

Lectio

Lectio Hieremiæ Prophetæ. *Cap. 24.*

IN diebus illis. Acccefferunt omnes principes bellatorum, dixeruntq; ad Hieremiam prophetam. Ora pro nobis ad Dominum Deum tuum. Et factum eſt verbum Domini ad Hieremiam. Vocauitq; Iohanan filium Careæ,& omnes principes bellatorum, & vniuerſum populum à minimo vſq; ad magnum, & dixit ad eos. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, ad quem miſiſtis me, vt proſternerem preces veſtras in conſpectu eius. Si quieſcentes manſeritis in terra hac, ædificabo vos,& non deſtruam: plantabo, & non euellam. Iam enim placatus ſum ſuper malo, quod feci vobis. Nolite timere à facie Regis Babylonis, quem vos pauidi formidatis. Nolite metuere eum dicit Dominus, quia vobiſcum ſum ego, vt ſaluos vos faciam,& eruam de manu eius. Et dabo vobis miſericordias,& miſerebor veſtri, & habitare vos faciam in terra veſtra. Dicit Dominus omnipotens. Reſp. Deo gratia.

Tu es Deus, qui facis mirabilia ſolus: ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane miſericordiam tuam. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter,& propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuũ.

Oratio.

DEus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, populum tuum ad te reuertentem propitius reſpice, vt dum tibi deuotus exiſtit, iracundiæ tuæ flagella ab eo amoueas. Per Dominum &c.

Lectio libri Regum. *2. Regum 24.*

IN diebus illis. Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael de mane, vſq; ad tempus conſtitutũ,& mortui ſunt ex populo à Dan, vſq; Berſabeæ ſeptuaginta millia virorum. Cumq; extendiſſet manum ſuam Angelus Domini ſuper Hieruſalem, vt diſperderet eam; miſertus eſt Dominus ſuper afflictionem populi ſui, & ait Angelo percutienti. Sufficit nunc. Contine manum tuam. Erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebuſei. Dixitque Dauid ad Dominum, cum vidiſſet Angelum cædentem populum. Ego ſum, qui peccaui; ego, qui iniquè egi: iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur obſecro manus tua contra me, & contra domũ patris mei. Venit autem Gad propheta ad Dauid in die illa,& dixit ei. Aſcende,& conſtitue altare Domino in area Areuna Iebuſei. Et aſcendit Dauid iuxta ſermonem Gad, quem præceperat ei Dominus. Et propitiatus eſt Dominus terrę,& cohibita eſt plaga ab Iſrael. Reſp. Deo gratias.

Miſit verbum ſuum,& ſanauit eos,& eripuit eos de morte eorũ.

Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea,& anima mea turbata eſt valde,ſed tu Domine ſuccurre ei.

Oratio.

RESpice Domine famulum tuum. N.in infirmitate corporis ſui laborantem,& animam refoue,quam creaſti, vt caſtigationibus emendatus,cõtinuo ſe ſentiat tua medicina ſaluatũ.Per Dominum noſtrum &c. V. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Mattheum.

IN illo tempore. Cum introiſſet Ieſus Capharnaum,acceſſit ad eum Centurio rogans eum,& dicens. Domine puer meus iacet in domo paraliticus, & malè torquetur, & ait illi Ieſus. Ego veniam,& curabo eum, & reſpondens Centurio, ait, Domine non ſum dignus, vt in tres ſub tectum meum,ſed tantum dic,verbo,& ſanabitur puer meus, nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites,& dico huic, vade;& vadit. Et alio, veni,& venit. Et ſeruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Ieſus miratus eſt,& ſequentibus ſe dixit. Amen,dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autem vobis; quod multi ab oriente,& occidente venient, & recumbent cum Abraam, Iſaac, & Iacob in Regno cœlorum, filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium, & dixit Ieſus Centurioni. Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi; Et ſanatus eſt puer in illa hora. Reſp. Laus tibi Chriſte.

REſpice Domine ad fragilitam generis humani,& require vulnera,quæ curaſti,quia, quantum circa nos pietatem impenderis,amplius, quibus miſerearis inuenies:extende quęſumus medicas manus,& quod infirmum eſt cura, quod dubium eſt repara, quod integrum fide perſeuerante conſerua.

Oratio.

INeffabilem miſericordiam tuam Domine nobis clementer oſtẽde, vt ſimul nos,& à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur eripias. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ.

Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Verſ. Benedicamus Domino. Reſp. Deo gratias.

Pax, & benedictio Dei omnipotentis Patris, & filij, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper te,& maneat ſemper. Amen.

SECVNDA DIE.

IN nomine Sanctiſſimæ Trinitatis Patris,& filij,& Spiritus Sancti. Amen.

Salus populi. Ego ſum dicit Dominus: de quacunq; tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dominus in perpetuum.

Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri, & filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio,et nunc,et ſemper etc.

Per eum,qui peccata noſtra portauit in corpore ſuo, cuius vulnere plagarum ſanati ſumus, cuius tactu vis febrium mox receſſit, cuius ſermone confeſtim ſurdus audiuit, cuius iuſſu mutus fari non diſtulit,claudus cucurrit, cæcus vidit, ægrotus præualuit, ſurrexit de ſepulcro quatriduanus. Per ipſum ergo te Pater piiſſime poſtulamus, vt peccantibus nobis veniam, et languenti fratri noſtro conferas ſalutem,et veram medicinam.

Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me Domine, et ſuper iram inimicorum meorum extendes manum tuam,et ſaluum me fecit dextera tua.

Oratio.

DEus, ſub cuius nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt; ſuſcipe preces famuli tui,pro quo miſericordiam tuam ægrotanti imploramus; vt de cuius periculo metuimus, de eius ſalute lætemur. Per Dominum etc.

Lectio Hieremiæ Prophetæ. *Cap. 14.*

SI iniquitates noſtrę contenderint contra nos Domine fac propter nomen tuum,quoniam multæ ſunt auerſiones noſtræ. Tibi peccauimus expectatio Iſrael, Saluator eius in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es Domine, et nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos Domine Deus noſter. Reſp. Deo gratias.

Fac mecum Domine ſignum in bonum,vt videant,qui oderunt me, et confundantur,quoniam tu Domine adiuuiſti me,et conſolatus es me. In Deo ſperauit, cor meum, et adiutus ſum, et refloruit caro mea, et ex voluntate mea cõfitebor,illi;Domine Deus ne ſileas,et ne diſcedas à me.

Oratio.

DEus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilij tui ſuper infirmum famulum tuum oſtende virtutem, vt ope

miſericordiæ tuæ adiutus Eccleſiæ tuę ſanctę incolumis repręſentari mereatur. Per Dominum etc.

Lectio Epiſtolæ B. Iacobi Apoſtoli. *cap. 5.*

FRatres, Triſtatur aliquis veſtrum? Oret. Aequo animo eſt? pſallat. Infirmatur quis in vobis? inducat præsbiteros Eccleſiæ, et orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei ſaluabit infirmum, et alleuiabit eum Dominus, etſi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, et orate pro inuicem, vt ſaluemini. Reſp. Deo gratias.

Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum, et ſaluum me fac in tua miſericordia Domine non confundar quoniam inuocaui te. Non eſt aliud refugium niſi in te ſperare Chriſte, precibus ſanctorum tuorum libera nos Domine.

Oratio.

PRotector noſter aſpice Deus, vt qui malorum noſtrorum pondere præmimur, percepta miſericordia tua, libera tibi mente famulemur. Per Dominum etc. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tempore. Surgens Ieſus de ſinagoga introiuit in domũ Symonis. Socrus autem Symonis tenebatur magnis febribus, et rogauerunt illum pro ea. Et ſtans ſuper illam imperauit febri, et dimiſſit illam; et continuo ſurgens, miniſtrabat illis. Cnm ſol autem occidiſſet omnes, qui habebant infirmos varijs langoribus ducebant illos ad Ieſum. At ille ſingulis manus imponens curabat eos. Laus tibi Chriſte.

Clamaui ad Dominum, et exaudiuit me, et non deſpexit orationem meam, propitiare Domine iniquitatibus noſtris, et redime de interitu vitam noſtram. Tribulationes cordis mei dilatatæ ſunt, de neceſſitatibus meis eripe me Domine. Intellige clamorem meum intende voci orationis meæ, rex meus, et Deus meus.

Oratio.

INuocamus clementiam tuam omnipotens æternæ Deus, qui quos diligis corripis, et quos corripis piè ad emendationem coerces. Te inuocamus Domine, vt medellam tuam conferre digneris in anima famuli tui, qui corpore atteritur, membrorum patitur debilitatem, vt mente proficiat. Da ergo ei Domine gratiam tuam, qui per Sanctos Apoſtolos, et Martyres tuos diuerſa ſanitatum dona largiri dignatus es. Ideo intentis præcibus depręcamur, vt famulo tuo, qui febrium quaſſatione fatigatur, intercedentibus ſanctis tuis clementer ſubuenias, et ad ſanitatem priſtinam

niam eum reuocare digneris. Per Dominum etc.

Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Verſ. Benedicamus Domino. Reſp. Deo gratias.

Pax, & benedictio Dei omnipotentis Patris, & filij, & spiritus sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

TERTIA DIE.

IN nomine Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, & filij, & spiritus sancti. Amen.

Ne derelinquas me Domine, Deus meus ne diſcedas à me, intẽde in adiutorium meum Domine virtus ſalutis meæ.

Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina Gloria patri, & filio &c.

Saluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperãte in te, auribus percipe Domine orationem meam. Domine ne longe facias auxilium tuum à me, ad defenſionem meam aſpice. Miſerere mei Domine, quo niam infirmus ſum ſana me Domine.

Oratio.

DOmine Sanctæ Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ, infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas; vt ſalutaribus remedijs pietatis tuæ corpora noſtra, & membra vegetentur: quæſumus ſuper famulum tuum propitiatus intende, vt omni neceſſitate corporeæ infirmitatis, excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur. Per Dominum noſtrum &c.

Lectio Iſaiæ Prophetæ. Cap. 38.

IN diebus illis. Aegrotauit Ezechias vſq; ad mortem, & introiuit ad eum Iſaias, filius Amos propheta, & dixit ei. Hæc dicit Dominus. Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit. Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno. Et factum eſt verbum Domini ad Iſaiam dicens. Vade, & dic Ezechiæ. Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce, ego adijciam ſuper dies tuos quindecim annos, & de manu Regis Aſſyriorum eruam te, & Ciuitatem iſtam, & protegam eam. Ait Dominus omnipotens. Reſp. Deo gratias.

Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. Domine

viuifica me ſecundum eloquium tuum, vt ſciam teſtimonia tua. In te ſperaui Domine, dixi, tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea.

Oratio.

DEus, qui famulum tuum ideo corporaliter verberas, vt mente proficiat; patenter oſtendis, quod ſit pietatis tuæ præclara ſaluatio, dum præſtas, vt operetur nobis etiam ipſa infirmitas medicinam. Per Dominum &c.

Lectio Ezechielis prophetæ. Cap. 18.

HAEc dicit Dominus Deus. Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit vniuerſa pręcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam; vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, nō recordabor. In iuſtitia ſua, quam operatus eſt viuet. Nunquid voluntatis meę eſt mors impij dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat? Cum auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit: vita viuet, & non morietur, ait Dominus omnipotens. Reſp. Deo gratias.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, & renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua.

Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore. Erat dies feſtus iudeorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolimam. Eſt autem Hieroſolimis probatica piſcina, quæ cognominatur hebraice, Bethſaida, quinq; porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, & aridorum expectantium aquę motum. Angelus autem Domini ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam, & mouebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ ſanus fiebat à quacunq; detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate ſua; Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multū tempus haberet, dixit ei. Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus. Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam; dum venio enim ego, alius ante me deſcendit. Dicit ei Ieſus. Surge, tolle grabatum tuum, & ambula, & ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Laus tibi Chriſte.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domi-

ne, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde, ſed tu Domine ſuccurre ei.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facturæ tuę pio ſemper dominaris affectu; inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum ex aduerſa valetudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita eum in ſalutari tuo; & cœleſtis gratiæ præſta medicinam. Exaudi nos miſericors Deus, & mentibus noſtris gratiæ tuæ lumen oſtende. Per Dominum &c.

Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Verſ. Benedicamus Domino. Reſp. Deo gratias.

Pax, & Benedictio Dei omnipotentis. Patris, & Filij, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

FINIS.

1624. *Die 3. Februarij.*

Imprimatur.

Fr. Franciſcus Carenus Lector Theol. Vic. Sanctæ Inquiſitionis Mediol.

Fr. Al. Bariola Auguſtinianus, Conſultor S. Offitij pro Illuſtriß. D. Card. Archiep.

Vidit Saccus pro Excellentiß. Senatu.

Sleep candle story 146.
cf. Hand of glory
cf. Mrs. Ellet's story

Witchcraft